M Guara


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
18—E
65

DE SACRAMENTIS LEGIS EVANGELICÆ

Vbi pertractantur, definiuntur, & enucleantur casus circà illorum administrationem occurrentes.

Opus Morale, & Practicum.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS.

D. GASPAREM CARD. DE CARPINEO

Sanctiss. D.N. Papæ Vicarium.

AVTHORE

R.D.IO: DOMINICO MAVRO CVSENTINO

Prothonotario Apostolico, Rectore Venerabilis Ecclesiæ SS. Saluatoris de Curte Vrbis.



[illegible] [redacted] [illegible] [redacted]



ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinassii. MDCLXXXIII.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Opus Morale, & Practicum.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS.

D. GASPAREM

CARD. DE CARPINEO

Sanctiss D.N. Papae Vicarium.

[illegible]

R.MO D. DOMINICO MAVRO CVSENTINO

Protonotario Apostolico, Rectore Venerabilis Ecclesiae SS. Salvatoris de Curte Vrb.



[illegible]



EMIN.ME ET REV.ME
PRINCEPS.



NIMARVM Cura triginta ſex circitèr ab hìnc Annis in hac Alma Vrbe mihi commiſſa, & quam magnis peregi laboribus in cauſa fuit, vt dùm muneris mei eſſe animaduerto oues meas agnoſcere, Sacramentorum adminiſtratione, verbique Diuini prædicatione paſcere, Sacrorum Canonum, Patrumque volumina euoluens ea deſcripſerim, quibus vſu, & praxi frequentes caſus, & conſcientiarum euentus facili manu enodare, ſoluere, aùt dirigere poſſem. Quæ cum iàm ſenex iterùm, iterùmque perluſtro, videor mihi credere plurima horum communi bono conducere poſſe: Hìnc igitùr eſt, quòd ea, quæ priuato vſui, & commodo mihi conſcripſeram in integrum de nouę legis Sacramentis tractatum conſtruxerim,

 qui

qui in præsentia Typis traditus, Eminentiæ Tuæ auspicijs in lucem prodit, nihil prętereà faciens liuidorum dicteria, qui ab hac ætate, & longiori rerum vsu maiora exigent; sat est benigno Eminentiæ Tuæ recipi obtutu, qui Vicariæ Supremi Numinis Maiestatis Vicarius nuncuparis; Eminentiæ Tuæ, inquam, qui intèr purpuratos Principes eluces. Quis enim præclarissimas animi tui dotes non admiretur, prudentiam, vigilantiam, morum honestatem, agendorum peritiam, & solertiam? Igneus ipse iuuentutis vigor in vtriusque Iuris Pontificij, ac Cæsarei laurea effloruit, quæ illicò maturuit, dùm Te Summus Pontifex Innocentius X. ordini illi adscripsit, qui de iustitia, & gratia prò Principe decernit, ac posteà in Congregatione Boni Regiminis collocauit. Alexander VII. qui tecum affinitate coniunctus erat, Te Vaticanæ Basilicæ Canonicum, Te Aquarum Congregationis Secretarium pronunciauit, & ad inundantis Tiberis coercendas aquas, atque cum Florentinis Oratoribus agendum ad Glanem fluuium delegauit, Te Flauij Card. Chisij nepotis sui Signaturæ Iustitiæ Præfecti ac posteà Sac. Romanæ Rotæ Auditorem nominauit. A Clemente IX. Generalis Inquisitionis Consultor

con-

constitutus fuisti. A Clemente X. primùm Datariatus munere,ac deindè Nicææ Archiepiscopatus titulò insignitus fuisti, cui Summo Pontifici de Cardinalium numero augendo cogitanti intèr Primos Tu occurristi, & in eum ordinem ascitus, velùt suprà Montem positus vniuerso Orbi præluces. Præes enìm supèr negotijs Episcoporum, & Regularium; nècnon controuersijs Ecclesiasticarum Iurisdictionum Congregationibus,& ferè omnibus alijs interes, in quibus Iuris prudentiam, ac sapientiam Tuam omnes admirantur. Quanta autèm Vigilantia,ac Iustitia Vicariatus Officium imples,Testes sunt, non tantùm boni omnes, qui Te imperante hilares, & erecti conspiciuntur; verùm etiàm improbi, si qui sunt, qui nisi mœsti, & abiecti esse non possunt. Sèd quis decora illa Familiæ tuæ, atq; longam Auorum seriem præterire potest? Maiores enìm tui, vt Iulius II. Diplomate Pontificio, Anno 1508. testatur,iàm mille ab hinc Annis, & vltrà extiterunt Comites Carpinei. Verùm hæc, atq; innumera alia magna quidèm, sèd velùt, extrà Te posita, vìx tuis in laudibus enumeranda videntur. Tu enìm non à maioribus splendorem es mutuatus, quìn potiùs ipse propria luce adeò Illustris es, vt indè plurimum

in

in eos ſplendoris, & claritatis redundet. Tibi itàque Opuſculum hoc, qualecumquè ſit, dicare auſus ſum. Tu illud adamantino clypeo Tui Nominis ab inuidorum, & obtrectantium calumnijs protege, & defende, quià tuum eſt, & Tibi debetur, non ſolùm ob innumera in me collata beneficia; verùm etiàm, quià Tu Primus à Pontifice Maximo in hac Alma Vrbe Sacrorum Moderator, & Arbiter exiſtis. Mihi obſequij laus relinquitur, dùm Deum Optimum Maximum enixè oro, vt Te diutiùs Nobis ſeruet incolumem, aſſueta Tua, & Familię clementia, ſenis labores recipe: paruum equidèm munus, magnum tamèn mihi erit, ſi hilari fronte, grato animo, & benignis oculis illud aſpexeris. Vale.

Eminentiæ Tuæ Reuerendiſsimæ

Addictiſſimus, & Humillimus Seruus
Ioannes Dominicus Maurus Rector
SS. Saluatoris de Curte &c.

Ad

Ad eruditissimum Lectorem.

QVid in hoc, de Sacramentis nouæ Legis tractatu, præstiterimus, tuum erit, Candidissime Lector, discretum ferre iudicium. Elaborauimus quidèm (quoniàm septuagenariæ ætatis pondere premimur) nè aliud in hac optares materia, licèt de eadem prisca, & recentia infinita sint penè volumina. Nos ex vniuersa disciplina, tanquàm ex inexhausto fonte, vt vberiùs responsiones probatiores, fidelioresq; liquidò pateant, solidissimis fundamentis, certa ab incertis, & clara ab obscuris, distinximus, & elegimus: Immò ipsas difficultates, dubitationes, controuersias, atque omnia alia in dies occurrentia, etiàm speculatiua (quantum in nobis fuit) ad veram praxim deduximus, explicauimus, dissoluimus, stabilibusque argumentis, sanaque doctrina, demonstrauimus. Sèd labimur, mortales sumus, lutea vasa portantes, vt ait Apostolus, & sìc à veritate fortasse aberrare potuimus, sèd non credimus, cum hoc prorsùs fuerit à nostra voluntate remotum; Compatere, dignum est, siquidèm ad maiorem Dei gloriam, & omnium spiritualem profectum huiusmòdi laborem suscepimus; sèd priùs S.M. Ecclesiæ iudicio examinandum proponimus. Hæc, paritèr benignè Lector, hilari animo recipe, & si quid alienum, vèl in aliquo dissonum à tuo intellectu repereris, & speciatìm quamplurimos in Typis elapsos errores, in fine huius libri adnotatos, tua prudentia, obserua, corrige. Nèc te pigeat talem exercere pietatem, cum equidèm scriptum sit. Si compatimur, & conglorificabimur. Vale.

Mandato Reuerendiſs. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri obtemperans ea, qua potui vigilantia, & diligentia legi, & euolui librum, cui titulus eſt. De Sacramentis legis Euangelicæ Opus Morale, & Practicum *Authore Reu. D. Ioanne Dominico Mauro Cuſentino Prothonotario Apoſtolico Rectore Venerabilis Eccleſiæ SS. Saluatoris de Curte Vrbis. Vidi, inquam, & perſpexi magna cum iucunditate omnia noua, & vetera apprimè prolata, methodum ſuccinctam, facilem, ingenuam veritatem non verborum ambagibus, vaniſque foliorum fucis adumbratam, ſed peruiam, claram, nudam, lippientibus etiàm oculis manifeſtam, ſententias ſecuras amplectitur, laxitates mira modeſtia damnat. Viam tenet Regiam, nèc in dexteram conſcientias opprimendo nimis declinat, nèc in læuam animos relaxando propendit, ſèd magna ſinceritate, & ſtylo peruio mediam, quàm Prudentia Moralium Virtutum Regina dictat, viam inſequitur. Nihil reperi diſſonum, nil diſtortum, omnia conſonant bonis moribus, Pontificijs decretis, ac dogmatibus Fidei, laude dignum opus, non Iudice, Panegyri, non cenſura. Vtinàm videat lucem in ſtudioſorum profectum, & in communem vtilitatem. Sic ſentiebam, ſaluo meliori &c. In hoc Collegio Sancti Thomæ apùd S. Mariam ſupèr Mineruam, die 25. Maij Anni Domini 1683.*

F. Franciſcus Ramirez Studij Regens manu propria &c.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sac. Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiepiſcop. Vrbin. Viceſg.



Imprimatur

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

PROEMIVM.



CTVRI de Sacramentis nouæ legis, tàm in communi, quàm in particulari, ex Doctore Angelico diuinæ voluntatis interprete desumimus exordium, qui postquàm absoluit tractatum de Deo, Trinitate, & Angelis, in prima parte, in secunda statim egit de homine; quatenùs suorum actuum est principium. Et cum huiusmodi tractatus ab vltimo fine nostræ mortalis vitæ dependeat: Ideò dicimus illius finem, esse verum principium humanarum actionum. Cum necessarium vtiquè sit à fine eas accipere rationes, quæ ad illius finem ordinantur: eò quòd omnia agentia,& speciàlitèr intellectualia (humano tamèn modo considerata) in vniuersa natura sempèr ob aliquem finem operentur, & agant. Finis verò humanarum actionum duplex est. Vltimus, & non vltimus. Hic ille dicitur proptèr quem agens operatur, vt ad meliorem finem vltimum referat. e.g. Quis omni industria, & patientia indefessos sustinet labores in studijs, vt saltèm eo, quo possit modo,scientias possideat ob diuitias acquirendas, ac etiàm eas ad aliqualem suam fęlicitatem dirigendas. Finis vltimus ille equidèm est proptèr quem, & ad quem omnia fiunt, & ordinantur. Huiusmodi finis in operante (modò suprà explicato)dicitur Fęlicitas,seù Beatitudo, quæ secundùm humanam apprehensionem, siuè electionem, aliquandò vera minimè erit, & è contrà. Idque frequentèr accidere solet ex hominum diuersitate; nàm boni sibi perfectam eligunt beatitudinem; malique verò solùm imperfectam, & apparentem. Perfecta Beatitudo est possessio, & fruitio summi boni, idèst Dei viuentis, quandoquidèm possideatur in patria per claram illius visionem, qua semèl obtenta necessariò sequitur existentibus in gloria, non so-

lùm ipsa fruitio, vt dictum est; verùm etiàm possessi boni delectatio, quòd à Theologis summum bonum vocatur, & dicitur beatitudo obiectiua; At ipsa visio,& fruitio beatitudo formalis nuncupatur. Consistens in operibus animæ, & sic ad eam possidendam, corporum resurrectionem expectare minimè opus erit; nàm anima ab omni culpa purgata, huiusmodi Beatitudinis essentialis illicò redditur capax. S.Thom.in 3.p.Sum.Theolog.q.79.ar.2.

Addimus insupèr, Animas è corpore separatas, tres habere dotes, visionem scilicèt, fruitionem, & comprehensionem. Corpora verò post vniuersalem resurrectionem, quatuor exornari dotibus, nimirùm subtilitate, agilitate, claritate,& impassibilitate, vt docet S.Thom.loc.cit.q.82. 83. 84. &c. Colligitur paritèr ex Apostolo. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*. Quòd spectat ad impassibilitatem. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Quòd pertinet ad claritatem. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Quòd attinet ad agilitatem. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Quòd conuenit subtilitati.

1. Cor. 15.

De recensitis Beatorum dotibus, non tamèn satis explicatis, curiosum remittimus Lectorem ad P. Viguerium cap.14.§.2.ver.2.& Innoc. de Myster. cap.12. asserentem prænotatas dotes omnes fuisse in corpore Christi recognitas, antequàm à mortuis resurgeret. *Subtilitatem*, cum ex Maria Virgine nasceretur *Claritatem*, cum in Monte Thabor transfiguraretur. *Agilitatem*, cum super mare ambularet. Et *impassibilitatem*, cum in Cœna manducaretur.

Sèd cum ad tantam magnitudinem gloriæ peruenire minimè possimus, nisi per magnos labores. *Cum non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Absque præordinatis medijs, quæ re vera sunt euangelicæ legis Sacramenta. Conueniens igitur erit de eisdem tractatum componere, Sacerdotibus omnibus, ac non minùs curam animarum gerentibus apprimè necessarium; quem nos omni possibili breuitate,

Ap. ad Rom. cap. 8.

& fa-

& faciliori modo quo possumus, in octo diuidemus disputationes. Seruantes tamèn Philosophicum ordinem, qui exigit, vt generalis rei meditatio, speciebus omnibus communis peculiares singularum antecedat. Quarum prima erit de Sacramentis in communi: Reliquæ verò septèm de quolibet in particulari, ad mentem tàm Angelici Doctoris, quàm R. P. Pauli Layman Societatis Iesu in sua Theologia Morali lib. 5. de Sacramentis, & sacrificio nouæ legis, nècnon aliorum Doctorum, &c.

DISPVTATIO PRIMA.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Sacramentum.



PRæmittimus Sacramentum, siuè ipsius nomen à *Sacro* deriuari. Diuersimodèq; desumi tàm à sacris, quàm à prophanis Scriptoribus, penès quos duobus modis accipi solet. Primò pro pecunia, vel pignore à collitigantibus depositatis, hac tamèn conditione, vt si quis à lite caderet pecuniam, & pignus amitteret, & sic sacra, siuè Sacramentum dicebatur, quãdoquidèm in locum sacrum reponebatur. Vide Varronem lib. 4. de lingua latina; & patrem eloquentiæ Ciceronem lib. 3. de officijs. Sèd meliùs S. Tho. 2. 2. q. 89. art. 1. Secundò accipiebatur pro iuramento, quòd per rem sacram, idèst, Diuini nominis inuocationem fieri solebat, vt patet ex l. *Sacramenta puberum C. si aduersus vendicationem*, & *C. si publicis Sacramentorum gestis* 22. q. 4.

Apùd verò Sacros Scriptores, idem valet Sacramentum, quòd mysterium, & triplici modo accipitur. Primò pro re

occulta, & latente. Sapient. 2. *Nescierunt Sacramentum Dei*. Prouerb. 2. *Qui reuelat mysteria*, intellige secreta amicorum. Matt. 13. *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei*. Ad Ephes. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*. 1. Corint. 13. *Si nouerim mysteria omnia*, scilicèt Sacramenta. Vide S. August. lib. de gratia, & libero arbitrio c. 17. Secundò pro signo rei latentis, idèst, sacræ. Daniel. 2. ver. 19. *Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est*. & vers. 30. *Mihi Sacramentum hoc reuelatum est*, nimirùm, quid Nabuchodonosor Regis statua significare potuerat. Apoc. 17. vers. 5. *In fronte eius, meretricis magnæ, nomen scriptum, Mysterium*, & vers. 7. *Ego dicam Tibi Sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam*, scilicèt, quid significent.

Et tandèm tertiò, quòd verè ad nostrum facit propositum, pro sacra ceremonia, aliquo modo, hominem sacrante, & sanctificante. Quo sensu D. Ambrosius librum composuit *de ijs, qui mysterijs initiantur*, & S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 15. c. 26. scripsit, *credentes Sacramentis initiari*. Videatur S. Cyprianus lib. 2. epist. 1. ad Stephanum Papam de fidelibus, qui sic ait. *Tùnc demùm plenè sanctificati, & esse filij Dei possunt, si Sacramento vtroque* (Baptismi, & Confirmationis) *nascantur*. Tertullianus lib. de præscript. c. 16. asserens, quòd diabolus res Sacramentorum diuinorum æmulatur; & tandèm S. Tho. 1. 2. q. 120. art. 5. in corp. *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibentur à Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam deputantur, quodammodò, ad cultum Dei*.

Sèd modò quæri potest, quomodò Sacramentum in communi definiatur? Resp. cum S. Tho. 3. p. q. 60. art. 2. & 3. *Esse visibile signum inuisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, diuinitùs institutum*, vt habetur de consecratione dist. 4. c. 1. ibi. *Necessarium est visibile Sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis corporis supra, sicùt necessaria est doctrina, inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis animæ. Renascitur homo (ex aqua) visibili Sacramento, & (Spiritu) inuisibili intelle-*

tellectu, vt Symbolum baptiſmi viſibilitèr accipiat, & ſpiritalem intellectum ipſius Symboli perficiat: Vel (ex aqua) viſibili (& Spiritu) Sancto.

Diximus, definitionem Sacramenti eſſe *viſibile ſignum*, nimirùm, externum, & ſenſibile, ſeù ceremoniam. Quià, vt ait S. Chriſoſt. homil. 83. in Matt. *Si enim incorporeus eſſes nudè ipſa dona incorporea tibi tradidiſſet, sèd quia corpori coniuncta eſt anima tua, ideò rebus ſenſibilibus tibi intelligenda traduntur.* Idem ſenſit homil. 69. ad populum Antiochenum, Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 3. paulò pòſt princip. & non equidèm minùs S. Aug. lib. 19. contrà Fauſtum cap. 11. vbi ait; quod *In nullum nomen religionis coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur: quorum Sacramentorum vis inenarrabilitèr valet plurimum.* Videatur Angelicus Doctor q. 61. ar. 1.

Dicitur *inuiſibilis gratiæ*, qua impius iuſtificatur, vt optimè fatetur S. Thomas cit. art. 3, ad 3. Non omne ſignum rei ſacræ eſſe Sacramentum, sèd quo ſignificatur perfectio ſanctitatis humanæ, quæ eſt gratia iuſtificans. Et sìc per huiuſmòdi particulam à definitione Sacramenti propriè dicti excludi debent Sacramentalia, & intèr ea numerantur prima tonſura, aqua benedicta, ac multæ aliæ conſecrationes, quæ verè minimè inſtitutæ ſunt ad ſignificandam hominis iuſtitiam, & ſanctitatem.

Additur, *ad populum Dei ſanctificandum*, ex qua definitionis particula demonſtratur, quod ſignum neceſsè ſit, eſſe practicum, quià, niſi aliqua ratione huiuſmòdi ſignum ſenſibus percipi poſſet, minimè ſignificaret res occultas, & latentes, quæ per ſpecies ſenſibiles, & naturales à nobis cognoſcuntur, & licèt Deus potuerit nonnullas actiones internas inſtituere, ex quarum poſitione gratiam conferrent, hæc Sacramenta non humana; sèd Angelica fuiſſent.

Dicitur deniquè *Diuinitùs inſtitutum* ſecundùm Angelici Doctoris q. 64. art. 2. doctrinam. Quià, cum ad Deum ſo-

solummodò pertineat sibi populum congregare, siuè Ecclesiam constituere; igitùr ipse solus poterit ritus, siuè cęremonias decernere, quibus populus suus initiandus, & ab alijs distinguendus sit, & cum Sacramentum debeat esse signum gratiæ sanctificantis, & tale ex natura rei nullum signum esse potest, hinc consequentèr sequitur, quòd sit ex impositione Dei, qui solus est auctor gratiæ, tanquàm principale agens, & causa, quæ non ab alia dependet. Iuxtà illud psalmi *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & Roman. 8. *Deus est, qui iustificat.*

Sèd hìc quæri poterit, an dari possit aliquod discrimen intèr Sacramenta Veteris legis, & Euangelicæ, cui curiosæ obiectioni breuitèr respondetur. Alia Sacramenta non solùm gratiam spiritualem significare; verùm etiàm ex vi suæ institutionis certò equidèm operari, & hæc solummodò sunt omnia nouæ legis Sacramenta. Alia verò tantùm gratiam spiritualem significare, quæ non ex vi suæ institutionis operantur, & huiusmodi Sacramenta sunt legis veteris, & naturæ, est doctrina Angelici Doctoris q. 62. n. 5. in corp. quòd *Sacramenta veteris legis nō habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem; sèd solùm significabant fidem, per quam homines iustificabantur.*

De Circumcisione verò ipse S. Præceptor nos docet in resp. ad 3. sèd meliùs in q. 70 art. 4. *In circumcisione conferebatur gratia, quantùm ad omnes gratiæ effectus, alitèr tamèn, quàm in Baptismo. Nàm in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet, in quantùm est instrumentum Passionis Christi iàm perfectè. In Circumcisione autèm conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sèd ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio, ità scilicèt, quòd homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vèl adultus per se, vèl alius pro paruulis.*

Et sìc Apostolus ad Romanos dicit, quòd *Abrahā accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ Fidei*, quià videlicèt

cèt iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. Quam sententiam sequutus fuit Sotus in 4.d.1. q. 3.ar.9.ibi. *Patet ergò quòd Sacramenta veteris legis, nullam habebāt in se virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sèd solùm significabant fidem, per quam illi homines iustificabantur. Conclusio colligitur ex superioribus, nā si neque habebant illam virtutem de se, neq; tanquàm instrumenta passionis Christi, non restat quomodò alitèr habuissent.*

Postmodùm duo Angelici Doctoris affert argumenta. Primum est. *Sacramenta noua legis habent efficaciam ex fide passionis Christi, fides autèm eadem fuit illis nobiscum communis iuxtà illud* 2. Cor. 4. *Habemus eumdem Spiritum fidei, ergò Sacramenta illa perindè, ac nostra conferebant gratiam. Responsio autèm est, quòd cum illis passio solùm futura applicaretur, applicatio fiebat dumtaxàt per internam fidem, tanquàm causæ finalis. Nobis autèm applicatur passio per fidem tanquàm iàm exhibita, atquè adeò tanquàm causa efficiens, quæ secundùm realem vsum Sacramentalem verum operatur.*

Secundum argumentum est. *Per Sacramenta veteris legis homines sanctificabantur secundùm illud* Leuit. *Cùm sanctificasset Moyses Aaron, & filios suos in vestitu eius, &c. Sanctificatio autèm per gratiam: ergò illam conferebant. Resp. quòd illa sanctificatio non erat per gratiam gratum facientem, sèd tantùm figuralis Christi, per quam ministri templi diuino cultui dedicabantur.*

Addimus insupèr alios Doctores relatos à Paulo Layman lib.5.de Sacramentis in communi tract.1.c. 3. huiusmòdi conclusionem probantes, auctoritate SS.PP. & Apostoli 1. Cor. 7. ibi, quòd *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* Ad Galat.6. *Nequè circumcisio aliquid valet, nequè præputium, sèd noua creatura,* nimirùm gratia iustificans per fidem. Ad Coloss. 2. comparando cum baptismo Circumcisionem dicit. *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sèd circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo.*

Ex:

Ex quo fundamento ſequitur, quòd Iudæorum circumciſio, vi ſua ſolummodò carnem ſpoliat. Baptiſmus verò ex diuina inſtitutione, & vi ſua, non ſolùm peccata tollit; verùm etiám gratiam omninò confert, & non aliam ob cauſam Apoſtolus ad Galat.4. Circumciſionem, & alias cæremonias legales vocat, *infirma, & egena elementa*, niſi quià tàm *ex ſe*, quàm *ex opere proprio* vim, & efficaciam iuſtificandi minimè habent.

Ac pro abundantiori traditæ aſſertionis intelligentiâ, notari debet, quòd firmat Angelicus Doctor q.61.ar.2.& alij, quos citat, & ſequitur Layman loc.cit.n.2.nimirùm, in ſtatu innocentiæ, ſiuè antè Adæ lapſum, nulla adfuiſſe Sacramenta, tàm ex eo, quià quiſquis benè valens nulla indiget medicina, & Adam cum lethali culpæ minimè ſubiaceret, idcircò Sacramentis non egebat, quàm etiàm quià nequè ea ad maiorem animæ perfectionem ordinantur, vt fatetur Layman, quandoquidèm Deo ritè ſubiectus, facili animi motu, ipſi vniri potuit, & conſequentèr internam perfectionem conſeruare, & augere, tùm etiàm quià minùs opus erat, eum externis corporeis ſignis excitari.

In ſtatu verò pòſt Adæ peccatum, qui vſque ad legem Moſaycam perdurauit, duo fuerunt Sacramenta inſtituta, vnum pro paruulorum; alterumque pro adultorum ſalute. Pro paruulis equidèm erat proteſtatio fidei à Parentibus facta, quæ conſiſtebat, quòd omnes infantes per futura merita Chriſti erant ſaluandi, & sìc dicebantur in fide parentum paruuli ſaluari. S.Tho.q.61.art.3. ſupra citatus, & 1.2.q.102.ar.5. & hoc conueniens fuit, quià cum infantes, vti rationis vſu carentes minimè potuiſſent ſibi remedium applicare, opus erat, vt hoc illis per externam fidei proteſtationem ab alijs applicaretur iuxtà quòd ſcriptum erat Deuter. 30. *Propè eſt Dominus omnibus, &c.*

Pro adultis verò ſacrificium inſtituerat Deus, non tamèn, vt eſt quædam cæremonia ſacra, & religioſa, qua directè Deus colitur, & honoratur, sèd vti medium ſanctificans,

cans, & sicùti pro infantibus fuerat remedium institutum ad delendum originale; ità par erat, vt aliud fuisset ad remouendum adultis actuale. Et hac de causa S. Iob pro peccatis filiorum sacrificia offerebat. Sèd si quis curiosè inquirat, an hoc fuisset propriè Sacramentum, videat Suarez disp.4.sect.4.Soto in 4.sent.d.1.q.1.art.6.§.Vndè ad argumenta, &c.

Additur insupèr, quòd post Adæ lapsum, necessarium erat institui Sacramenta, scilicèt, visibilia signa, quibus fidem suam vnusquisque protestaretur in Christum Redemptorem venturum, & talia vtiquè erant circumcisio, agnus paschalis, consecratio Sacerdotum, & lustrationes quædam ab immunditijs legalibus, & expiationes à peccatis externis, de quibus S.Thomas vbi supra.

Probabiliorem nihilominùs defendunt opinionem Doctores relati à Layman loc. cit. n. 3. nimirùm, quòd antequàm data esset circũcisio in lege naturæ pòst Adæ lapsũ, sempèr fuisse pro infantium sanctificatione, & iustificatione, verum Sacramentum, fundantes eorum sententiam in doctrina S.August lib.5.contra Iulian.c.11. qui ait. *Nequè ideò credendum est, antè datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidèm eis inerat fides Mediatoris in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis; quãuis, quid illud esset, aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit.*

Sèd quòd firmatur de paruulis, antè datam circumcisionem, vt diximus, idem sentimus de fœmellis etiàm pòst traditam circumcisionem, & non minùs de masculis in mortis articulo existentibus antequàm ad octauum peruenirent diem, quo circũcidendi erant, cũ eisdem omnibus ad delendam originalem culpam opportunum remedium aliquod necessarium erat adhibendum, & licèt scriptum minimè reperiatur qualenam fuerit: credibile est nihilominùs aliquod adfuisse externum, & hoc certum, & determinatum signum, vt esset firma, ac stabilis religiosa cæremonia, & propriè Sacramentum.

Ea enim, quæ hucusque descripsimus, colligunt Scotus d.1.q.vlt. vers. Respondeo nullo tempore, Coninck. q.61. ar.3.n.22.ex sententia S.Aug.cit.cap.9. Quam pariter insinuare videtur Bellarminus lib.3.c.21. proposit.1. vbi asserit, quód in omni lege, Sacramentorum materia fuerit à Deo determinata; non tamèn eodem modo. Et affertur euidens ratio: Nàm, sicuti lex naturæ supernaturalitèr cordibus viatorum erat inspirata; ità etiam Sacramenta inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noe, & Abrahæ, qui alios docere postmodùm debebant, & sicuti Lex Mosayca per Moysen promulgata, & in tabulis publicè scripta fuit, ità paritèr illius temporis Sacramenta per eumdem Cronistam tradita, & literis demandata fuerunt.

Aduertendum tamèn est, quòd Circumcisio fuit à Deo primariò, & principalitèr instituta, vt filij Abrahæ, populus ab eodem electus, hac expressiore protestatione in Christum venturum congregaretur, & ab alijs populis distingueretur: Secundariò verò, & minùs principalitèr ordinata fuit in remedium originalis peccati pro paruulis. Hanc nouissimam partem expresse firmauit S. August. lib. 16. de Ciu. Dei c.27.& lib.3.de empt.c.11. vt patet ex cap. 6. *De consecratione distinct.4.* ibi. *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei (quòd erat tunc signaculum iustitiæ fidei) ad significationem purgationis valebat, & paruulis originalis, veterisque peccati, sicut, & Baptismus ex illo valore capit ad innouationem hominis ex quo est institutus.*

Et non minùs ex cap. *Maiores de Baptismo, & eius effectu*, æquè benè colligitur, in quo scribens Innoc. III. Arelaten. Archiepiscopo dixit. *Cautè tamen notandum est quantum plus Baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Iudæis circumcisio contulisset: dictum est in fine prædictæ auctoritatis inducta de veteri lege. Peribit de populo suo. In Euangelica verò auctoritate subiunctum est. Non intrabit in Regnum Dei, quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen*

men

men peruenicbatur ad Regnum Cælorum, quòd vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sèd per Sacramentum Baptismi Christi Sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum Cælorum etiam peruenitur, cuius ianuam Christi Sanguis fidelibus misericorditer reserauit. Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin, & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauit ad salutem.

Sèd hac occasione minimè prætereunda sunt ea, quæ scripsit Dominicus Sotus in 4 sent.dist.2.q.1.ar.4.§.Videntur autem plura, & hoc modo discurrens, firmauit. Haud enim legendum est ad sanctificationem, vt referri solet, sèd ad significationem, vt habet verus textus. Nam in sanctificatione purgationis non cohærent verba. Resp. ergò comparationem non esse omnimodam.Baptismus siquidèm valet,vt instrumentum, Circumcisio verò,vt signum,vt ipse August.exponit dicens, *valere ad significationem, vt signum iustitiæ Fidei.*

Paritèr D.Tho.q.62.ar.6.ad 3. glossauit simile Bedæ testimonium in homilia circumcisionis,quòd refert, & Hugo lib.1.de Sacram.p.12.c.2. & Magister sent.in 4. d.1. Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptismus agere reuelatæ tempore gratiæ consueuit. Haud enim docet,circumcisionem virtutem habuisse efficiendi gratiam, sèd fuisse signum fidei necessarium ad remissionem originalis, sicut nunc est Baptismus.

Et paritèr intelligitur illud Gregorij, quod protinùs ar. 2.hìc adducitur, videlicet, pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis hoc egisse, quòd apud nos agit Baptismus. In summa, vt hoc discrimen perspectum sit,differentia est, quod Baptismus, & Sacramenta Euangelica sunt verè causæ instrumentales conferendæ gratiæ, vt calamus scripturæ; Circumcisio verò non nisi applicatio causæ. Admotio enim ignis ad stupam non est

causa inflammationis, sèd ignis ipse, qui applicatur. Itàque applicatio non agens, sèd conditio agentis, vt agat.

Alia verò, quæ sequuntur per totã distinctionem citatam ad eruditum Lectorem remittimus. Hic equidèm spectaret illa aurea, ventilata, sèd nondùm determinata quæstio, nimirùm. An Sacramenta nouæ legis physicè, vel moralitèr conferant gratiam, sèd eò, quia est merè speculatiua, & parùm vtilis moralibus ad Scholasticos discutiendam, & finiendam mandamus. Nobis igitur satis erit, & de fide profiteri, quæ Trident. sess. 7. de Sacram. Can. 6. sanciuit, ibi. *Si quis dixerit, Sacramenta noua legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantùm externa sint accepta per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.*

SECTIO II.

De causis extrinsecis, & intrinsecis Sacramentorum.

ANtequàm ad particularia spectantia ad præsentem sectionem deueniamus, notandum est, quod sicuti in quolibet operè tàm arte, quàm natura confecto, quatuor necessariò genera causarum concurrere debent, nimirùm, causa efficiens; & finalis, quæ sunt causæ extrinsecæ; materialis verò, & formalis intrinsecæ; ita pari modo, in nouæ legis Sacramentis, quæ sunt, vt ita dicamus, quadam arte diuina confecta; hæc omnia quatuor causarum genera reperiuntur, ex quibus nobis datur occasio tractandi. Primò. Quis eorum fuerit causa efficiens. Secundò. Quis finis. Tertiò, quæ materia, & quartò denique, quæ forma.

Quæ-

Quaritur ergò primò quisnam fuerit Sacramentorum causa efficiens.

PRo cuius intelligentia, respondetur, duplicem esse causam efficientem, siuè principalem vnam; secundariam, siuè instrumentalem alteram. Prima propria virtute operatur, eò quià vllo modò, operando ab alio dependet. Sit exemplum de fabro lignario construente scamnum qui causa principalis illius scamni verè nuncupatur, eò quia in illius confectione, nullam aliam cognouit causam, nisi propriam virtutem. Causa verò instrumentalis ea est, quæ mota mouetur, non propria entitate, sed virtute causæ principalis suum producit effectum, vt ex allato exemplo de fabro lignario, dùm illius serra non, vti causa principalis consideratur, sed instrumentalis, quia non virtute serræ, sed vi, & impulsu ab artifice impresso ad tale conficiendum scamnum operatur. Causa hæc instrumentalis duplex est, vna dicitur coniuncta, & alia separata. Prima e.g. est manus artificis. Separata est Serra respectu eiusdem, his præmissis.

Dicendum est primò, si sermo sit de Sacramentis legis naturæ, & scriptæ eorum efficiens, & principalis causa fuit Deus. Ratio est, quia ille dicitur causa Sacramentorum, qui sua propria virtute, & auctoritate independentèr à quouis alio ea potuerat instituere pro delendis originali, & actuali culpis, sed hoc nemo poterat facere, nisi solus Deus, ergò ipse fuit causa antiquorum Sacramentorum.

Sotus in 4.sent.dist.1.q.5.art.2. in præsenti sic discurrit. Colligitur ergò ex superioribus trina temporum differentia. In lege enim mera naturæ vsque ad Abraham nullum fuit Sacramentum adeo exterius institutum, sed hoc tantùm, quòd vnaquæque natio instinctu interiori, tàm naturalis, quàm supernaturalis etiàm lux Fidei vtcumque illustrabat, quibus fidem vnius Dei protestaretur, quæ subindè

causa inflammationis,sèd ignis ipse,qui applicatur. Itàque applicatio non agens, sèd conditio agentis, vt agat.

Alia verò, quæ sequuntur per totā distinctionem citatam ad eruditum Lectorem remittimus. Hic equidèm spectaret illa aurea, ventilata, sèd nondùm determinata quæstio,nimirùm. An Sacramenta nouæ legis physicè, vel moralitèr conferant gratiam, sèd eò, quia est merè speculatiua, & parùm vtilis moralibus ad Scholasticos discutiendam, & finiendam mandamus. Nobis igitur satis erit,& de fide profiteri, quæ Trident.sess.7. de Sacram. Can.6. sanciuit, ibi. *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam,quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantùm externa sint accepta per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.*

SECTIO II.

De causis extrinsecis, & intrinsecis Sacramentorum.

ANtequàm ad particularia spectantia ad præsentem sectionem deueniamus, notandum est, quod sicuti in quolibet operè tàm arte, quàm natura confecto, quatuor necessariò genera causarum concurrere debent, nimirùm,causa efficiens, & finalis, quæ sunt causæ extrinsecæ; materialis verò,& formalis intrinsecæ; ita pari modo, in nouæ legis Sacramentis, quæ sunt, vt ita dicamus,quadam arte diuina confecta; hæc omnia quatuor causarum genera reperiuntur, ex quibus nobis datur occasio tractandi. Primò. Quis eorum fuerit causa efficiens. Secundò. Quis finis. Tertiò, quæ materia, & quartò denique,quæ forma.

Quæ-

Quaritur ergò primò quisnam fuerit Sacramentorum causa efficiens.

PRo cuius intelligentia, respondetur, duplicem esse causam efficientem, siuè principalem vnam; secundariam, siuè instrumentalem alteram. Prima propria virtute operatur, eò quià vllo modò, operando ab alio dependet. Sit exemplum de fabro lignario construente scamnum qui causa principalis illius scamni verè nuncupatur, eò quia in illius confectione, nullam aliam cognouit causam, nisi propriam virtutem. Causa verò instrumentalis ea est, quæ mota mouetur, non propria entitate, sed virtute causæ principalis suum producit effectum, vt ex allato exemplo de fabro lignario, dùm illius serra non, vti causa principalis consideratur, sed instrumentalis, quia non virtute serræ, sed vi, & impulsu ab artifice impresso ad tale conficiendum scamnum operatur. Causa hæc instrumeutalis duplex est, vna dicitur coniuncta, & alia separata. Prima e.g. est manus artificis. Separata est Serra respectu eiusdem, his præmissis.

Dicendum est primò, si sermo sit de Sacramentis legis naturæ, & scriptæ eorum efficiens, & principalis causa fuit Deus. Ratio est, quia ille dicitur causa Sacramentorum, qui sua propria virtute, & auctoritate independentèr à quouis alio ea potuerat instituere pro delendis originali, & actuali culpis, sed hoc nemo poterat facere, nisi solus Deus, ergò ipse fuit causa antiquorum Sacramentorum.

Sotus in 4.sent.dist.1.q.5.art.2. in præsenti sic discurrit. Colligitur ergò ex superioribus trina temporum differentia. In lege enim mera naturæ vsque ad Abraham nullum fuit Sacramentum adeo exterius institutum, sed hoc tantùm, quòd vnaquæque natio instinctu interiori, tàm naturalis, quàm supernaturalis etiàm lux Fidei vtcumque illustrabat, quibus fidem vnius Dei protestaretur, quæ subindè

indè Sacrificia erant de iure positiuo humano, quemadmodùm, & nùnc Ecclesiæ leges. Et ratio erat, quia eiusmodi Sacramenta non habebant virtutem conferendæ gratiæ, neque verò figurabant Christum, nisi implicitè, & valdè obscurè. Abrahæ verò Deus circumcisionem imperauit, eò quòd iàm inde condanandus erat vnus populus in Dei cultum, quòd anteà factum nondùm fuerat.

Ac subindè sacrificia veteris legis omnia fuerunt à Deo instituta, non tamèn illa ratione, qua nostra Sacramenta: sed ob hoc tantùm modo, quòd præsagia erant venturi Messiæ, quem populus illa naturalitèr agnosceret, expectareque nequiuerat. Nostra verò Sacramenta proptèr supranaturalem virtutem, quam habent sanctificandi à solo Deo possunt, seù à primario Auctore institui; vndè quòd de Sacramentis affirmamus, & de eorum partibus essentialibus sentiendum est, videlicèt, quòd neque materiam neque formam, nec ministrum necessarium potest Ecclesia, vel alius quispiam mutare nisi solus Deus.

Dicendum est secundò si sermo sit de Sacramentis nouę legis, principalis eorũ causa fuit ipse solus Deus, ob allatam rationem, & eò magis quia agitur de nostris Sacramentis, vtpotè antiquis, perfectioribus. Quatenùs verò sint causa instrumentalis coniuncta, fuit humanitas Christi, diuinitati vnita, cui ob excellentię potestatem competebat facultas instituendi Sacramenta, iuxtà illud Matt. 14. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*, est de fide, vt habetur ex Trid. sess. 7. can. 1. ibi; *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis, non fuisse omnia à Christo Domino instituta, anathema sit.*

Sèd, vt meliùs, quæ diximus, nè lectoris animum occupemus, & tyronibus sit hoc nostrum laboriosum opus (quia senile) vtile, & scitu necessarium, explicentur, fidelitèr, quæ scripsit P. Sotus loc. cit. ar. 3. attendi debent At vero, ipse ait, quoniam Christus vtrumque complectitur (nimirum esse supremam causam, & effectum Sacramen-

mentorum) nàm quatenùs Deus supra causa est, & quatenùs homo supremus minister, pulcherrimò ordine duos S. Thom. articulos de ipso interserit.

Est ergò hic ordine tertius, vtrum Christus in quantum homo sit causa gratiæ Sacramentorum, & respondet quatuor conclusionibus. Ad quarum intellectum adnotandum, triplicem esse potestatem Sacramentorum, nempè, supremam per propriam auctoritatem, infimam per merum ministerium, & mediam per quamdam ministerij excellentiam. Prima conuenit Deo. Secunda puris hominibus. Tertia verò Christo, quatenùs Ecclesiæ caput est.

Est ergò prima conclusio. Christus in quantum Deus operatur in Sacramentis per auctoritatem, erat siquidèm verus Deus. Atque hanc fortè auctoritatem designauit Matth. 19. *vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*. Quasi dixisset, vt sciatis, quòd filius hominis est ipsissimus Deus, qui per suam naturam virtutem habet, vt sibi libuerit, siuè per meritum, aut Sacramentum, siuè absque vlla prorsùs creata causa peccata condonare.

Secunda Conclusio. Christus in quantum homo operatur in Sacramentis interiores effectus meritoriè, & efficientèr. Hanc iam demonstrauimus supra q. 3. ar. 1. & ar. 5. Triplicitèr namque diximus passionem Christi fuisse causam nostræ salutis, scilicèt, meritoriam, effectiuam, & satisfactoriam. Tertius verò modus, hoc loco, quia ad rem non facit, prætermittitur.

Tertia Conclusio. Christus quemadmodùm in quantum Deus pollet in Sacramentis auctoritatis potestate, sic, & in quantum homo fungitur potestate ministerij præcipui, hoc est, per excellentiam. Prior pars probata est, posterior indè colligitur, quod reliqui ministri, sicuti, & Sacramenta, quæ administrant, sunt Christi instrumenta separata, vt baculus respectu hominis. Humanitas verò est instrumentum coniunctum, vt manus. Instrumentum

autem

autém coniunctum excellentiùs est.

Quarta Conclusio. Excellentia hæc consistit in quatuor. Primum in hoc, quòd meritum, & virtus eius passionis operatur in Sacramentis. Itaque Sacramentorum virtus ab eius passione dimanat (vt supra dictum fuit) non autem ex aliquo reliquorum ministrorum merito. Secundum membrum eiusdem excellentiæ est, quòd in nomine Christi Sacramenta celebrantur, & sanctificantur, non autém per inuocationem alius ministri.

Et ratio ést, quia virtus eiusdem passionis per fidem Christi, quam inuocamus, copulatur nobis secundum illud ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidém in sanguine ipsius*. Vbi (vt supra diximus) tàm causa formalis, quàm instrumentalis eiusdem applicationis designatur. Tertiò eadem excellentia in hoc consistit, quod Christus potuit instituere Sacramenta, & ratio est, quod cum non nisi per institutionem virtutem sanctificandi obtineant, & virtus illa ex eius passione deriuetur ad ipsum, quatenùs per humanitatem Redemptor est pertinet ipsa instituere.

Quarta denique excellentia potestatis Christi est, quòd potest effectum Sacramentorum sine ipsis præstare. Cuius ratio est, quòd licèt effectus dependeat à causa, vt Sacramentum à Christo: Causa autem non dependet ab effectu. Vndè sicut Deus, sinè causis secundis potest earum effectus producere. Sic Christus Sacramentorum gratiam absq; eorum adminiculo.

Circà primam Conclusionem nihil notandum est; sed circá secundam, hoc vnum meditatione repetendum, quòd bis iàm anteà tetigimus scilicèt; q. 3. ar. 1. & ar. 5. nempè, quòd passio Christi, non fuit solùm causa meritoria gratiæ nostræ, sèd efficiens, & instrumentalis, contrà quam Scot. dis. 2. q. 1. & Durand. d. 5. q. 3. senserunt dicentes non fuisse causam, nisi meritoriam. Ob id enim, quòd hunc modum causæ in Christo nunquam auctores præter D. Thom.

vt

vt bona venia dixerint, intellexerunt, accidit illis, vt neque intelligere possent quemadmodùm Sacramenta, essent verè instrumentalis causa gratiæ.

Quòd autèm Christus per passionem fuerit verè causa efficiens, videtur Ioannem cap. 1. docuisse, vbi ait. *Lex per Möysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, & cum ait, facta est, non sòlùm meritoriam causam designat, sed quòd etiam per passionem instrumentalitèr in genere causæ efficientis illam fuerit operatus iuxtà illud Apoc. 5. *Lauit nos in sanguine suo*. Tenuissimè ergò Durand. illic sensit de Christo dicens, quod solùm in quantum Deus operatur effectum interiorem Sacramenti, & non in quantum homo. Hoc enim verùm est, tanquàm per propriam, innatamque auctoritatem, vt in conclusi one dicebamus.

Attamèn in quàntum homo non solùm meritoriè (vt ipse ait) verùm, & effectiuè per potestàtem diuinitùs susceptam, fuit etiam causa gratiæ. Quod patet ex illo Io: 20. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remissa erunt &c.* Cum enim dixit data, non solùm intellexit de illa æterna, quam per diuinam habuit generationem, sèd de illa, quam accepit in quantum homo. Efficientia enim hæc, in hoc consistit, quod sicut tactu oculorum cæci restituit ei visum, & sicut pictor manu pingit, sic, & passione sua per humanitatem, tanquàm instrumentum sibi etiam ad hoc officium vnitum, fuit causa faciendi nos gratos Deo.

Itàque illa passio, quatenùs suppositi infinitè grati offerentis illam Deo erat infinitè meritoria, quoàd sufficientiam, & quatenùs per illam soluebatur pretium erat satisfactoria, & quatenùs instrumentum coniunctum Dei erat instrumentalis causa gratiæ ad modum, qui q. 3. ar. 1. de Sacramentis expositus est. Illa enim qualitas, quæ gratia, oculos multorum fascinauit, nè adduci possent, vt credederent, vel Sacramenta, vel passionem esse causam gratiæ,

credentes indè sequi, quod creatura, illam crearet qualitatem. Passio ergò fuit instrumentum immediatum constituendi homines in gratia Dei, perindè acsi nulla existeret talis qualitas. Consecutiuè autèm causa extitit mouendi Deum, vt creando homines gratos, illam concrearet.

Eandem conclusionem quinque suis arg. D.Thom. comprobat. Cum enim, vt Io.1. legitur, *super quem Spiritus Sanctus descendit, sit, qui baptizat in Spiritu Sancto*, quod est internam gratiam infundere, & Spiritus Sanctus descenderit super eum non in quantum Deum, sed in quantum hominem, fit vt illa etiam ratione Spiritum Sanctum conferat, non quidèm autoritatiuè (hoc enim habet in quantum Deus) sed per humanitatem instrumentalitèr. Vndè flatu illo, & voce Ioan.20. *Accipite Spiritum Sanctum*; donum eius Apostolis contulit ad remittendum peccata per gratiam.

Secundò id patet ex illo Matth.9. *Sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terris dimittendi peccata*. Quem locum sinistrè illic Durandus intelligit, scilicèt, præcisè in quantum Christus erat Deus, & solum ministerialitèr in quantum homo. Imò verò non solùm fuit ratione humanitatis minister Sacramentorum verum, & auctor gratiæ modo exposito.

Eodem etiam pertinet tertium argumentum. Nam cum eidem competat Sacramentorum institutio, cui competit operari, tanquàm superiori causæ interiorem eorum effectum, & Christus in quantum homo illa instituerit, fit, vt eadem etiam ratione talem producat effectum.

Quartò cum nullus possit absque Sacramento eius effectum conferre, nisi propriam habeat virtutem in eundem effectum; & Christus in quantum homo remittat peccatum sine Sacramento, vt patet in Magdalena, fit, vt secundum humanitatem possit etiam conferre gratiam.

Quintò idem ex eo confirmatur, quod virtute passionis eius, Sacraamenta habent efficaciam. Ex quo fit, vt per eandem

eandem passionem sit causa gratiæ sub eisdem latentis. Omnia igitur argumenta ad hoc direxit, vt probaret, quòd Christus in quantum homo per natiuam auctoritatem operaretur interiorem effectum Sacramentorum. Omnium autèm solutionem committit Lectori ex cõclusionibus eliciendum, videlicèt, id argumenta non concludere, vt patet in argumento, sed contra.

Quoniam virtus, quæ in Sacramentis secretiùs operatur salutem, vt Augustinus, & Gregor. aiunt 1.9.1.can.Multi, est diuina, quarè non competit Christo, nisi, qua ratione est Deus. Concludunt autem, quod per auctoritatem excellentiæ, quatenùs homo sibi collatum, eundem effectum per humanitatem, tanquàm per proprium instrumentum producat: Atque eandem ob rem, tanquàm rem claram non curauit argumenta soluere, sed dixit, omnium solutiones ex superioribus colligi.

Circà secundã autèm excellentiam est dubium. Quomodò sacramenta sanctificantur in nomine Christi. Ad quod sunt, qui respondeant, vt Durand. l. c. illud intelligi de more antiquo, quo Apostoli vtebantur baptizando in nomine Christi; qui quidèm mos iam cessauit. At verò S. Thom. non singularitèr de Baptismo, sed vniuersim de omnibus Sacramentis id affirmat, nequè rem arctat ad priscum tempus, sed simplicitèr de præsenti loquitur. Quarè sensus non est ille, sed quod vniuersa Sacramenta nomine eius sanctificantur, hoc est, celebrantur: Atque inuocatione eius administrantur, quasi Sacramentorum ministri eius fungantur vice, & auctoritate.

Vndè emanauit illa responsio Pauli 1. ad Corinth. 1. Qui sese iactabant, vel à Paulo, vel ab Apollo baptizatos. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quasi dixerit, non nisi solo nomine Christi. Atque in hoc sensu ipse S. Thomas argumento vltimo exponit. Verùm est tamèn, quod ex hac generali conditione omniùm Sacramentorum per reuelationem emanauit

vſus ille priſcus baptizandi in nomine Chriſti.

Circà tertiam itidèm excellentiam adnotandum, quod Chriſto tanquàm Regi Regni Cœlorum competens fuit, cuncta remedia ad illum finem prouidere, atque adeò Sacramenta inſtituere, quibus non ſolùm per modum meriti, ſed etiàm per modum cauſæ efficientis, vt dictum eſt, virtutem gratiæ effectricem elargitur: Atque eadem ratione, & quartam excellentiam, eodem plano ſenſu percipere oportet, quam Durandus l.c. in eadem hærens ſalubria non pro dignitate intellexit:

Ait quippè, quòd Chriſtus nunquàm ſine Sacramento contulit effectum Sacramenti, niſi in quantum Deus; ſed in quantum homo dumtaxàt eumdem effectum meruit. Haud ergò ſic præcisè intelligendum eſt. Imò verò, quando Magdalenæ dixit, *remittuntur tibi peccata tua*, per illa verba (tamètſi non fuerint Sacramentalia) tanquàm per inſtrumentum, contulit ei gratiam, ſicùt per illud verbum *Epheta, quod eſt aperire*, cæco oculos aperuit. Et ſicùt per conſecratoria verba. *Hoc eſt corpus meum* tranſubſtantiatur panis in corpus, hactenus Sotus.

Quæritur 2. quomodo Sacramenta nouæ legis ſint neceſſaria ad ſalutem,& finem ad quem fuerunt à Chriſto inſtituta.

PRæmittimus pro huiuſmodi quæſito duplicitèr aliquid dici poſſe ad finem neceſſarium conſequendum. Primo ſecundùm quid, & ſecundo, ſimplicitèr. Neceſſarium ſimplicitèr eſt, quando finis nullo modo obtineri poſſit abſq; aliquo proportionato medio, vt ſunt pedes ad ambulandũ, & quia ſine illis homines minimè poſſunt iter peragere, idcirco pedes ſunt neceſſarij ſimplicitèr. Neceſſarium verò ſecundùm quid, eſt quando ſine aliquo medio finem conſequi poſſumus, ſed cum incommodo, & difficultate, vt eſt Equus homini ſano neceſſarius ad deambulandum ſecundùm quid; quandoquidèm cum equo faciliùs, & abſque eo difficiliùs perficitur iter.

Hoc

Hoc necessarium simplicitèr, modo, quo supra explicatum, duplex est; Vnùm dicitur necessariò necessitate medij, & alterum necessitate præcepti. Necessarium simplicitèr necessitate medij est quando medium, ità ordinatur ad consecutionem finis ex natura rei, siue ex pacto, siue ex institutione aliquius, vt eo deficiente nullus huiusmodi finem obtinere valeat, vt est sumptio cibi ad conseruandum corpus, quæ quidèm est necessaria simplicitèr necessitate medij. Currus verò ad lucrandum brauium, vt supra fuit dictum. Necessarium deniquè simplicitèr necessitate præcepti, dicitur illud, quòd dirigitur quidèm ad finem, sèd ex præcepto, quod absolutè loqendo si dæsit adhuc finis obtineri potest.

Ex præmissis colligitur, quòd si quis tàm culpabilitèr, quàm inculpabilitèr prætermittat, quod est necessarium ad finem necessitate medij, nullo modò finem consequ etur: Si verò omittat, quod est necessarium necessitate præcepti ob inuincibilem ignorantiam, bonam fidem, impotentiam, aut ob aliquam legitimam, & rationabilem causam, & hæc omnia inculpabilitèr adhùc finem consequitur. Sèd meliùs, & clariùs cum de Sacramentis in particulari erit agendum. his tamèn positis.

Dicitur primò, quoàd Dei omnipotentiam, nullum Sacramentum absolutè, & simplicitèr est necessarium necessitate medij ad vitam æternam consequendam. Probatur conclusio, quia Deus de potentia absoluta absque Sacramentis vtiquè homines saluare potest, si velit, quandoquidèm Dei omnipotentia possit vti, & istis, & alijs medijs, & tàm per Sacramenta, quàm extrà ipsa, quia virtus infinita Dei non est Sacramentis alligata, ità Angelicus Doctor 3. par. q. 61. art. 4.



Dicitur 2. posita Christi institutione Sacramentorũ, cuius finis fuit, vt nos ad Cœli gloriam medijs Sacramentis perueniremus, ex his nonnulla fuisse instituta, tanquàm media necessaria ad vitam æternam consequendam, intèr quæ primo

mo loco numeratur Baptiſmus, omnibus quidèm neceſſarius, & indifferentèr, Adulti ſaltèm in voto, & re ipſa paruulis. Idem dicendum eſt de pœnitentia cum pariter neceſſaria ſit ſaltèm in voto lapſis in mortale poſt Baptiſmum S. Thomas loc. cit.

Dicitur 3. nonnulla Sacramenta eſſe neceſſaria ad vitam æternam obtinendam non neceſſitate medij, ſed præcepti, quòd ſaltèm patet in Sacramento Eucharistiæ, vt habetur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua peccata, ſaltèm ſemel in anno fidelitèr confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pænitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerentèr ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione dùxerit abſtinendum &c.* An idem dicendum ſit de alijs Sacramentis, ſuo loco tractabimus.

Quæritur 3. Ex quibus partibus intrinſecè conſtent Sacramenta noua legis.

Sicùti omnia compoſita ſiuè ſint naturalia, ſiuè artificialia, vnumquodque eorum in ſe continet duas partes intrinſecas, materialem, ſcilicèt, & formalem, ità etiàm ſimili modo Sacramenta nouæ legis ſuas habent materias, & formas. Hìc tamen agimus de materia Sacramentorum in genere, & ſic notari debet, quòd Ariſt. 1. phiſ. teſt. 66. docuit: Nàm, vt ipſe ait, in rebus tàm naturalibus, quàm artificialibus per materiam intelligi debet, quod eſt indifferens, ſeù indeterminatum ad recipiendum plures formas, quibus varia fiunt compoſita e. g. materiam primam in naturalibus appellamus quandam partem ſubſtantiæ corporeæ, quæ eſt apta recipere formam hominis, ſiue leonis. In artificialibus aurum, vel lignum dicitur materia prima, & indifferens tàm reſpectu formæ, idèſt, ſtatuæ, quam anuli con-

construendi. Formam verò intelligimus actum materiæ vnitum, eò, quia ipsa forma determinat eius potentiam anuli confecti ex auro, & scamni ex ligno.

Sèd meliùs, & clariùs cum Bonacina de sacr. in genere disp. 1. q. 2. par. 1. n. 1. Cuius verba sunt, & hoc pro tyronibus. Explico rem exemplo scamni, & nauis, quæ sunt composita quædam artificialia in quibus reperitur materiale, & formale. Materiale scamni, seù materia totius sunt ligna, quæ constant ex sua materia, & forma physica; formale verò, seù forma totius, est aptitudo ad sedendum, quæ resultat ex lignis artificiosè dispositis; materiale scamni duo includit, materiam, scilicèt, partis, & formam partis. Materia partis est illa, ex qua compositum est lignum, quæ dicitur à Philosophis materia prima: forma verò partis est forma ipsius ligni, quæ constituit lignum in suo esse: Idem dicendum est de naui, in qua reperitur materiale, & formale; materiale sunt ligna; formalis est talis dispositio, & modificatio, qua ligna coniunguntur, & coaptantur ad constituendam vnam nauim. In materiali nauis duo sunt, materia partis, & forma partis. Materia partis est illa, ex qua composita sunt ligna; forma verò partis est illa, quæ constituit lignum in suo esse, vt dictum, est de scamno.

His positis, dicendum est, quòd si sermo sit de Sacramentis, quatenùs est quoddam compositum physicum, & hac habita ratione, fatemur Sacramenta pro matèria habere res corporeas, & sensibiles; verba verò pro forma. Si verò eadem accipiamus, vti composita artificialia, materia in Sacramentis dicuntur res, & verba. Forma verò erit institutio. & significatio operatiua gratiæ, vt in domo sunt ipsi lapides, ligna, & cęmenta, ex quibus fuit constructa: illa verò externa figura, & artificis dispositio, forma nuncupatur.

Quod omnia Sacramenta nouæ legis, constent ex materia, & forma, vel, vt alij dicunt, rebus, & verbis, verbis, vt forma, rebus, vt materia, est de fide, & colligitur ex Conc.

Floren. de institutione Armenorum, & Trid. in decretis de Sacramentis, in quo dicitur, omnia Sacramenta tribus perfici, rebus, vt materia, verbis, vt forma, & persona ministri cum intentione faciendi, quod intendit, & præcipit S. Mater Ecclesia; ità omnes Doctores, sed præsertim D. Thomas 3. p. q. 6. ar 4. & seqq.

Quæritur 4. Quotuplex sit materia Sacramentorum, & quæ eius conditiones.

Respondetur breuitèr. duplicem esse, remotam, scilicèt, & proximam. Remota sunt ipsæ res naturales, vt in Baptismo aqua elementaris, & in Eucharistia est panis, & vinum, aqua mixtum. Proxima verò est aliqua actio, vel passio, vt in Baptismate ablutio, quæ respectu ministri est actio, vel res aliqua immediatè ad formam supposita, vt in Eucharistia sunt ipsæ species Sacramentales panis, & vini, respectu verò suscipientis Baptismum est passio. Videatur Angelicus Doctor loc. cit.

Huiusmòdi materia omninò debet esse determinata, & ea solummodò, quæ à Christo fuit instituta, in vnoquoque Sacramento, & sicùti Christus eam in singulis determinauit, ità paritèr à ministris est determinanda. ità S. Thomas q. 50. art. 7. quem citat, & sequitur Bonacina vbi supra. Secunda conditio est, vt sit determinata in specie; idèst, sit eiusdem speciei, saltèm moralis cuiuscumque Sacramenti; qnandoquidèm physica minimè sit necessaria.

Materia eiusdem speciei est illa, quæ ad vnum tantùm finem proximum ordinatur, vt sunt partes Sacramenti Ordinis, quæ licèt physicè plures, & diuersæ videantur, nihilominùs omnes sunt eiusdem speciei moralis, & singulæ ad SS. Eucharistiam diriguntur. Attritio, & contritio, quamuis specie physica intèr se distinguantur, sub eadem tamèn specie morali considerari debent, quandoquidèm vtraque versetur circà dolorem, & detestationem peccatorum. S. Thom. q. 60. art. 5.

Minùsque necessaria est indiuidualis determinatio, cũ sit pro Sacerdotis arbitrio ex viginti hostijs e.g. vnam, vel alteram consecrare, & in Baptismate equidèm vti poterit aqua fluminis, fontis &c. cum aqua naturalis procedat ex earumdem principijs, vt docet S.Thom.loc.cit.

Tertia conditio est, vt cuiusque Sacramenti sit determinata quoàd qualitatem, idèst, vt sint illæ qualitates in ea, quæ verè inseruire possint administrationi Sacramentorum, & quæ si paritèr desint, minimè Sacramentum conficiatur, vt aqua, quæ in Baptismo adhibetur necessariò sit fluxibilis, cum aliàs non possit abluere; ex quo patet exclusam remanere aquam congelatam, sed exactiùs suo loco.

Quarta denique cõditio est, vt vniuscuiusque Sacramenti materia, sit determinata in quantitate, idèst, tanta, quanta verè dici possit sensibilis, & apta ad producendum effectum Sacramenti, e. g. in Baptismate non est idonea materia minutissima stillula aquæ; minùsque consecrari poterit quælibet quantitas panis, & vini, sed de his fusiùs agemus, vt diximus.

Instabis, quænam sit Sacramentorum forma? Respondetur, esse à Christo Domino determinata, & sic eadem omninò est proferanda. Hinc tamèn est, quòd nostra Sacramenta, vtpotè antiquis sunt perfectiora, vt fuit dictum. Constant enim verbis, & rebus, & sic dici debet nec quoàd voces, neque quoàd verba eadem variari possit.

Sed hìc quæri poterit, quòt modis in Sacramentis variatio contingat? Respondetur (si Filluccium sequamur) octo modis; quorum primus est, *idiomate*, idèst, si forma latina vertatur in Italicam, Græcam, Hæbraicam &c. Secundus *synonimis verbis*, vt si loco, *baptizo*, *abluo dicatur*. Tertius *transpositione verborum*; vt si proferens formam dicat, *meum est hoc corpus*. Quartus *interpellatione*, quòd euenire poterit per aliquod temporis spatium intèr prima, & præterita verba, puta, si Confessarius dùm pęnitentem absoluit, dicat *ego te absoluo*, deindè amicum alloquitur, & subiun-

git, *à peccatis tuis*. Quintus *alicuius verbi additione*, vt si baptizans dicat, *ego te baptizo in nomine* Patris, *qui te creauit, in nomine filij*, *qui te redemit in nomine* Spiritus *Sancti*, *qui te sanctificauit*. Sextus *subtractione*, vt si forma SS. Eucharistię proferatur. vel absque particula *enim*, vel sine particula *meum*. Septimus *corruptione*, quæ occurrit, quando quis proferens formam solęcismum committit, vel errat in quantitate dicens, *Hoc est enim corpus meus*. Octauus denique accidere poterit *signis*, vel *nutibus*, vt si quis velit proferre formam Baptismi, vel absolutionis solùm per nutus, & signa, minimè vocem articulando. Huiusmòdi mutationes memoriæ gratia, his duobus versibus continentur.

Nil formæ demas, nil pones, nil variabis.
Transmutare caue, corrumpere verba, morari.

Etsi octo iam modis descriptis, mutationes formæ in vnoquoque Sacramento occurrere possint, nihilominùs in duobus saltèm restringitur præfata descriptio. Primo substantialitèr, & secundo accidentalitèr. Substantialis mutatio accidit, quando mutata verba non retinent eandem significationem, quam Christus instituit, & tùnc per huiusmòdi mutationem, nullum prorsùs redditur Sacramentum, vt eruditè scripsit Fillucius cap.2.num.65. ex S.Thoma q.60. ar.8.

Huiusmòdi conclusionis ratio est, quia sensus est tanquàm anima verborum, & sic mutato substantialitèr sensu, mutatur paritèr anima, & essentia vocum. Mutatio verò accidentalis est, quando licèt mutentur verba formæ, sempèr tamèn remanet idem sensus, & significatio ipsius formæ, puta, si dicatur in Baptismo loco verbi *baptizo*, *abluo*, quia cum mutatio sit accidentalis, nullum Sacramento ponitur impedimentum, quin ipse Baptismus non reddatur validus. Est doctrina Angelici Doctoris q.60. ar.7. ad 3.

Immò Zacharias I. Papa rescripsit Bonifacio, vt habetur dist.4. de consec. ibi. *Retulerunt nuntij tui, quòd fuerit in eadem*

eadem Prouincia Sacerdos, qui latinam linguam penitùs ignorabat, dùm baptizaret, nesciens latinè loqui, & infringens linguam diceret, baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu Sancta. Ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit eos baptizare. Sed sanctissime frater, si ille; qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt supra fasi sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizetur.

Dubium hìc tamèn spectat dilucidandum cum S.Thoma loc.cit. ar.8. An scilicèt, & quomodò priuatus error, aut praua intentio Ministri formam proferentis, nullum reddat Sacramentum? Respondetur primò. Si Minister vera vsus fuit materia, & substantialem verborum protulit formam, cum intentione faciendi, quod Christus gessit, vel saltèm, quod Ecclesia facere consueuit, verè confertur Sacramentum, licèt ille occultè, contrà veritatem Sacramenti, errore teneatur. Colligitur ex Trid.sess.6.can.4. de Baptismo ibi.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quòd facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit. Et Conc. Arelatensi 1. can.8. *Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi Ariana venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes symbolum. Et si peruiderint, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponantur, vt accipiant Spiritum Sanctum.*

Vndè S. Augustinus lib. 4. de Baptismo contrà Donatistas cap.15. relat. in cap.48. dist.4. de consecratione, dixit. *Satis ostendimus ad Baptismum, qui verbis Euangelicis consecratur, non pertinere cuiusque, vel dantis, vel recipientis errorem, siue de Patre, siue de Filio, siue de Spiritu Sancto, alitèr sentiat, quàm cælestis doctrina insinuat.*

Et sic baptizati ab Arianis veram verborum formam proferentibus, ad catholicam Ecclesiam reuersi, denuò bapdi-

zandi minimè erunt, vt habetur in citato Concilio Arelaten. can.8.& alijs relatis à Layman.lib.5.tract.1.cap.4. nu.5. Vndè Græci verè consecrant in pane fermentato, licèt quidam sinistrè huiusmòdi ritum existiment, siue quod qualitas materiæ ad Sacramentum pertineat. Verè igitur baptizant hac forma vtentes. *Baptizetur seruus Christi &c.* & quamuis errando putent talem verborum ritum, quo persona Ministri, non exprimitur, vt ait Layman, ad Sacramenti necessitatem spectare.

Confirmatur nostra conclusio, quia sempèr Sacramentum conficitur, si interueniat forma substantialis, & nonminùs intentio conficiendi Sacramentum saltèm confusa, & implicita, dummodò Minister sempèr facere intendat, quòd Christus ordinauit, & vt verbis citati Authoris loquamur sequenti modo dicimus.

Cum enim hæc intentio conditionalis sit, seù ex suppositione existimationis falsæ, quòd hæc ipsa sit Christi institutio; ideò superatur ab altera confusa, ac generali intentione, & quæ absoluta est faciendi, quòd Christus instituit. Quemadmodùm si quis quærat, & omnimodè habere desiderat equum suum, quem omisit etsi particulari speculatione erret, existimans non esse suum equum, qui reuera suus est, ideoque eum respuat, is tamèn absolutè loquendo, potiùs hunc ipsum habere cupit. Vult enim habere equum suum, hic autèm, qui offertur, equus eius est. Ergò absolutè loquendo, eum habere vult, licèt per accidens, atque ex hypothesi speculatiui erroris, nolit.

Requiritur tamèn in hoc casu, vt Minister actuali contraria intentione non excludat Sacramenti virtutem. Puta, si Arianus nolit Baptismum cum inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti valere, nisi Pater sit filio maior. Vel si Græcus nolit Eucharistiam confici, nisi panis fermentatus sit de necessitate Sacramenti; tali casu, Sacramentum irritum erit, non quidèm proptèr defectum materiæ, aut formæ; sed proptèr defectum intentionis.

At

At si Minister errorem suum contrà Sacramenti veritatem in forma exprimat, siue in formam expresè inducat, nullum efficitur Sacramentum, vt subdit ipse Layman. cum hæc sit substantialis mutatio formæ. Desumitur ex S. Athanasio orat.3. contrà Arianos, circà medium. S.Greg.1. lib.9. epist.61. ad Quirinum Episcopum, & refertur in c. hi verò dist.4. de Consecrat. can.84. ibi.

Hi verò hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicùt sunt Bonosyani, & Cataphryges, quia, & illi Christum Dominum non credunt, & isti Sanctum Spiritum peruerso sensu esse quendam prauũ hominem Montanum credunt (quorum similes multi sunt), & alij tales, cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit, quod in errore positi in Sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt.

Et deniqne dicimus, quia quamplurimi possunt occurrere casus, quos ad Lectorem remittimus; si verborum forma contrà Catholicam consuetudinem, mutata, bifarium sensum habere possit; Vnum, qui sit veritati, & substantiæ contrarius; Alterum verò, qui ità sit, tùnc erit ponderanda intentio Ministri, an ille voluerit, vel non, inducere substantialem errorem. In dubio equidém præsumi debet voluisse huiusmodi errorem inducere, & consequentèr Sacramentum irritum esse, & idem dicendum est si ex industria formam mutauit, & vitiauit. Secùs verò si inuoluntariè, & proptèr imperitiam, est documentum Angelici præceptoris art.7. ad 3. & art.8. in Corpore, colligitur liquidò ex cap. retulerunt, vt supra &c.

Ratio desumi debet primò ex defectu intentionis Ministri, quia enim talis Minister actualem, & absolutam intentionem habet conferendi Sacramentum, secundùm falsum suum intellectum, non potest habere implicitam intentionem faciendi, aùt significandi, quod Christus instituit, aùt Ecclesia intendit. Cum ista intentio contraria, & repugnans sit actuali absolutæ eius intentioni. Secundò ex defe-

defectu substantiali ipsius formæ, si enim ea spectatis tùm verborum sono, tùm pronunciandi modo, alijsque circumstantijs omnibus, ambiguum, & indeterminatum sensum habent; determinabitur ad vnum certum sensum ab intentione Ministri proferentis; quarè, si hic sensus sit contrà veritatem Sacramenti, forma substantialitèr vitiosa censeri debet. Alia verò videantur, apùd Layman. loc. cit. à quo huiusmòdi quæstio fuit desumpta.

Hic tamèn spectat dilucidanda illa altera quæstio, an nimirùm, tota, & integra forma ab vno, eodemque Ministro sit proferenda, & vtrum sufficiens sit, vt vnus dimidiam; alter verò aliam partem proferat, puta, si vnus dicat *ego te baptizo*, & alius immediatè subiungat, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*? Respondetur huiusmòdi prolationem verborum, nullum reddere Sacramentum, quia quilibet eorum formam proferens verba substantialia omittit. Est igitùr tota, & integra forma ab vno eodemque Ministro proferenda.

Sed cum ad alia sit progrediendum, pro terminanda hac secunda sectione dicimus, quòd in tota militante Ecclesia materia, & forma Sacramentorum essentialitèr vna, & eadem est, licèt intercedere possint nonnulla accidentia pro rituum diuersitate, vt ex Græcis patet, in fermentato consecrantibus, & ex Latinis in azimo, & sìc sempèr dicendum est apùd omnes fideles physicè, vel moralitèr vnam esse formam.

Idemque firmamus de materia, eò quia variatio accidentalis, nunquàm inualidat Sacramentum, minùsque impedit illius validum vsum. Ex quo sequitur Latinum baptizantem more Græcorum per trinam, scilicèt, immersionem non licitè, sed validè baptizare, & in fermentato consecrare, & è contra, Græcos idem facere posse. Sed non sine sacrilegij labe ob inobseruantiam suorum ritus, & vsus.

SE-

SECTIO III.

De Ministro Sacramentorum.

EGimus in primo quæsito præcedentis sectionis de causa efficiente Sacramentorum, ad præsens dicendum restat de causa ministeriali, idèst, de Ministro concurrente ad conficienda Sacramenta in nomine, & virtute Christi, qui dici potest instrumentum conferendi gratiam, vt habetur 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*, & 2. Corinth. 3. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*, ità S. Thomas q.64. art.1.

Nullius tamèn esset valoris illa obiectio, quæ fieri solet. In scriptura, nimirùm, legitur solum Deum posse iustificare impium, & gratiam conferre, iuxtà illud Matt. 9. *Nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus*, & ad Romanos 8. *Deus, qui iustificat*. Ergò nullus pratèr Deum, videtur posse conficere Sacramenta, quandoquidèm per Sacramenta peccata condonentur, & homines iustificentur. Quia respondetur, quòd Deus solùm est causa principalis gratiæ, nèc ipse excludit, quin homo esse possit causa minùs principalis, ministerialis, & instrumentalis, vt patet ex dictis, & hic additur; Paganum baptizantem, esse instrumentum efficiens gratiam.

Deuenimus modò ad Sacramentorũ Ministrum, & certè fatemur solùm esse Viatorem. Ratio desumitur ex Euangelistis Marci 18. & Matt. 28. ibi. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Docentes eos seruare omnia quecunque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

Vt

Vt legitimus efficiatur Minister (excepto tamèn Baptismo, & Matrimonio) duæ in eo debent concurrere conditiones, quoàd alia quinque. Prima, vt Minister sit ritè, & rectè ordinatus. Secunda verò, vt vsu rationis sit præditus, aliàs minimè ad Sacramenta conficienda cum necessarijs requisitis concurreret, quandoquidèm debita intentione careret. Ex his igitur positis.

Infertur primò, Infantes, amentes, & vsu rationis quomodolibet carentes, nullo modo posse esse Ministros Sacramenta conferendi, cum non habeant requisitam, & necessariam intentionem illa administrandi, & debeant paritèr exercere actus humanos elicitos cum plena libertate, & fortiùs, quia Christus non omnibus contulit potestatem conficiendi, & administrandi Sacramenta, vt videbimus, cum de singulis Sacramentis agendum erit. S. Thom. q.64. supra cit.

Infertur secundo, ex eodem Angelico Doctore loc. cit. art. 7. in Corpore, validum fore Sacramentum ab aliquo Beato, vel Angelo administratum, verbis, per assumptum corpus, prolatis, ex diuina dispensatione, & ratio est, quia, sicùti Deus absque Sacramentis potest illorum effectum producere; ità paritèr potest Angelos Sacramentorum Ministros constituere, quandoquidèm virtus, & omnipotentia Dei nulli legi sit alligata.

Nèc dicit implicantiam, quòd Angeli, & Animæ in Cælis existentes propriè voces articulare non possint, cum vox, & locutio viuentis sit actio; nàm in huiusmòdi contingentia satis erit, vt Angeli, & Beati proferant voces similes vocibus humanis, idèst, vt quæ ab hominibus percipi possint.

Infertur tertio, si de potentia ordinaria à Diabulo aliquod administraretur Sacramentum, nullum siquidèm, & inualidum erit existimandum, cum minimè sit credendum, Deum Diabolo concessurum facultatem vera Sacramenta conferendi, & fortiùs, quia Diaboli sempèr proni, & intenti

tenti sunt ad perniciem, & hominis perditionem, & nunquàm ad beneficia, & eorum salutem, ita S.Thomas art. 7. cit.

Infertur quarto, minimè negandum esse, quin Diaboli de potentia Dei absoluta, assumptis corporibus, de mandato ipsius validè Sacramentum Baptismi, e. g. administrare possint; quandoquidèm isti Spiritus immundi, tanquàm creaturæ sint Diuinis præceptis subiecti, quibus omni promptitudine omninò stare, ac obedire debeant.

Séd si dicatur cur Deus potiùs homines, quàm Angelos Sacramentorum Ministros constituerit? Respondetur cum Doctore Angelico art. 7. cit. Soto in 4. sent. dist. 1. q. 5. ar. 7. & alijs, rationem fundari posse in conformitate, quam vnus homo habet cum alio, scilicèt, eiusdem speciei, & ideò filius Dei carnem assumpsit humanam, & factus est homo, vt homo iàm per peccatum deperditus, & consequentèr in inferno constitutus, ad cælestem patriam reuocaret. Quæri nùnc poterit, qualis nam in Ministro requiratur intentio, vt non solùm licitè, verùm etiàm validè Sacramenta administrare possit?

Pro huiusmòdi responsione præmittendum est, *Intentionem esse actum voluntatis in finem directum*; & non minùs Sacramentorum formas diuersas habere significationes, & sic ob varios fines proferri posse, vt est e. g. forma Baptismatis, nimirùm, *ego te baptizo*, quæ significare etiàm potest corporis à sordibus ablutionem, ab ardoribus refrigerium &c. & paritèr significare animæ ablutionem potest, & cum hæc, & similia verba Minister proferre possit tanquàm psiectacus; & absque intentione faciendi per illa verba id, ad quod Sacramenta fuerunt à Christo instituta, idèst, ad veram animæ ablutionem internam, idcircò Sacramenta valida quidèm minimè conficerentur.

Ratio vera, quæ afferri potest, est, quia verba cum sint indifferentia quamplurima (vt alias firmauimus) significare poterunt, & sic, vt intentio Ministri rectè, & legitimè

significet, omninò determinari debet. Necessarium insupèr minimè est, vt Minister huiusmòdi intentionem explicitam, & distinctam habeat; sed satis superquè erit; si facere intendat, quòd Ecclesia Dei seruat, & præcipit, sed meliùs ageret si ad mentem Christi Sacramentum conficiat. Est sensus Angelici Doctoris quæst. 64. ar. 8. & 10. ad 3. & Trid. sess. 7. cap. 11. ibi. *Si quis dixerit in Ministris, dùm Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltèm faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Ex dictis adhuc paritèr inferri poterit, quòd si Minister suam dirigat intentionem ad faciendas quasdam actiones Sacramentales externas merè naturales, & nil aliud vlterius intendat, puta, dùm quis Sacramentum baptismatis administrat solummodò infantem lauare velit, aut in extrema necessitate moribundum inungat, secundum communissimam Doctorum sententiam, Sacramentum tali modo collatum, nullum vtique, & inualidum erit.

Ratio est, quia esset contrà Christi institutionem, & benè quidèm constat ex sacris literis supra notatis: Ministros Ecclesiæ esse dispensatores ministeriorum Dei, hoc est, vt velint, & sciant rectè applicare Sacramenta, tanquàm sacra signa, cum intentione saltèm generica significandi, & perficiendi omnia à Christo instituta, aliàs indignus Minister faciendo (est de fide, & secundum tamèn præsentem iustitiam) in vinculis æternis detrudendus erit.

Instabis, quotuplex sit intentio, respondetur triplex, nimirùm, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis est quando Minister actu habet intentionem superiùs explicatam; quæ necessaria non est, vt multi scrupulosi facere solent scilicèt, vt ore exprimatur, vel mente concipiatur, dicendo, *volo consecrare, vel intendo facere, quod Ecclesia vult, & intendit &c.* Sed satis erit, si Minister prudentèr, & moralitèr attendat qualitèr, cum actio conficiendi Sacramenta sit humana, & sic humano modo debet exerceri. Sotus in 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 8.

Vir-

Virtualis intentio, tùnc est in Ministro, quando actualis præcessit, & quæ nihilominùs, aliquo modo, per quemdam effectum, siue virtutem remanet in operante, & qua mediante, adhùc mouet ad operandum; & sic multi asserunt ad intentionem virtualem requiri, quòd non existat actualis, quod si adesset non foret virtualis. Sed hoc minimè probatur, nàm intentio actualis actu est in operante, quando actio exterior ad finem ordinatur.

Minusque percipi potest, quòd dum Sacerdos baptizat e.g. virtuali intentione, dici possit, quòd non habeat intentionem baptizandi, cum actio baptizandi sit effectus illius intentionis actualis, vt omnes Doctores loquuntur, & firmant; ergò debet actu esse in operante, & fortiùs, quia tùnc implicaret non esse causam, cum reuera ipsa suum producat effectum scilicèt illius causæ, & sic dicimus intentionem virtualem adhùc etiàm esse actualem; cum hac tamèn differentia, quod actualis est valdè explicita, & distincta: Virtualis verò multùm tenuis, & confusa, & quasi imperceptibilis. Videantur reliqua apud Sotum l.c.

Habitualis intentio duplex est, vna reperitur in eo, qui aliquid facit ex habitu relicto à partibus eiusdem intentionis sæpè, sæpiùs repetitis. Alia verò est, quando habita priùs actuali intentione, & non fuit retractata, siue reuocata per actum positiuum contrarium, puta, si quis habeat actualem intentionem adeundi Mediolanum, & eam non reuocando Romæ maneret, huiusmòdi intentio non retractata, dicitur in eo perseuerare quousq; hìc verè maneret, nèc aliquid faceret quamdiù iter pararet.

Ex his igitur tribus intentionibus: Actualis est alijs melior, sed in Sacramentis conficiendis, non requiritur, vt firmauit S.Thom. relatus à P.Soto l. c. alioquin Deus obligaret nos ad impossibile, cum humanum ingenium sit adeò lubricum, vt cogitationem non diù in re vna retinere possit. Vndè August. in libro de libero arbitrio inquit, *non esse in potestate nostra, quin visis tangamur*.

Virtualis, quam diximus esse actualem, sèd tenuem, & quasi imperceptibilem necessariò, in Ministro conficiente Sacramenta, requiritur. Est sententia S. Thomæ Aquinatis q.64. art.8. ibi. *Si In ipso exercitio actus, cogitatio ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis Sacramentum perficitur, quamuis studiosè curare debeat, vt etiàm actualem intentionem adhibeat.*

Quòd sola virtualis intentio sit sufficiens, certissimùm est, quia Deus in confectione Sacramentorum, maiorem intentionem, & attentionem non exigit, quàm quæ exhibentur in omnibus actibus humanis, in quibus sempér interesse debent huiusmòdi intentio, & attentio cum nullum assignari possit discrimen, regularitèr loquendo, intér intentionem actualem, & virtualem, vt patet ex dictis.

Nèc dicatur, Angelicum Doctorem affirmasse intentionem habitualem sufficere, quia licèt dixisset habitualem, virtualem tamèn expressit, dùm fasus fuit sufficere, quòd Sacerdos accedens ad baptizandum intendat facere, quòd facit Ecclesia, in cuius intentione, seù virtute posteá operatur. Séd illam vocauit habitualem, quia fortasè, vt ait, Sotus l.c. tempore suo non sic vocabatur: quoniàm operatur admodùm habitus permanentèr absente actu. Immò possèt esse virtualis intentio, sine habitu. Vt si quis modo inciperet Sacramenta ministrare, nondùm genito, & firmato habitu.

Ad cognoscendum, quanta esse debeat intercapedo temporis, & sufficiens sit, vt illa intentio, quæ præcessit, neque in virtute duret; dicendum est, quòd si Sacerdos, vt fatetur Sotus loc. cit. illa die, qua nascitur infans, proponat illum baptizare, séd tamèn in toto dierum octauario, nunquàm ampliùs de eo cogitet, séd sicùt dùm quis barbam absque vlla cogitatione fricat, sic illum fortuito octauo die baptizet, profectò videtur baptismus ille absque legitima intentione fieri.

Adhoc autèm, non opus est alia responsione, quam verba

verba S. Thomæ repetere. Ait nàmque virtualem intentionem requiri, vt quando Sacerdos ad Sacramentum ministrandum accedat, tùnc intendat facere, quòd facit Ecclesia. Itaque requiritur tam proxima intentio, vt illa moueat membra, vel adeundum Ecclesiam, vel ad præparandum se &c. ita ùt tota illa actio sit actus humanus, & operetur virtute prioris deliberationis.

Séd vrgentius dubium mouet, quòd sunt multi Sacerdotes, qui nunquàm cogitant facere, quòd facit Ecclesia, imó forsan, qui in tota vita sua, nunquàm illam intentionem sub illa forma habuerunt. Propterea dicunt aliqui, exigi quidem, vel actualem, vel virtualem intentionem ad applicandam materiam, & formam in Baptismo, vel ad proferenda verba in Eucharistia &c. vt tales actiones sint humanæ; séd tamèn de fine illo faciendi, quòd facit Ecclesia sufficere habitualem intentionem.

Séd tamèn si hoc nomine intelligatur habitus genitus ex pluribus similibus actibus, forsan neque hìc requiritur, quia fortassis Sacerdos, neq; huiusmòdi actus vnquàm habuit. Respondetur ergò, quod non requiritur sempèr intentio formalis huius, quod est facere, quòd fecit Christus, vel Ecclesia intendit, séd aliqua confusa, in qua hæc includitur.

Dixerim e.g. quòd si quis ordines sacros suscipit, intentione, vt sit Sacerdos, & Minister Ecclesiæ, & posteà consueuit celebrare, & alia administrare Sacramenta, neque vnquàm per actum contrarium cogitat alitèr ministrare, quàm Christus, Ecclesiaque iubet illa consuetudo, quæ nominari potest habitus, sufficit, vt quotiès per actus humanos administrat intendere censeatur facere, quòd facit Ecclesia.

Ex his ergò fit consequens, nèc dormientem, neque amentem defectu intentionis posse Sacramentum conferre. Quòd si contrà arguas. Si quis dùm iuit dormitum, vel in amentiam lapsus est, habuit intentionem suscipiendi Baptis-

Baptiſmum, illumque poſteà in amentia, vel in ſomno ſuſcipiat, Baptiſmus tenet, vt habetur in Can. *Maiores de Baptiſmo*, & Innocentius ait, vt alias fuit ſatis dictum, ergò à pari ratione ſi quis, dmù iuit dormitum, vel incidit in amentiam, propoſitum habeat conferendi Sacramentum, illud erit ratum; licèt in ſomno, vel amentia illud conferat.

Sèd negatur conſequentia, quoniam recipiens, non eſt agens, cui ideò hoc dumtaxàt eſt neceſſarium, vt obicem non apponat, vt illic ait Innocentius. Conferens verò, eſt agens, qui ideò tenetur per operationem humanam Sacramentum miniſtrare. Qui verò meliùs, & clariùs de huiuſmòdi materia eſſe informatus voluerit, obſeruet, quæ P. Sotus ſcripſit loc. iam citato; & in particulari Paragraphum vltimum, qui incipit. Poſtremum denique dubium eſt.

Sèd hìc duo occurrunt grauiora dubia dilucidanda, vnum pro paruulis; alterum verò pro adultis. An, nimirùm, Sacerdos volens habere intentionem baptizandi infantem malitiosè, vel abſoluendi pœnitentem benè equidèm diſpoſitum per actum attritionis in huiuſmòdi caſibus ſuppleat Deus defectum intentionis illius Miniſtri?

Quoàd primum reſpondetur, minimè S. Thomam q. 60. art. 7. relatum à Soto aliàs citato, docuiſſe per verborum formam determinari materialē actionem ad illum effectum, ac proindè non opus eſſe alia intentione. Negatur conſequentia, quia illa verba *ego te baptizo*, niſi illa eſſent intentione veſtita faciendi quod facit Eccleſia, numquàm ablutionem ad ſanctificationem referrent. Itaquè intentio proximè determinat formam, & per formam, materiam.

Hoc autèm explicatiùs S. Thomas in ſolutione primi exponit. Arguit ſiquidèm, vt fatetur Sotus cit. Miniſter in Sacramento, non operatur, niſi tanquàm inſtrumentum: Actio autèm non perficit ſecundùm intentionem inſtrumenti, ſed ſecundùm illam, quæ eſt in principali agente mo-

mouente instrumentum: ergò sufficit intentio Dei, sine alia Ministri.

Respondetur, secundam præmissam solùm habere locum in instrumentis inanimatis, quæ non agunt per cognitionem: Calamus namque, non propria, sèd sola intentione scribentis mouetur. Minister autèm, vt sæpè diximus, non est merum instrumentum, sèd animatum, vtpotè qui licèt moueatur imperio, directionèque Superioris, nihilominùs etiam suum adhibet consensum, & ideò requiritur in ipso intentio similis principali agenti, vt scilicèt intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.

Immò addit Sotus. Circà hoc tamèn postremum verbum adnotandum est, de huiusmòdi intentione trinam esse ambiguitatem. Prima versatur; circà eius obiectum, quid, nempè, debeat Minister intendere: & hæc tangitur præsenti verbo. Secunda circà eius existentiam, videlicèt, an semper requiratur internus mentis actus, an verò sola sufficiat externa verborum proiatio, & hæc tangitur in secundo argumento. Tertia vtrum ille actus debeat esse præsens, dùm Sacramentum confertur; an verò sufficiat esse in habitu, vel virtute.

Et quidèm de primo membro S. Thomas nihil aliud dicit, quam, quòd requiritur intentio faciendi, quòd facit Christus, & Ecclesia. Atque id in Conc. Florentino sub eisdem verbis determinatum est. Et profectò hoc satis est Ministris nosse. Scotus verò ad huius loculentiorem explicationem in 4.dist.6.q.5.distinguit de obiecto huius intentionis. Potest enim quis primò intendere abluere hominem. Atque hanc primam intentionem ait esse requisitam, aliàs non esset actus humanus, vt supra dictum est.

Secundò inquit, potest ferri intentio in finem illius ablutionis, aut supremum, qui est facere hominem Dei filium per gratiam, per quam acceptatur ad gloriam: aut proximum, qui est facere illum Christianum, hoc est, membrum Christi, seù viuum, seù mortuum, quale fit sine gratia per fidem informem.

Ait

Ait ergò non requiri intentionem, quæ feratur in illum supremum finem, quo viam Paganus dùm baptizat, haùd credit per illam cæremoniam baptizatum illum diuinitùs acceptari in vitam æternam, requiritur tamèn, vt feratur in proximum finem. Et quidém conclusio hæc, quantum ad priorem partem certissima est ex Iure Canonico, nàm 1.q.1.can.Spiritus Sanctus.

Refertur historia Ecclesiastica de puero Athanasio, qui fingendo se Episcopum ludo baptizabat pueros, intendens Alexandriæ Episcopum repræsentare, hoc est, id facere intendens, quod ille solebat. Quos ipse Alexander verè baptizatos censuit, & tamèn puer ille tùnc nihil de vita æterna cogitabat. Quæ Canonis verba sunt sequentia.

Spiritus Sanctus in Sancta Ecclesia etiam isto tempore, quo velut granum cum palea trituratur, sic operatur, vt nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atq; ita reprobos fugiat, vt etiam per eorum ministerium probos colligat.

Ecce quando ab hæreticis baptisma cum sua virtute accipitur; cuius tamèn necessaria administratio est, vt nèc etiàm à paganis datum possit reiterari. Vndè in Ecclesiastica historia legitur, quòd Alexander Episcopus Alexandriæ, cum Petri martyris solemnia celebraret pòst expleta Missarum Sacramenta, vidit supèr oram maris puerorum ludum imitantium, vt fieri solet, Episcopum, & gerentium ea quæ in Ecclesia geri mos est.

Mòx eos ad se perduci iubet, & quid egissent percunctatur. Illi rei ordinem pandunt baptizatos à se esse quosdam Cathecumenos confitentur per Athanasium puerum, qui illis fuerat Episcopus simulatus. Vbi ex responsis eorum vidit secundùm religionis nostræ ritum cuncta constare, statuit illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa iterari baptismum non debere, sèd adimpleri ea, quæ Sacerdotibus non est.

Habetur pariter ex Can. Non illud de consecr. dist.4. vbi

August.

August. Epist. 23. ait ad Bonifacium. Non illum te moueat, quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum paruulos ferunt, vt gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sèd, quòd eos putant hòc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

Et síc Augustinus firmat, quòd licèt quis non proptèr finem vitæ æternæ, sed proptèr aliquem temporalem finem baptizet suos paruulos, verum est Sacramentum (intellige si fiat cum intentione Ecclesiæ.) Quinimmò, vt art. 10. apùd D. Thomam patebit, licèt quis intentione peccandi mortalitèr baptizaret, intendendo scilicét adulterium, vel homicidium, si tamén intenderet facere, quod Ecclesia facit esset Baptismus.

Quòd autém requiratur intentio faciendi hominem Christianum, non alitér probat Scotus, quám, vt illa lotio distingueretur ab alijs prophanis, & fieret intentione Christi, qui id intendit. Nihilominùs neque ista requiritur expressa, & in particulari, sed confusa, & in genere faciendi, quod Christus, & Ecclesia facit quicquid illud sit. Quaré néc duæ requiruntur exprefsè, scilicét, vna abluendi, & altera huius effectus, sed hæc sola generalis modo dicta.

Ob idque prudentér S.Tho. de nulla præterea meminit. Neque verò Conc. Florentinum, sed hanc omninò D. Thomas ait, sufficere. Contrá hoc autém arguitur. Inuestigando, vtrum requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana, vel Catholica. Hæretici námque non habent huiusmòdi intentionem. Imò néque Græci ad Romanam Ecclesiam specialiter aspiciunt.

Respondetur, quòd nèque hoc exprimere opus est, sed sufficit generalissima intentio faciendi, quod Christus instituit, vel orthodoxa Ecclesia, quæcunque illa sit. Quaré licèt Hæreticus erret sit né sua Ecclesia, vel alia veré baptizat. Imò néc requiritur, vt formalitér dicat, quod facit

Ecclesia ; sed satis est, si intendat talem cæremoniam in remissionem peccatorum facere, vel, quod per illam Deo sit ille dedicatus. Imò vt statim de puero Athanasio, satis est intendere id facere, quod facit Episcopus, vel Sacerdos, hæc enim omnia eandem habent vim, & virtutem.

In secundo argumento, tangitur secunda difficultas. Arguitur enim. Nemini esse potest nota alterius intentio, si ergò intentio Ministri ad Sacramenti substantiam sit necessaria, tùnc ille, qui suscipit certus esse nequit, an susceperit, & cum aliqua sint Sacramenta ad salutem necessaria, vt baptismus, nemo certitudinẽ habere posset suæ salutis.

In responsione autém impugnata vna opinione, sequitur altera. At siquidèm quorumdam opinionem fuisse, quòd & si mentalis intentio ministri sit necessaria, audiui quosdam legere specialis, sed si ad literam attendas, nullatenùs legendum iudicabis, nisi mentalis, tamèn vbi illa deest. Defectum illum in pueris, qui baptismum flaminis habere nequeunt, supplet Christus, qui interiùs baptizat: Adultis verò, baptizari cupientibus sua fides, & deuotio sufficit.

Reprobat autém hoc D. Thomas dicens, quòd licèt id sustineri posset quantum ad gratiam iustificantem, non autèm quantum ad characterem, qui veré facit Christianum, nàm ille per solam deuotionem suscipientis sine Sacramento in re non imprimitur. Solutio ergò vera est, quòd cum minister in persona totius Ecclesiæ agat, cuius est minister, prolatio formæ satis exprimi intentionem Ecclesiæ, quæ ad susceptionem Sacramenti sufficit, nisi contrarium exteriùs, vel ex parte ministri, vel ex parte suscipientis exprimatur.

Vt autèm ab hoc postremo exordiamur, videatur hic D. Thomas insinuare, nullam exigi intentionem ministri interiùs in mente, sed satis esse exteriorem verborum prolationem. Quam quidèm opinionem Palud. dist. 6. q. 2. ar. 3; vt probabilem recitat, non tamén tanquàm S. Thomæ, sed aliorum ea nomine refert.

Aic-

Aiebant enim illi, quòd in Sacramentis, vbi minister non est principale agens, sed merum instrumentum, non requiritur mentalis intentio faciendi, quòd Christus, vel Ecclesia facit; sed solùm applicandi illam materiam, & proferendi illam formam, tùnc enim intentio Ecclesiæ sufficit. Nàm dùm Dominus per seruum rem suam vendit, licét seruus ille minimè intendat transferre rei illius dominium non vitiatur contractus.

Et dùm quis per interpretem confitetur, aùt per nuntium contrahit matrimonium quanquàm interpres, aut nũtius nihil intendat, nisi proferre verba, Sacramentum, & contractus tenet. Et dùm quis stuppam applicat igni, quãuis non intendat illam inflammare, nihilominùs inflammabitur. Et apparet eidem opinioni verbum Augustini tract. 5. in Ioannem 1. q. Can. 161.

Dedit baptismum Iudas, & non baptizatum est, post Iudam: dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannem, quià, qui datus est à Iuda, Baptismus Christi erat, qui autèm à Ioanne datus est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed Baptismum Christi, etiàm per Iudæ manus datum, Baptismo Ioannis etiàm per manus Ioannis dato rectè præponimus, & paulò post.

Quos baptizauit Ioannes, Ioannes baptizauit, quos autèm baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Sic ergò, quos baptizauit ebrius, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, si Baptisma Christi erat, Christus baptizauit. Itém paucis interiectis. *Quòd Sacramentum tàm Sanctum est, vt nèc homicida ministrante polluatur.*

Vbi Augustinus ait, *Non timeo ebriosum in actu baptizandi, ebrius autèm nequit intentionem habere*. Itèm illa historia citata de puero Athanasio, qui ludo baptizabat pueros, vbi idcircò nullam videbatur habere intentionem Ecclesiæ, cuius tamèn Baptisma Alexander ratum habuit, vt dictum fuit.

In matrimonio autèm dicebat illa opinio, requiritur intentio contrahentium quoniám contrahentes nõ sunt me-

ra instrumenta, séd principales causæ ipsum contrahendi. Et paritèr omni suscipiente Sacramentum, quiá suscipiẽs non est instrumentum, sed ille, qui sanctificari intendit.

Durandus autẽ dist.6.q.2.hanc opinionem impugnat, atque Adri.in q.de Baptismo art.3.quæst.4. Nisi quòd Durand: non recitat eam tanquàm S. Thom. sed Adria.est, qui ei ipsam proptér hæc verba impigit. At profectò, vt est falsissima, itá nullatenùs est S.Thomæ.

Primùm enim si nulla esset intentio necessaria faciendi, quod facit Ecclesia, vana esset assertio Doctorum, & Concilij Florentini, qua definitur requiri præter materiam, & formam, intentionem ministri, nàm in hoc quòd dicitur materia, & forma, intelligitur, quòd velit tám materiam applicare, quàm formam, actus enim exterior, & volitio interior pro eodem reputantur.

Cum ergò insupèr addatur requiri intentionem, alia intelligitur. Itèm, quia tùnc si quis merè iocando alium Baptizaret, non intendendo facere, quod facit Ecclesia, sed solùm volendo applicare materiam, & formam, quas ipse applicat, esset verus baptismus, quòd est erroneum.

Ad hæc si intentio suscipientis requiritur, vt infrá &c. ob id, quód ille est subiectum recipiens, multò efficacius requiritur in Ministro: Nàm actio potiùs pensatur ex parte agentis, quàm ex parte passi, & quòd illa cum sit opinio S.Th.palàm híc est manifestum.

Ait enim, quòd requiritur intentio (quòd quidèm nomen sonat actum mentis) quòd determinentur materia, & forma ad talem effectum. Requiritur ergò secundum eum intentio, non solum applicandi materiam, & formam, sed ipsius effectus, quem subindè explicat in solutione primi, dicens.

Quòd licèt in instrumento inanimato non requiritur intentio; requiritur tamèn in eo, quod est animatum, atque adeò requiritur in ministro intentio faciendi, quod fecit Chri-

Christus, & Ecclesia intendit. Non ergò credendus est illicò in solutione 2. sibi contradixisse. Quapropter Palud. hanc etiam censet opinionem S. Th. vt diximus.

Vndè ad argumenta alterius opinionis respōdetur. quòd quando dominus vult per voluntatem, & prudentiam serui negotium transigi, profectò eius intentio etiam requiritur. Christus autém voluit per ministros Sacramenta administrari, tanquàm per illos, quibus negotium demandabatur, & ideò requiritur in ipsis intentio faciendi, quod ipse instituit.

Ad illud autém Augustini *non timeo ebriosum*. Respondetur non dixisse ebrium, qui est ille, qui actu caret rationis vsu, ille enim non magis potest baptizare, quám mente captus; ebriosus autèm habere quandòquè potest rationis lumen, vt baptizet.

Ad aliud autèm de historia Athanasij. Respondet bené Hugo lib. 2. par. 6. cap. 13. quòd hominem quidpiam facere ioco stat dupliciter. Vno modo fingendo se facere, quod non facit, vt cum quis in comædia fingit se lugere, & non luget, & per talem fictionem non fieret Sacramentum.

Altero modo verè id faciendo, licèt ioco, & isto modo faciebat ille Athanasius, ludendo enim intendebat, facere, quod Episcopus faciebat, non solùm applicare materiam, & formam, sed facere quicquid ille intedebat, quòd perindè valebat, ac si habuisset intentionem faciendi; quod facit Ecclesia. Secùs si per merum iocum id fieret.

Ait enim August. lib. 7. contrà Donatistas cap. 53. & refertur de consecr. dist. 4. Can. *solet*, quòd vbi totum ludicrè, mimicè, & iocularitèr ageretur, cum approbandus esset Baptismus, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum esset expectandum. Hæc ille. At verò vbi res esset dubia, non opus esset miraculum expetere, sed denuò iterandum esset sub conditione Sacramentum.

Tandèm ad Adri, qui arbitratus est illam reprobatam opinionem fuisse S. Th. Respondetur cum Caietano, quòd

ex

ex eius argumento debuisset eius mentem expiscari, argumentum enim instituebatur non de intentione, si requiratur, sed solùm de certitudine suscipientis, & ideò non somniauit dicere sufficere in ministro prolationem verborum, sine mentali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, sed illam prolationem sufficere ad conscientiam suscipientis pacandam, nempè, vt certò credat ministrum talē habuisse intentionem, nisi contrarium alia via certiùs constiterit, hæc omnia Sotus citatus.

Sèd eò quià ad alia progredi debemus pro solutione quæstionis propositæ, dicimus, quòd si infans minimè fuerit baptizatus cum debita intentione ministri, vel ad adultus licèt attritus non fuerit malitiosè à Confessario absolutus; neuter gratiam iustificantem consequetur. Ratio est quià cum Christus suppleat in pueris (idem dici poterit de adultis modo descripto) defectum ministri requisita intentione, carentis hoc non est certum. Stat enim lex generalis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.*

Sèd adhùc instabis, vltra prædicta, quotuplex sit intentio. Respondetur duplex, nimirùm, absoluta vna, conditionata altera. Prima illa dicitur, quæ simplicitèr, absolutè, & absque vlla cōditione in finem dirigitur, puta, dùm minister proferendo formam Baptismi, vel Pœnitentię, dicat, *ego intendo baptizare, & absoluere, &c.*

Conditionata verò est, quando quis intendit aliquid facere, præcisis modis prædictis: sed sub aliqua conditione; puta, si dixerit, *volo baptizare si non es baptizatus, &c.* Sed modò hìc quæritur, quænàm ex his intentionibus ad conficienda Sacramenta requiratur? his igitur positis.

Respondetur intentionem absolutam esse necessariam, quià intentio ministri, in conficiendis Sacramentis, omninò debet esse efficax, quæ reuerà est absoluta, nàm, ait Caietanus in summa *verbo absolutio* non est in potestate

Con-

Confessarij ministrantis Sacramentum, illudque conferentis, & eius effectum in aliud tempus implendæ, nimirùm, conditionis, suspendere.

Respondetur insupèr, Sacramentum collatum sub conditione de præsenti, puta, si minister dicat. *Si tu es masculus ego te baptizo*. Vel sub conditione de præterito dicendo. *Si tu non fuisti baptizatus ego te baptizo*. Validum esse quià conditio de præsenti; vel de præterito non suspendit actum, cum conditiones in his, & similibus casibus, ac si non fuissent appositæ, habentur]. Bonac. hic disput. 1. 9. 3. par. 3.

Sed quid, si Sacramenta administrarentur sub conditione de futuro, puta, si minister dicat. *Ego te baptizo si pòst decem dies dabis mihi equum*? Respondetur, Sacramentum hoc modo collatum inualidum esse, quià si validum esset, tùnc esset validum, quandò forma profertur, & materia applicatur, sed sine intentione, vel saltèm post decem elapsos dies, quandò præstabitur equus, sed neutrum dici potest, cum in primo actu deficiat intentio tendens ad equum, & in secundo deest materia, & forma. Bonac. cit.

Si verò loquamur de validitate Sacramenti; cui ministro minimè requiri necessariò fidem, vel gratiam, nàm Sacramentum administratum ab existente in lethali culpa adhùc subsistit. Idemque dicendum est de hæretico, scismatico, infideli, &c. dummodò tamèn omnia essentialia requisita concurrant, quiá minister non propria, sed auctoritate diuina operatur, in Sacerdotali charactere fundata, & cum sit gratis data, per peccatum minimè tollitur. Trid. sess. 7. can. 12. ibi.

Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aùt conferendum pertinet, seruauerit, non conficere, aùt conferre Sacramentum; anathema sit.

Diximus *auctoritate diuina, fundata in charactere Sacerdotali*. quòd vtique sentiendum est de quinque Sacramentis

(bap-

(baptismate tamèn, & matrimonio exceptis] quandoquidèm in his duobus, adhùc etiàm ministri laici, vt notissimum est, esse possint.

Sed hìc quæri potest, an minister in culpa lethali existens, faciendo quidèm validum Sacramentum, peccabit forsàn mortalitér si huiusmòdi Sacramentum hoc modo administrauerit? Respondetur cum distinctione. Vel minister Sacramenti est necessarius, & non ex officio, puta, si quis infantem in articulo mortis baptizaret, quià alius non extat, minimè esset reus talis culpæ.

Minùsque quis peccabit coadiuuans Sacerdotem celebrantem, Sacramentum non tamén conficiendo, sed solùm illas exercendo solemnes cæremonias, quarum exercitiũ, puritatem animæ minimè requirat; quiá Christus viatoribus facultàtem concessit, vt in extremo periculo constitutus à sua miseria subleuetur, néc esse debet vinculum iniquitatis, quòd ex charitate geritur.

Si verò Minister ex officio existens in peccato mortali Sacramentum conficiat, illudque administret, reus lethalis culpæ erit censendus. Habetur ex Leuit. cap. 22. ibi. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, perhibit coram Domino.*

Ex qua occasione licuit Bonacinæ desumere argumentum à minori ad maius, nimirùm, in administratione Sacramentorum veteris legis, requirebatur Sanctitas, ergò à fortiori maior munditia, & sanctitas requiritur in administratione Sacramentorùm nouæ legis, eò quiá sunt perfectiora.

Vnúm deniquè aduertendum est, quòd in casu necessitatis, existenti in peccato mortali necessarium non erit Sacramentalem confessionem præmittere, dummodò existimet verisimilitèr se esse in gratia per actum attritionis existimatè contritionis, sed de hoc suo loco. Bonac. cit.

SE-

SECTIO IV.

De Sacramentorum effectibus.

HIC igitur quæri poterit, quot sint effectus Sacramentorũ? Respondetur intèr cæteros, duos esse præcipuos. Primus est collatio gratiæ, qui omnibus, & singulis alijs Sacramentis est communis. Secundus est, impressio characteris, qui proprius est nonnullorum; sed non omnium, clariùs suis locis de ijs discurremus. Hìc autèm de primo agimus, idest, de gratia, *quæ est quædam qualitas supranaturalis inhærens in anima, eamque gratam, & Deo amicam faciens, ideoque æterna vita dignam.*

Sed quià cum, qui se à recta via elongant peribunt; idcircò ad euitandum huiusmódi periculum Angelici Doctoris vestigia sequi debemus, & sic cum in Sacramentis nouæ legis semper adsit gratia, idést, virtus diuina, consequens est inquirere, vtrum illa gratia, seu virtus emanet à Deo secundum suam diuinitatem, vti virtutes naturales rerum: An verò à Christo in quantum est homo, ab eius passione, Natiuitate, vel à Resurrectione?

D. Thomas, vt refert Sotus in 4. sent. d. 1. q. 3. ar. 5. supposita distinctione, duabus conclusionibus respondet. Prior est, virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in Sacramenta deriuatur. Probatur, Sacramenta, vt dictum est, sunt veluti diuina instrumenta; instrumenta autém respectu principalis agentis duplex est, scilicèt, coniunctum tanquàm eius membrum; atque aliud separatum, vt baculus, & per coniunctum mouet separatum. Vt homo manu mouet baculum.

Causa autém principalis gratiæ, Deus est, & peculiaritèr filius, nempè, Christus; instrumentum verò sibi coniunctum est eius humanitas, per quam nostram est operatus

tus salutem iuxtà illud Pauli ad Romanos 8. *Misit Deus filium suum iu similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne &c.*

Instrumentum autèm separatum est Sacramentum, atque adeò sicut motus ab homine per manum pertingit ad baculum, sic, & virtus gratiæ à Deo per humanitatem deriuatur in Sacramenta.

Altera verò conclusio est magis particularis, nàm asserit Sotus, cit. nimirùm, Sacramenta Ecclesiæ specialitèr habent virtutem ex passione Christi, per quæ scilicèt, Sacramenta virtus eiusdem passionis nobis quodammodò copulatur, & est egregia demonstratio: Sacramentum enim, duos ordines dicit, videlicèt, vt sit remedium, & medicamen ad expianda peccata tàm originalia, quàm actualia, quæ transeunt actu, & mouent reatu, & præterea, vt tanquàm religionis cærimoniæ animam ad Dei cultum perficiant.

Vtraque autèm ratione specialitèr deriuantur à Christi passione. Priori scilicèt, quia Christus præcipuè per suam passionem liberauit nos à peccatis nostris, non solùm efficientèr, & meritoriè; sed etiam satisfactoriè. Posteriori verò, quià per eandem passionem initiauit ritu Christianæ religionis, offerens se ipsum, vt habetur ad Ephes. 5. *Oblationem, & hostiam Deo*. In cuius ideò memoriam præcipit nobis offerri quotidianum sacrificium Missæ, ad quod vniuersa nostra Sacramenta, & sacrificia referuntur.

Colligitur ergò conclusio, quod specialitèr Sacramenta, à virtute passionis Christi habeant efficaciam. In cuius signum ex latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & sanguis. Quorum priùs pertinet ad Baptismum; posteriùs verò ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta.

Hìc primùm omnium, sequitur Sotus, adnotandum est, instrumentum coniunctum, bifariam dici, scilicèt, aut per informationem, & continuationem, vt membrum; aut per con-

contactum. Vndè baculus dicitur separatum, vt opponitur coniuncto priori modo, sed tamèn dicitur coniunctum posteriori modo respectu instrumenti separati; idést, quod elongatum ab agente mouetur, vt sagitta.

Diximus Sacramenta art. 2. & 3. esse instrumenta Deo coniuncta per assistentiam; quibus ideò Deus non aliam imprimit virtutem, quàm motum; sicut homo, nullam aliam imprimit baculo. In præsentiarum ergò accipitur coniunctum, vt membrum, & separatum, vt baculus, qui est per contactum coniunctus.

Sed vt meliùs à tyronibus nostra percipiantur vota, & ad moralia descendamus, dicimus, quod gratia (de qua in nostra definitione agitur) iustificans ea est, qua impius mundatur ab originali culpa per Baptismum, vel saltèm à mortali per veram pęnitentiam.

Sed si quis curiosiùs inquirat, an detur aliquod discrimen inter primam, & secundam gratiam, & quale nàm sit. Dicitur, quòd ideò dici debet *prima*, quia nullam aliam gratiam supponit iustificantem. Dicitur *secunda*, quia in anima inuenit primam. Prima confertur in Baptismo, vel pœnitentia, secunda verò in Eucharistia: ità S. Tho. in 3. p. q. 62. ar. 1.

Aduertendum tamèn est, quód quandó dicimus Sacramenta nouæ legis producere tàm primam, quàm secundam gratiam, hoc est, intelligendum de gratia *ex opere operato*; non autèm de gratia *ex opere operantis*.

Gratia *ex opere operato* ea est, quæ confertur à Sacramentis ritè, & rectè susceptis, vltra meritum, & operantis dispositionem: Immò aliquando sine dispositione, & merito ipsius suscipientis, & illa est, quam infantes sine vlla eorum præuia dispositione, aut operatione per Sacramentum Baptismi percipiunt.

Probatur euidenti ratione, neq; alia assignari potest, nisi, mera, & libera voluntas Christi, qui tali modo, & singulari charitate voluit per res corporeas, & sensibiles, & non

minùs per quasdam, sed certas verborum formas nobis suæ gratiæ effectum conferre S. Thom. supra citatus.

Est de fide Trid. sess. 11. can. 11. ibi. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum ex parte Dei etiamsi ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.*

Et ca. 8. *Si quis dixerit, per ipsa noua legis Sacramenta ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Gratia verò *ex opere operantis* illa est, quã quis acquirit, ratione suæ propriæ dispositionis, & meriti; ex vi præcedentis gratiæ.

Sed hìc quæri poterit, an Sacramenta æqualē conferant gratiam? Respondetur, quód si agatur de vno Sacramento cùm alio eiusdem speciei, vt Baptismus, cum Baptismo, Eucharistia, cum Eucharistia &c. in varijs subiectis æqualitèr dispositis, omnia æqualem gratiam conferre.

Probatur, quia vnumquodque Sacramentum habet determinatum effectum ex certa Christi institutione, vt patet ex Trid. l.c. ergò si æqualis sit dispositio in suscipientibus, æqualis effectus gratiæ ab eisdem recipitur est sententia Doctoris Angelici in præsenti q. 69. ar. 8.

Ex quibus principijs contrà Paludanum dist. 4. q. 1. colligi poterit, quod pueri in receptione Baptismatis *ex opere operato* æqualem recipiunt gratiam, & ex hac ad cælestem Patriam migrantes, omnes simùl æqualem gloriam consequuntur.

Si verò dicatur, quód vnum subiectum sit magis, quàm aliud dispositum, maiorem vtiquè gratiam recipiet. Colligitur ex Trid. sess. 6. c. 6. ibi. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Si verò comparatio fiat inter Sacramentum Baptismi, & Eucha-

Eucharistiæ, vtrum vnum alteri præualeat circà gratiam conferendam subiecto æquè disposito, siuè maiorem, siuè minorem, dicimus nil certi haberi posse, cum hoc Deo tantùm sit notum.

Sed petes quid sit dicendum de gratia Sacramentali, quæ saltèm accidentalitèr distingui potest à prima, & secunda? Respondetur nullum posse oriri dubium, quin vnumquodque Sacramentum in suscipiente diuersum producat effectum iuxtà finem ad quem tale Sacramentum fuit institutum, vtí Baptismus, qui adseruanda Christi præcepta, spirituale confert auxilium:

Confirmatio verò ad fidem confitendam, & patet ex Conc Florentino dicente, *Nos augeri in gratia per Sacramentum Confirmationis. Eucharistia ad nutriendam charitatem*, & simili ordine est procedendum quoad alia Sacramenta, de quibus suis locis, & de singulis erit agendum.

Quæres, An Sacramentum administratum à meliore ministro, maiorem, vel minorem conferat gratiam, quam si fuerit à malo administratum? Respondetur cum Nazianzeno orat. 4. in Sanct. Baptis. *Ità se habent bonus, & malus minister sicuti se habent sigillum ferreum, & aureum: Sed sigillum ferreum eandem imprimit figuram, vt aureum. Ergò eandem gratiam confert minister probus, quàm improbus.*

Ratio verò huiusmodi conclusionis desumitur ex Baptismo collato tám à S. Petro Christi Vicario, quàm à Iuda proditore, quiá vterque nomine Saluatoris conferebatur, & non minùs ex ipsius meritis infallibilitèr suscipientibus administrabatur; dummodò ab eisdem obex non poneretur, cum ministri malitia ordinationi diuinæ nullum possit præiudicium causare. Obiectiones, quæ fieri solent in conclusione præsenti. Soluuntur ab Angelico Doctore q. 64. ar. 1. ad secundum.

Minimè tamèn negari potest, quód aliquandò sanctitas ministri in suscipiente Sacramenta, excitare possit aliquem bonum effectum, & motum, quo ipse suscipiens reddatur dignior

dignior maiori gratia per meliorem dispositionem. Sed hoc est valdè remotum, extrinsecum, & per accidens in Sacramentis. D. Thomas suprà citatus.

Instabis, quodnam sit subiectum Sacramentorum? Respondetur esse hominem in hac vita existentem. Probatur; quià Sacramenta nouæ legis omnia fuerunt à Christo instituta ad conferendam gratiam, per quam acquiritur gloria, sed solis viatoribus confertur gratia, cùm illa indigeãt; ergò soli viatores sunt Sacramentorum capaces.

Huiusmódi nostra conclusio intelligi debet de viatoribus, qui sunt capaces, vel omnium, vel aliquorum Sacramentorum; Quód si loquamur de infantibus, vel de adultis perpetuò amentibus, nil aliud requiritur ex parte eorum, nisi sola receptio, cùm sint verè capaces, Baptismi saltèm, & confirmationis absque propria ipsorum intentione, & consensu.

Si verò loquamur de vsum rationis habẽtibus, & ipsis Sacramenta conferantur, omninò requiritur, vt adultus habeat aliquam intentionem positiuam, siuè virtualem, siuè saltèm habitualem secundo modo, explicatam. Ratio est, quiá sicuti Deus sine proprio assensu minimè gratiam adultis confert, ità eo cessante, neque adultos iustificat. S. Tho. q. 68. ar. 4.

Ea, quæ firmauimus resistunt Caietano q. 68. ar. 9. asserenti sufficere adulto non habere voluntarium, & positiuum dissensum. Ex qua doctrina liquidò sequeretur, quod infidelis e. g. absque vlla voluntate suscipiendi Baptismum si dormiens baptizaretur, validus esset Baptismus, quæ Caietani doctrina nullo modo est admittenda.

Diximus, *intentionem saltèm habitualem*, quià aliud est recipere Sacramenta, & aliud est eadem conficere. In suscipiendis Sacramentis intentio habitualis est satis sufficiens explicita, vel implicita, idest, vt si petatur Sacramentum, & postmodùm intentio non reuocetur, patet ex Conc. Cartagin. 3. c. 34. Bonac. cit. q. 6. n. 8.

Di-

Dices, quid nàm requiritur in suscipiente Sacramentū, adhec, vt non solùm rem; verùm etiàm illius virtutem, idést, primam gratiam, siue effectum Sacramenti percipiat? Respondetur requiri, vt suscipiens Sacramentum, non ponat obicem. Obex autém est peccatum mortale, quod committitur in susceptione Sacramenti, puta, si quis dum confitetur, lethalem culpam malitiosè retineat.

Si verò huiusmòdi Impedimentum non adsit, dicimus, infallibilitèr, & absolutè primam gratiam infundi, positis tamèn alijs necessarijs. Ex quo sequitur, quòd infantes, vel perpetuò amentes in susceptione Baptismi, cum minimè sint doli capaces, infallibilitèr primam gratiam reciperent, habetur ex Trid. aliàs cit.

Existens verò in peccato mortali ad recipiēdam primam gratiam, tenetur accedere cum aliqua dispositione tàm ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus, ex parte voluntatis, vt detestetur peccatum, quatenùs est offensa Diuina, ex parte intellectus, vt actum fidei eliciat.

Ratio præmissorum est, quià sicuti peccator voluntariè auertit à Deo, & ad creaturam conuertitur, ità ad culpæ remissionem, est necessarius aliquis motus bonus, & conuersio voluntatis in Deum, aliàs huiusmòdi Sacramento obex poneretur. Bonac. l.c.

Ad secundam verò gratiam recipiendum, idést, augmentum ipsius gratiæ, nulla alia dispositio in suscipiente requiritur, nisi sit in gratia habituali. Ratio est quia, vt Sacramenta suos operentur effectus, satis quidèm erit, vt in subiecto non inueniatur obex, sed existens in gratia, non est talis, ergò sine alia dispositione infallibilitèr effectum Sacramenti consequetur. Bonac. cit.

Ex dictis igitur inferri potest, quòd existens in gratia, & absque vlla deuotione; immò cum magna mentis diuagatione, ad SS. Eucharistiam accedens illius effectum *ex opere operato*, idést, augmentum gratiæ equidèm recipit. Et hoc etiàmsi contingerit, quòd venialitèr peccet in ipsa susceptio-

ex eius argumento debuisset eius mentem expiscari, argumentum enim instituebatur non de intentione, si requiratur, sed solùm de certitudine suscipientis, & ideò non somniauit dicere sufficere in ministro prolationem verborum, sine mentali intentione faciendi, quod facit Ecclesia; sed illam prolationem sufficere ad conscientiam suscipientis pacandam, nempè, vt certò credat ministrum talē habuisse intentionem, nisi contrarium alia via certiùs constiterit, hæc omnia Sotus citatus.

Sèd eò quià ad alia progredi debemus pro solutione quæstionis propositæ, dicimus, quòd si infans minimè fuerit baptizatus cum debita intentione ministri, vel ad adultus licèt attritus non fuerit malitiosè à Confessario absolutus; neuter gratiam iustificantem consequetur. Ratio est quià cum Christus suppleat in pueris (idem dici poterit de adultis modo descripto) defectum ministri requisita intentione, carentis hoc non est certum. Stat enim lex generalis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.*

Sèd adhùc instabis, vltra prædicta, quotuplex sit intentio. Respondetur duplex, nimirùm, absoluta vna, conditionata altera. Prima illa dicitur, quæ simplicitèr, absolutè, & absque vlla cōditione in finem dirigitur, puta, dùm minister proferendo formam Baptismi, vel Pœnitentię, dicat, *ego intendo baptizare, & absoluere, &c.*

Conditionata verò est, quando quis intendit aliquid facere, præcisis modis prædictis: sed sub aliqua conditione; puta, si dixerit, *volo baptizare si non es baptizatus, &c.* Sed modò hìc quæritur, quænàm ex his intentionibus ad conficienda Sacramenta requiratur? his igitur positis.

Respondetur intentionem absolutam esse necessariam, quià intentio ministri, in conficiendis Sacramentis, omninò debet esse efficax, quæ reuerà est absoluta, nàm, ait Caietanus in summa *verbo absolutio* non est in potestate

Con-

Confeſſarij miniſtrantis Sacramentum, illudque conferentis, & eius effectum in aliud tempus implendæ, nimirùm, conditionis, ſuſpendere.

Reſpondetur inſupèr, Sacramentum collatum ſub conditione de præſenti, puta, ſi miniſter dicat. *Si tu es maſculus ego te baptizo*. Vel ſub conditione de præterito dicendo. *Si tu non fuiſti baptizatus ego te baptizo*. Validum eſſe quià conditio de præſenti; vel de præterito non ſuſpendit actum, cum conditiones in his, & ſimilibus caſibus, ac ſi non fuiſſent appoſitæ, habentur]. Bonac. hic diſput. 1. q. 3. par. 3.

Sed quid, ſi Sacramenta adminiſtrarentur ſub conditione de futuro, puta, ſi miniſter dicat. *Ego te baptizo ſi pòſt decem dies dabis mihi equum*? Reſpondetur, Sacramentum hoc modo collatum inualidum eſſe, quià ſi validum eſſet, tùnc eſſet validum, quandò forma profertur, & materia applicatur, ſed ſine intentione, vel ſaltèm poſt decem elapſos dies, quandò præſtabitur equus, ſed neutrum dici poteſt, cum in primo actu deficiat intentio tendens ad equum, & in ſecundo deeſt materia, & forma. Bonac. cit.

Si verò loquamur de validitate Sacramenti; cui miniſtro minimè requiri neceſſariò fidem, vel gratiam, nàm Sacramentum adminiſtratum ab exiſtente in lethali culpa adhùc ſubſiſtit. Idemque dicendum eſt de hæretico, ſciſmatico, infideli, &c. dummodò tamèn omnia eſſentialia requiſita concurrant, quiá miniſter non propria, ſed auctoritate diuina operatur, in Sacerdotali charactere fundata, & cum ſit gratis data, per peccatum minimè tollitur. Trid. ſeſſ. 7. can. 12. ibi.

Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aùt conferendum pertinet, ſeruauerit, non conficere, aùt conferre Sacramentum; anathema ſit.

Diximus *auctaritate diuina, fundata in charactere Sacerdotali*. quòd vtique ſentiendum eſt de quinque Sacramentis

(bap-

(baptiſmate tamèn, & matrimonio exceptis] quandoquidèm in his duobus, adhùc etiàm miniſtri laici, vt notiſſimum eſt, eſſe poſſint.

Sed hìc quæri poteſt, an miniſter in culpa lethali exiſtens, faciendo quidèm validum Sacramentum, peccabit forsàn mortalitér ſi huiuſmòdi Sacramentum hoc modo adminiſtrauerit? Reſpondetur cum diſtinctione. Vel miniſter Sacramenti eſt neceſſarius, & non ex officio, puta, ſi quis infantem in articulo mortis baptizaret, quià alius non extat, minimè eſſet reus talis culpæ.

Minùſque quis peccabit coadiuuans Sacerdotem celebrantem, Sacramentum non tamén conficiendo, ſed ſolùm illas exercendo ſolemnes cæremonias, quarum exercitiũ, puritatem animæ minimè requirat; quiá Chriſtus viatoribus facultàtem conceſſit, vt in extremo periculo conſtitutus à ſua miſeria ſubleuetur, néc eſſe debet vinculum iniquitatis, quòd ex charitate geritur.

Si verò Miniſter ex officio exiſtens in peccato mortali Sacramentum conficiat, illudque adminiſtret, reus lethalis culpæ erit cenſendus. Habetur ex Leuit. cap. 22. ibi. *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtyrpe veſtra ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, perhibit coram Domino.*

Ex qua occaſione licuit Bonacinæ deſumere argumentum à minori ad maius, nimirùm, in adminiſtratione Sacramentorum veteris legis, requirebatur Sanctitas, ergò à fortiori maior munditia, & ſanctitas requiritur in adminiſtratione Sacramentorùm nouæ legis, eò quiá ſunt perfectiora.

Vnúm deniquè aduertendum eſt, quòd in caſu neceſſitatis, exiſtenti in peccato mortali neceſſarium non erit Sacramentalem confeſſionem præmittere, dummodò exiſtimet veriſimilitèr ſe eſſe in gratia per actum attritionis exiſtimatè contritionis, ſed de hoc ſuo loco. Bonac. cit.

SE-

SECTIO IV.

De Sacramentorum effectibus.

HIC igitur quæri poterit, quot sint effectus Sacramentorũ? Respondetur intèr cæteros, duos esse præcipuos. Primus est collatio gratiæ, qui omnibus, & singulis alijs Sacramentis est communis. Secundus est, impressio characteris, qui proprius est nonnullorum; sed non omnium, clariùs suis locis de ijs discurremus. Hìc autèm de primo agimus, idest, de gratia, *quæ est quædam qualitas supranaturalis inhærens in anima, eamque gratam, & Deo amicam faciens, ideoque æterna vita dignam.*

Sed quià cum, qui se à recta via elongant peribunt; idcircò ad euitandum huiusmódi periculum Angelici Doctoris vestigia sequi debemus, & sic cum in Sacramentis nouæ legis semper adsit gratia, idést, virtus diuina, consequens est inquirere, vtrum illa gratia, seu virtus emanet à Deo secundum suam diuinitatem, vti virtutes naturales rerum: An verò à Christo in quantum est homo, ab eius passione, Nàtiuitate, vel à Resurrectione?

D. Thomas, vt refert Sotus in 4. sent. d. 1. q. 3. ar. 5. supposita distinctione, duabus conclusionibus respondet. Prior est, virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in Sacramenta deriuatur. Probatur, Sacramenta, vt dictum est, sunt veluti diuina instrumenta; instrumenta autèm respectu principalis agentis duplex est, scilicèt, coniunctum tanquàm eius membrum; atque aliud separatum, vt baculus, & per coniunctum mouet separatum. Vt homo manu mouet baculum.

Causa autém principalis gratiæ, Deus est, & peculiaritèr filius, nempè, Christus; instrumentum verò sibi coniunctum est eius humanitas, per quam nostram est operatus

tus salutem iuxtà illud Pauli ad Romanos 8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne &c.*

Instrumentum autèm separatum èst Sacramentum, atque adeò sicut motus ab homine per manum pertingit ad baculum, sic, & virtus gratiæ à Deo per humanitatem deriuatur in Sacramenta.

Altera verò conclusio est magis particularis, nàm asserit Sotus, cit. nimirùm, Sacramenta Ecclesiæ specialitèr habent virtutem ex passione Christi, per quæ scilicèt, Sacramenta virtus eiusdem passionis nobis quodammodò copulatur, & est egregia demonstratio: Sacramentum enim duos ordines dicit, videlicèt, vt sit remedium, & medicamen ad expianda peccata tàm originalia, quàm actualia, quæ transeunt actu, & mouent reatu, & prætereà, vt tanquàm religionis cærimoniæ animam ad Dei cultum perficiant.

Vtraque autèm ratione specialitèr deriuantur à Christi passione. Priori scilicèt, quia Christus præcipuè per suam passionem liberauit nos à peccatis nostris, non solùm efficientèr, & meritoriè; sed etiam satisfactoriè. Posteriori verò, quià per eandem passionem initiauit ritu Christianæ religionis, offerens se ipsum, vt habetur ad Ephes. 5. *Oblationem, & hostiam Deo.* In cuius ideò memoriam præcipit nobis offerri quotidianum sacrificium Missæ, ad quod vniuersa nostra Sacramenta, & sacrificia referuntur.

Colligitur ergò conclusio, quod specialitèr Sacramenta à virtute passionis Christi habeant efficaciam. In cuius signum ex latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua, & sanguis. Quorum priùs pertinet ad Baptismum; posteriùs verò ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta.

Hìc primùm omnium, sequitur Sotus, adnotandum est, instrumentum coniunctum bifariam dici, scilicèt, aut per informationem, & continuationem, vt membrum; aùt per con-

contactum. Vndè baculus dicitur separatum, vt opponitur coniuncto priori modo, sed tamèn dicitur coniunctum posteriori modo, respectu instrumenti separati; idést, quod elongatum ab agente mouetur, vt sagitta.

Diximus Sacramenta art. 2. & 3. esse instrumenta Deo coniuncta per assistentiam; quibus ideò Deus non aliam imprimit virtutem, quàm motum; sicut homo, nullam aliam imprimit baculo. In præsentiarum ergò accipitur coniunctum, vt membrum, & separatum, vt baculus, qui est per contactum coniunctus.

Sed vt meliùs à tyronibus nostra percipiantur vota, & ad moralia descendamus, dicimus, quod gratia (de qua in nostra definitione agitur) iustificans ea est, qua impius mundatur ab originali culpa per Baptismum, vel saltèm à mortali per veram pęnitentiam.

Sed si quis curiosiùs inquirat, an detur aliquod discrimen inter primam, & secundam gratiam, & quale nàm sit. Dicitur, quòd ideò dici debet *prima*, quia nullam aliam gratiam supponit iustificantem. Dicitur *secunda*, quia in anima inuenit primam. Prima confertur in Baptismo, vel pœnitentia, secunda verò in Eucharistia: ità S. Tho. in 3. p. q. 62. ar. 1.

Aduertendum tamèn est, quód quandó dicimus Sacramenta nouæ legis producere tàm primam, quàm secundam gratiam, hoc est, intelligendum de gratia *ex opere operato*; non autèm de gratia *ex opere operantis*.

Gratia *ex opere operato* ea est, quæ confertur à Sacramentis ritè, & rectè susceptis, vltra meritum, & operantis dispositionem: Immò aliquando sine dispositione, & merito ipsius suscipientis, & illa est, quam infantes sine vlla eorum præuia dispositione, aut operatione per Sacramentum Baptismi percipiunt.

Probatur euidenti ratione, neq; alia assignari potest, nisi, mera, & libera voluntas Christi, qui tali modo, & singulari charitate voluit per res corporeas, & sensibiles, & non

minùs per quasdam, sed certas verborum formas nobis suæ gratiæ effectum conferre S. Thom. supra citatus.

Est de fide Trid. sess. 11. can. 11. ibi. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum ex parte Dei etiamsi ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.*

Et ca. 8. *Si quis dixerit, per ipsa noua legis Sacramenta ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Gratia verò *ex opere operantis* illa est, quã quis acquirit, ratione suæ propriæ dispositionis, & meriti; ex vi præcedentis gratiæ.

Sed hìc quæri poterit, an Sacramenta æqualẽ conferant gratiam? Respondetur, quód si agatur de vno Sacramento cum alio eiusdem speciei, vt Baptismus, cum Baptismo, Eucharistia, cum Eucharistia &c. in varijs subiectis æqualitèr dispositis, omnia æqualem gratiam conferre.

Probatur, quia vnumquodque Sacramentum habet determinatum effectum ex certa Christi institutione, vt patet ex Trid. l.c. ergò si æqualis sit dispositio in suscipientibus, æqualis effectus gratiæ ab eisdem recipitur est sententia Doctoris Angelici in præsenti q. 69. ar. 8.

Ex quibus principijs contrà Paludanum dist. 4. q. 1. colligi poterit, quod pueri in receptione Baptismatis *ex opere operato* æqualem recipiunt gratiam, & ex hac ad cælestem Patriam migrantes, omnes simùl æqualem gloriam consequuntur.

Si verò dicatur, quód vnum subiectum sit magis, quàm aliud dispositum, maiorem vtiquè gratiam recipiet. Colligitur ex Trid. sess. 6. c. 6. ibi. *Iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Si verò comparatio fiat inter Sacramentum Baptismi, & Eucha-

Eucharistiæ, vtrum vnum alteri præualeat circà gratiam conferendam subiecto æquè disposito, siuè maiorem, siuè minorem, dicimus nil certi haberi posse, cum hoc Deo tantùm sit notum.

Sed petes quid sit dicendum de gratia Sacramentali, quæ saltèm accidentalitèr distingui potest à prima, & secunda? Respondetur nullum posse oriri dubium, quin vnumquodque Sacramentum in suscipiente diuersum producat effectum iuxtà finem ad quem tale Sacramentum fuit institutum, vti Baptismus, qui adseruanda Christi præcepta, spirituale confert auxilium:

Confirmatio verò ad fidem confitendam, & patet ex Conc. Florentino dicente, *Nos augeri in gratia per Sacramentum Confirmationis. Eucharistia ad nutriendam charitatem*, & simili ordine est procedendum quoad alia Sacramenta, de quibus suis locis, & de singulis erit agendum.

Quæres, An Sacramentum administratum à meliore ministro, maiorem, vel minorem conferat gratiam, quam si fuerit à malo administratum? Respondetur cum Nazianzeno orat. 4. in Sanct. Baptis. *Ità se habent bonus, & malus minister sicuti se habent sigillum ferreum, & aureum: Sed sigillum ferreum eandem imprimit figuram, vt aureum. Ergò eandem gratiam confert minister probus, quàm improbus.*

Ratio verò huiusmodi conclusionis desumitur ex Baptismo collato tàm à S. Petro Christi Vicario, quàm à Iuda proditore, quiá vterque nomine Saluatoris conferebatur, & non minùs ex ipsius meritis infallibilitèr suscipientibus administrabatur; dummodò ab eisdem obex non poneretur, cum ministri malitia ordinationi diuinæ nullum possit præiudicium causare. Obiectiones, quæ fieri solent in conclusione præsenti. Soluuntur ab Angelico Doctore q. 64. ar. 1. ad secundum.

Minimè tamèn negari potest, quód aliquandò sanctitas ministri in suscipiente Sacramenta, excitare possit aliquem bonum effectum, & motum, quo ipse suscipiens reddatur

dignior

dignior maiori gratia per meliorem dispositionem. Sed hoc est valdè remotum, extrinsecum, & per accidens in Sacramentis. D. Thomas suprà citatus.

Instabis, quodnam sit subiectum Sacramentorum? Respondetur esse hominem in hac vita existentem. Probatur; quià Sacramenta nouæ legis omnia fuerunt à Christo instituta ad conferendam gratiam, per quam acquiritur gloria, sed solis viatoribus confertur gratia, cùm illa indigeāt; ergò soli viatores sunt Sacramentorum capaces.

Huiusmodi nostra conclusio intelligi debet de viatoribus, qui sunt capaces, vel omnium, vel aliquorum Sacramentorum; Quòd si loquamur de infantibus, vel de adultis perpetuò amentibus, nil aliud requiritur ex parte eorum, nisi sola receptio, cùm sint verè capaces, Baptismi saltèm, & confirmationis absque propria ipsorum intentione, & consensu.

Si verò loquamur de vsum rationis habētibus, & ipsis Sacramenta conferantur, omninò requiritur, vt adultus habeat aliquam intentionem positiuam, siuè virtualem, siuè saltèm habitualem secundo modo, explicatam. Ratio est, quià sicuti Deus sine proprio assensu minimè gratiam adultis confert, ità eo cessante, neque adultos iustificat. S. Tho. q. 68. ar. 4.

Ea, quæ firmauimus resistunt Caietano q. 68. ar. 9. asserenti sufficere adulto non habere voluntarium, & positiuum dissensum. Ex qua doctrina liquidò sequeretur, quod infidelis e. g. absque vlla voluntate suscipiendi Baptismum si dormiens baptizaretur, validus esset Baptismus, quæ Caietani doctrina nullo modo est admittenda.

Diximus, *intentionem saltèm habitualem*, quià aliud est recipere Sacramenta, & aliud est eadem conficere. In suscipiendis Sacramentis intentio habitualis est satis sufficiens explicita, vel implicita, idèst, vt si petatur Sacramentum, & postmodùm intentio non reuocetur, patet ex Conc. Cartagin. 3. c. 34. Bonac. cit. q. 6. n. 8.

Di-

Dices, quid nàm requiritur in suscipiente Sacramentū, adhoc, vt non solùm rem; verùm etiàm illius virtutem, idést, primam gratiam, siue effectum Sacramenti percipiat? Respondetur requiri, vt suscipiens Sacramentum, non ponat obicem. Obex autém est peccatum mortale, quod committitur in susçeptione Sacramenti, puta, si quis dum confitetur, lethalem culpam malitiosè retineat.

Si verò huiusmòdi Impedimentum non adsit, dicimus, infallibilitèr, & absolutè primam gratiam infundi, positis tamèn alijs necessarijs. Ex quo sequitur, quòd infantes, vel perpetuò amentes in susceptione Baptismi, cum minimè sint doli capaces, infallibilitèr primam gratiam reciperent, habetur ex Trid. aliàs cit.

Existens verò in peccato mortali ad recipiēdam primam gratiam, tenetur accedere cum aliqua dispositione tàm ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus, ex parte voluntatis, vt detestetur peccatum, quatenùs est offensa Diuina, ex parte intellectus, vt actum fidei eliciat.

Ratio præmissorum est, quià sicuti peccator voluntariè auertit à Deo, & ad creaturam conuertitur; ità ad culpæ remissionem, est necessarius aliquis motus bonus, & conuersio voluntatis in Deum, aliàs huiusmòdi Sacramento obex poneretur. Bonac. l.c.

Ad secundam verò gratiam recipiendum, idést, augmentum ipsius gratiæ, nulla alia dispositio in suscipiente requiritur, nisi sit in gratia habituali. Ratio est quia, vt Sacramenta suos operentur effectus, satis quidèm erit, vt in subiecto non inueniatur obex, sed existens in gratia, non est talis, ergò sine alia dispositione infallibilitèr effectum Sacramenti consequetur. Bonac. cit.

Ex dictis igitur inferri potest, quòd existens in gratia, & absque vlla deuotione; immò cum magna mentis diuagatione, ad SS. Eucharistiam accedens illius effectum *ex opere operato*, idést, augmentum gratiæ equidèm recipit. Et hoc etiàmsi contingerit, quòd venialitèr peccet in ipsa susceptio-

scceptio-

sceptione; cum minimè inconueniens sit, vt aliquis actu venialitèr peccet, & in gratia Dei existat, vt patet.

Sed si quæratur, quo tempore Sacramenta conferant gratiam? Respondetur, quód hoc intelligi potest de eo, qui accedit ad Sacramentum, vti iustus, vel iniustus; idest, cum peccato, vel absque peccato mortali. Si primó modo, dicimus tria distingui tempora, primum antecedens ipsam susceptionem Sacramenti. Secundum susceptionem comitans. Tertium eamdem subsequens, his positis.

Dicendum est primò, Sacramenta, suscipienti non conferre gratiam *ex opere operato*, dummodò sit Deo gratus, nec tempore antecedenti, neque subsequenti eorumdem Sacramentorum, quiá his temporibus à Christo non fuit facta promissio collationis gratiæ; sed solùm tempore comitanti, quando nimirùm, recipitur Sacramentum, puta, dùm qui baptizatur, confirmatur &c.

Dicendum est secundo, quòd si loquamur de Sacramentis characterem imprimentibus, cum lethali culpa susceptis, probabilis opinio est, remoto obice, gratiam conferre. Ratio est, quia, cum hæc Sacramenta sint irreiterabilia, conueniens est, vt recedente fictione, idést, peccato mortali gratiam conferrent, aliàs suscipiens ea perpetuò careret, quòd minimè dici potest,ità S. Thomas.

Instabis, quibusnam personis sint Sacramenta administranda? Respondetur, vel loquimur, de publicis, vel de occultis peccatoribus. Si de publicis, & isti publicè Sacramenta petant nullo modo, eisdem erunt Sacramenta tanquàm indignis, administranda. Ratio est, quia minister suscipientium peccatis cooperaretur, S. Thom. cit.

Si verò sermo sit de peccatoribus occultis, occultè petentibus Sacramenta adhùc ipsis sunt deneganda (præcisa cognitione habita, in confessione Sacramentali) ratio pendet ex dictis. Si verò publicè petant, eisdem sunt concedenda

denda

denda cum etiàm Christus Iudam communicauerit, & rursùs, quià quamplurima orirentur scandala si à mensa saltèm Eucharistica isti expellerentur, ita Angelicus Doctor.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Sacramentis in particulari.

HVcùsq; actum est de Sacramentis in genere, ad præsens agendum erit de eisdem in particulari, quæ cum sint septèm, vt diximus, hæreticum esset contrarium asserere, habetur ex Tridentino sess. 7. can. 1. ibi, licèt aliàs describ.

Si quis dixerit, Sacramenta noua legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aùt esse plura, vel pauciora quàm septèm, videlicèt Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aùt etiàm aliquod horum septèm, non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.

Interpres verò diuinæ voluntatis, idést, Doctor Angelicus huismodi institutionis rationem assignat, quæ consistit in quadam conuenientia, & proportione, idèst, intèr vitam corporalem, & spiritualem, ad quam tanquàm ad suum proprium finem omnia Sacramenta à Christo fuerunt instituta.

Nàm sicùti homo naturalitèr primò generatur, secundo corroboratur, tertio nutritur, quarto seruatur ab infirmitate, quinto si opus fuerit ad sui defensionem armatur, sexto dat operam generationi pro Reipublicę conseruatione, septimo deniquè dignitates recipit pro eadem gubernanda ità etiàm proportionalitèr in vita spirituali occurrit.

Quandoquidèm, primo per Baptismum regeneratur, secundo per confirmationem viribus spiritualibus corroboratur

ratur, tertio per Euchariſtiam ſpiritualitèr nutritur, quarto per Pœnitentiam à morbo lethali animæ conualeſcit,& liberatur, quinto ad mortis luctam contrà diabolum per extremam, vnctionem fortitèr armatur; ſexto per matrimonium genus humanum licitè conſeruatur, ſeptimo tandèm per ordinem in ſtatu honorifico,& poteſtate aliòs gubernandi, vel ſaltèm iudicandi conſtituitur.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus.

RESpondetur, Baptiſmum Græcam eſſe vocem, quæ ſignificat ablutionem, ſeù in aquam immerſionem, per quam hoc confertur Sacramentum, ad Chriſti mortem repreſentandam,ſiuè eius ſepulturam,vt habetur Coloſ.2. *Conſepulti in Baptiſmo, in quo, & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei*, & ad Epheſ.2. *eramus natura filij iræ, ſicùt & cæterì. Deus autèm, qui diues eſt in miſericordia proptèr nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia ſaluati eſtis) & correſuſcitauit &c.*

Dicimus inſupèr, quòd ſi hæc vox *Baptizo* in lingua latina vertatur, idem eſt dicere, ac *abluo*, ſiuè *ablutio*, minimè igitùr admiretur Lector, ſi in noſtra Eccleſia hoc nomen Græcum retineatur, cum illud proptèr antiquitatem ſeruet. Baptiſmus (vt ſi definitio Soti diſt.3.q.vnic.ar.1. attendatur) *eſt Sacramentum regenerationis ex aqua, & Spiritu Sancto, & eſt ablutio aquæ in verbo vitæ ab originali culpa.*

Quarum prior ex Chriſti verbis; poſterior verò ex Paulo colligitur. Vbi autèm ait Angelicus Doctor. *Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior ſub certa verborum forma*: verbo illo, exterior, ſignificatur id, quod eſt tamèn Sacramen-

tum

tum: nàm res Sacramenti est ablutio animæ interior, iuxtà illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*

Sed petes, quotlibet sit Baptismus? Respondetur, triplex scilicèt, sanguinis, flaminis, & fluminis. Baptismus flaminis, est actus pœnitentiæ, & contritionis, proueniens ex impulsu Spiritus Sancti, & ideò vocatur flamen Baptismus; sed de hoc fusius agemus, cum de Sacramento pœnitentiæ tractandum erit.

Quæritur modó, quid sit Baptismus sanguinis, quisue eius effectus? Respondetur, *quod est Martyrium, quo, proprij sanguinis effusione, quis dicitur esse verè baptizatus*, vel *est passio, siuè cruciatus ad mortem tendens, susceptus pro fide Christi tuenda*, vel deniquè *est effusio sanguinis pro aliqua vera virtute defendenda*.

Nos verò Martyrium vocamus Baptismum, quià Baptismi fluminis supplet effectũ. Immò eumdem omninò præstat. Vndè si casus daretur, in quo Adultus ad martyrium raperetur, antè fluminis Baptismum, tàm remissionem originalis culpæ, quàm omnium mortalium peccatorum, & totius pœnæ verè reciperet.

De notione propria Martyrij, nomine, definitione, morte, & alijs circumstantijs ad huiusmodi tractatum pertinentibus, videatur Eminentiss. Capisucchus controuer. theologal. Select. scolast. moral. Dogmat. & scriptural. ad mentem S. Thomæ Aquinatis resolut. incipiens à controu. 27. distincta in Paragrophos 24. & à quæst. 2. diuisa paritèr in aliòs 30. Paragrophos, in quibus egregiè, subtilitèr, ac eruditissimè de Martyrio egit; & ne noster tractatus mutilatus, remaneat, quæ sequuntur breuitèr pro tyronibus Confessarijs addidimus.

In Adultis quinque conditiones ad verum martyrium rèquiruntur. Prima est voluntas illud suscipiendi, cum Christus nemini salutem spiritualem conferat, nisi volenti. Hinc sequitur, minimè esse intèr Martyres numerandum

qui dormiens in odium Chriſti fuerit occiſus, niſi priùs habuerit voluntatem, ſiuè intentionem actualem, ſiuè virtualem explicitam, ſiuè implicitam ſuſtinendi Martyrium. Secùs tamèn dicendum eſt de eo, qui ſaltèm habuit eam intentionem, quæ in Chriſti fidelibus, regularitèr loquendo, ſempèr præſumitur, ità Henriquez lib.2. c.34. n.2. & alij communitèr.

Ea enim, quæ de Adultis firmauimus; de infantibus pro certò minimè verificari poſſunt, eò, quia in eiſdem, nulla requiritur intentio, vt patet ex Innocentibus, quos Catholica Eccleſia, tanquàm Martyres ipſos colit, & honorat, ac idem dicendum eſt de infantibus in vtero materno exiſtentibus, ſi mater occiſa fuerit in odium, vel profeſſionem noſtræ Sanctæ Fidei.

Secunda conditio eſt, vt ſi Adultus exiſtat in culpa lethali, actum attritionis ſupernaturalis eliciat, nàm ſufficientèr ipſius voluntas ſe à creatura auertit, & ad Creatorem conuertitur, & ſicùti attritio eſt ſufficiens ad Sacramenta, ità paritèr ad Martyrium, cum hoc conferat eumdem effectum; quem ipſemet Baptiſmus præſtare ſolet, vt patet ex dictis, eſt omnium Doctorum ſententia.

Addendum inſupèr eſt, quòd ſi homo in culpa lethali exiſtat, & oblitus fuerit, ſuæ obligationis, eliciendi, nimirùm, actum contritionis antè mortem, ſatis probabile eſt ad obtinendam omnium peccatorum remiſſionem, ſufficere ſolam voluntatem ſuſcipiendi Martyrium; quià in huiuſmodi actu videtur adeſſe virtualitèr dolor de peccatis, vel ſaltèm quià hoc eſt ſpeciale priuilegium Martyrij.

Tertia coditio eſt; quòd requiritur ad perficiendum Martyrium, pœna, vel cruciatus non quicunque; ſed talis, qui quantum eſt ex ſe, ſit ſufficiens ad inferendam mortem. Vndè vulnus in odium Chriſti inflictum non eſt ſufficiens ad Martyrium, niſi fuerit lethale; ſed ſi tale ſit, & miraculosè Martyra morte liberetur ſatis vtique erit.

Qnarta conditio eſt, vt mors, ſiuè lethalis paſſio inferatur

tur ob aliquam honestam causam, puta, in odium Catholicæ Fidei, ob conseruandam castitatem, defendendam Ecclesiasticam libertatem, aùt immunitatem, vt omnes Doctores fatentur.

Quinta deniquè conditio est, vt ob dictos fines, & motiuá mors similitèr à Tiranno præscriptis modis inferatur, ità in præsenti Bonacina disp.2. q.1. p.1. & 2. qui concludit, quòd non sufficit si crucitus inferatur ob alium finem, alioquin pugnantes in bello ad tuenda bona temporalia, aùt damnati ad mortem, si ob Christi amorem patientèr subirent mortem, dicerentur Martyres, quod est falsum.

Et pro aliquali complemento dicimus, quòd effectus Martyrij est collatio gratiæ *ex opere*, nimirùm, *operato*, delens omnem culpam, & pœnam. Ratio est, quià gratia *ex opere operato* ea est, quæ supra dispositionem, & meritum proprium ipsi; suscipienti Sacramentum, vel martyrium confertur, vt patet ex infantibus, qui vi illius gratiam, & gloriam adipiscuntur.

Quæri adhùc poterit, quid sit Baptismus fluminis, & quando fuerit institutus? Respondetur, Baptismus fluminis. *est Sacramentum consistens in exteriori ablutione corporis, sub verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem animæ*, vt in principio huius Sectionis cum Doctore Angelico q.66. ar.1. firmauimus.

Si verò sequamur Cathechismum Romanum in materia de Baptismo, *est Sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ*. Vtraque tamèn definitio optima est, quià constant ex genere, & differentia, & implicitè continent causas iam aliàs descriptas, materiam scilicèt, formam, finalem, & efficientem. Materia in illis verbis. *Ablutio exterior*, forma *sub præscripta forma verborum*, finalis *ad regenerationem spiritualem*, efficiens denique *à Christo instituta*.

Quoàd verò secundam partem propositi quæsiti; Dicimus Sacramentum Baptismi fuisse à Christo institutum

tutum antequàm crucifigeretur, & non ſolùm quoàd deſignationem materiæ; verùm etiàm quoàd formæ traditionem, & efficaciam, eſt opinio Sacræ Scripturæ conformis, vt docent omnes DD.

Inſtitutio enim huius Saramenti fuit facta in Iordane, quando Chriſtus à Ioanne baptizari voluit, & aqua fuit paritèr inſinuata in aquis Iordanis. Poſtomodùm forma conſiſtens ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, fuit deſignata in voce Patris, in perſona Filij, dicentis. *Hic eſt filius meus &c.* & in perſona Spiritus Sancti, qui ſub ſpecie columbæ viſus eſt. S.Thom. q.66. art.2.

SECTIO II.

De materia remota, & proxima Baptiſmi.

QVæritur primo quænam ſit materia remota huius Sacramenti? Reſpondetur, materia remota, *eſt aqua naturalis, elementaris, & quæ abſque vllo addito verè poſſit dici aqua.* Ratio eſt quià materia remota in Sacramentis eſt res ſenſibilis, & materialis, quæ ad ipſorum vſum adhiberi ſolet, hæc eſt in Baptiſmo aqua elementaris ergò. ita Trid. ſeſ.7. can.2. ibi.

Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideò verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorſerit anathema ſit.

Diximus *aquam naturalem, ſeù elementarem*, vt tàm lato vocabulo compræhendantur omnes aquæ, ſcilicèt, maris, fluminis, lacuum, paludum, puteorum, fontium, mineralium, etiàm balnei ſulphurei, & pluuiarum, quæ verè aquæ elementares, & naturales nuncupantur, ità S.Thom. ex huiuſmodi concluſione.

Infertur primò, inualidum fore Baptiſmum collatum

per

per aliquos liquores, qui patentèr non ſunt aquæ naturales, puta, vinum, oleum, lac, ceruiſia, ſaliua, etiàm multùm ſubtilis, lacrymæ &c. Ratio eſt, quià, nèc euidentèr, nequè dubiè ſunt aqua elementaris, & naturalis, ita Sotus in 4. ſent. diſt. 3. q. vnica art.4. in principio ſic diſcurrens.

Non ſatis, eſt noſſe aquam eſſe Baptiſmi materiam, niſi vlteriùs doceamur; quænam eius mutatio inhabilem reddat, vt ſit materia. Ideò quæritur, vtrum requiratur aqua ſimplex, & pura, & reſpondet D.Thom. duabus concluſionibus in calce articuli.

Prior qualitercunquè tranſmutetur aqua, dummodò non ſoluatur ſpecies aquæ, poteſt fieri Baptiſmus: Poſterior, ſi verò ſoluatur ſpecies aquæ, non poteſt fieri Baptiſmus. Ambas autèm concluſiones, vno ſimplici verbo probat.

Propria materia Baptiſmi eſt aqua; ergò vbicunque ſeruatur aqua eſt Baptiſmus; vbicunque verò non ſeruatur, non erit Baptiſmus. Nomine autèm aquæ intelligitur ſimplex, & pura, hoc eſt, vbi ſeruatur ſpecies aquæ.

Ad cuius intellectum notandum eſt, aquam ſuam puritatem, & ſimplicitatem bifariam poſſe amittere, ſcilicèt, per admixtionem alteriùs corporis, & per alterationem, quorum vtrumque, tàm accidere poteſt per artem, quàm per naturam.

Ars autèm per ſe in hoc deficit à natura, quod nō poteſt formam ſubſtantialem præbere, ſed accidentalem, vt eſt forma ſtatuæ, vaſis &c. Quandò autèm per artem applicatur agens naturale ſuo paſſo poteſt mutare ſpeciem, quarè panis coctus, forſan differt ſpecie à maſſa, vt cineres à ligno.

Fit ergò, vt vbi non ſit tranſmutatio in aqua, niſi per puram artem, tùnc non ſoluitur ſpecies aquæ, quarè in tali aqua fieri poteſt Baptiſmus, vt ſi per artem mutaretur color, aùt odor, aùt ſapor aquæ, aùt ſi ei gutta vini admiſcere-

sceretur. Nisi forsàn admixtio fieret tanta, vt esset potiùs res admixta, quàm aqua.

Vt si aquæ apponas plurimum vini, aùt tersæ in vino illo lymphato fieri nequit Baptismus, ac multo minùs in in luto. Similitèr per naturam transmutatio soluit speciem, sicùt aquam irrigans terram calore vitis, vertitur in vinum, & calore oliuæ in oleum, quarè in illis fieri non potest Baptisma.

Aliquando autèm huiusmòdi naturalis mutatio, non soluit speciem; siuè per alterationem fiat, vt dum aqua calefit, siuè per admixtionem, sicut in aqua turbida, aùt in salsedine maris, quæ secundùm Aristot. per admixtionem fit terrestrium partium, qua proptèr in eis fieri potest Baptismus.

Hic primum omnium ad diluenda minutoria dubia, quæ hoc loco submoueri solent, vnico opus est breuissimo fundamento, nempè, quòd omnis, & sola aqua pura, & simplex, videlicèt, quæ retinet substantiam aquæ, legitima est materia Baptismi. Licèr accidentalitér fuerit mutata, vt si sit calida, amara, turbida &c.

De niue autèm, gelu, grandine &c. diuersa est ratio, quia nix, & grando in veram aquam resoluitur, baptismus igitùr in his confici poterit, si in aquam sufficientem resoluantur.

Sed modò dubium est de aqua ex latere Christi fluente, dùm in Cruce pendebat, an fuerit aqua pura, vel Phlegma? Respondetur illam non fuisse humorem phlegmaticum, vt quidam dixerunt, quià in tali humore non potest fieri Baptismus, sicùt nequè in sanguine, neque in vino, vt suprà firmauimus.

Fuit ergò aqua pura miraculosè egrediens à corpore mortuo, sicùt, & sanguis ad comprobandam veritatem dominici Corporis contrà Manichæorum errorem, vt per aquam comprobaretur, fuisse mixtum ex quatuor elementis, & per sanginem ex quatuor humoribus. Sotus in 4.

sent.

sent. dist. 1. q. 3. ar. 5. §. Cæterùm auctoritatem illam &c.

Ea enim, quæ hucùsque descripsimus, sunt intelligenda in casu quo fieri possit Baptismus in aqua elementari; quiá si infans vita periclitaretur, & aqua elementaris minime habeatur, tùnc, & in eo casu poterit conferri Baptismus, in dubia materia sub conditione mentali, vel expressa, dicendo si hæc materia est apta, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Ex quò sequitur, quòd deficiēte aqua naturali, & vrgente Spirituali animæ necessitate, minister poterit vti aqua rosacea, vel alia quacumque per distillationem elicita ex floribus, & herbis, vel saltèm ex aliquorum similium liquornm materijs.

Ratio est, quiá ex vna parte nulla fit iniuria ipsi Sacramento Baptismatis, & ex alia (quod valdè notandum est pro tyronibus) consulitur extremo periculo spirituali infantis, quandoquidèm eo meliori modo, quo possumus tenemur ex charitate eidem succurrere.

Quæritur secundo quæ sit materia proxima Baptismi, & in quo consistat? Respondetur, quòd proxima materia est ipsa actualis ablutio. Ratio est, quiá materia Baptismi accipi debet, non vt est aliqua res permanens, sèd successiua, & in vsu paritèr successiuo permanens, & consistens; sèd aqua propriè, & formalitèr non est quid permanens, quiá ea vtimur in abluendis necessarijs, ergò aqua, vt talis aqua, non est materia proxima Baptismi, ita DD. communitèr.

Probatur insupèr, quiá illa est materia proxima huius Sacramenti, quæ proximè determinatur à forma; forma verò vllo modo significat, & consequentèr neque proximè determinat aquam secundùm se spectatam; sèd secundùm eius vsum, vt patet ex verbo *abluo*, siuè *Baptizo*, quòd propriè, & immediatè significat oblutionem aquæ, non tamèn ipsam aquam secundûm se ergò &c.

Sequendo paritèr opinionem nonnullorum Doctorum,

adhùc etiâm dicimus,quòd ad ablutionẽ requiritur motus localis ſucceſſiuus ſupèr quém aqua priùs vni parti, & poſteà alteri parti corporis abluendi ſucceſſiuè fuerit à Miniſtro applicata, huiuſmòdi ſententia eſt vera, & ab omnibus confirmata.

Ex qua concluſione infertur, quòd ſi quis immotus in aqua immota maneret, donèc in ea exiſtit nequaquám baptizari poteſt; quiá tùnc non ſequitur vera ablutio,quæ ſempèr dicit motum aquæ per corpus abluti, ſiuè hoc fiat applicando aquam ad corpus, vt in infuſione, ſiuè applicando corpus ad aquam, vt accidit in immerſione. ConinK. q.66.ar.4.num.31.

Vndè ſequitur, quòd minimè eſſet baptizatus, qui ſe ipſum in aquam immergeret,vel eadem ſe aſpergeret,quiá vera ablutio conſiſtit in contactu phyſico corporis baptizandi, & ratio eſt, quia alioquin non poſſumus dicere infantem v.g. eſſe verè, & propriè ablutum, & ſic tùnc non daretur proxima materia Baptiſmi, ita S. Tho.

E contrà verò,ſi infans immergatur in aquam ſecundùm Græcorum ritum, ſiué aqua aſpergatur, vt obſeruant. Latini, Baptiſmus vtique validus erit, quiá vtroque modo infans veré, & phyſicé diceretur ablutus,eſt opinio tuta, & ſic omninò tenenda.

Notandum tamén eſt, quòd quilibet Miniſter ex officio baptizans (ſi commodé poteſt) ſeruare tenetur ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem, & vſum, quòd ſi ordo peruerteretur, peccaret mortalitér, quiá in re graui agéret contrà ritum ſuæ propriæ Eccleſiæ.

Probatur noſtra concluſio ex Angelico Doctore, & Soto in 4. ſent. d. 8. qu. vnica art. 4. á ſimili de pane fermentato, vbi ſic fatetur. Sicùt peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans in pané fermentato, ità peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans in pane azymo, quaſi peruertens Eccleſiæ ſuæ ritum,patet ex cap. *Literas de celebr. miſſ.* ibi.

Litte-

Litteras tuas recepimus continentes, quòd cum supèr excessibus presbyteri Ecclesiæ S. Brigidæ Brinien. inquireres, confessus est, quòd, cum quadam die Hostiam, & Calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit, & infrà. *Cum igitùr, vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur. Mandamus, quatenùs officio, & beneficio perpetuò ipsum priues.*

Diximus, *si commodè potest.* Aduertendũ tamén est, quòd si in seruandis propriæ Ecclesiæ consuetudine, & ritu, aliquod adesset impedimentum, his adhùc non seruatis Minister sic baptizando minimé peccaret, vt si Græcus Sacerdos in baptizandis adultis, quos prê eorum materialitate, immergendo in aquam non posset sustentare, & alioquin mortis periculum immineret licét contra suæ Ecclesiæ actũ ageret, non peccaret mortalitér, si per aspersionem baptizat, ita Syluester verb. Baptis. 4. n. 2.

Sed quid si aqua propriè, & immediaté aliquam partem corporis baptizandi minimè tangat? Respondetur nullus erit Baptismus; quià tùnc non diceretur contactus physicus, & immediatus corporis baptizandi, & sic non esset vera ablutio. Sed clariùs ex exemplo sequenti.

Si quis existens in Corio, vtre, siué pellicula suæ generationis (quæ secundina vocatur) aùt vestibus indutus, aqua aspergatur, & nulla pars corporis illius immediaté madefiat, & abluatur, non esset baptizatus. Si verò aqua penetraret vestes, pellem, corium, & immediaté flueret per partes corporis baptizandi, validus esset baptismus, cum sit vera ablutio, & talis dicatur. DD. communitér S. Tho. quæst. 68. art. 11.

Sed quid dicendum de eo, qui nõ caput, neque aliæ corporis partes, sed tantùm capilli abluerentur, esset, nè veré baptizatus? Bonacina hic, & alij negatiué respondent. Sotus verò in 4. dist. 3. qu. vnic. art. 7. affimatiué.

Crediderim (sunt verba Soti) tamén esse baptismum; quià capilli suo modo partes sunt capitis: nàm licét sint eius ex-

excrementa, viuunt tamén in ſenſu capilli, quandoquidém creſcant. Non tamén omninò ſcrupuloſum hominem condemnare, ſi cum conditione eiuſmòdi baptizatum rebaptizaret, alia particularia videantur apùd eundem Auctorem.

Inſtabis, quid ſi infans fuerit in vtero materno incluſus, & nullo modo poſſit immediatè ablui, & in mortis articulo exiſtat? Reſpondetur, non eſt baptizandus, neq; mater pro eo; quiá cum ſit diſtincta à filio in vtero licét latente ipſa matris ablutio minimé erit reputanda ablutio filij, S. Angelicus Doctor qu. 66. art. 11. cit.

Nequé hic prætereundum eſt, quòd bis nobis accidit, qua occaſioue poſtmodùm obſtetrix fuit inſtructa, ſcilicèt, ſi infans manu obſtetricis, dicitis priùs aqua madefactis immediaté tangi, & ablui, etiàmſi vlla pars corporis in lucem prodierit, inſtante morte, poſſe tali modo infantem baptizare, vt expreſsé docet hic Gabriel.

P. Suarez verò in præſenti ſic diſcurrit. Quacunque ratione fieri poteſt, vt infans abluatur, id ſatis erit ad valorem Baptiſmi, etiamſi propria natiuitas humana non præcedat, quia ſubſtantia Sacramenti conſiſtit in ablutione ſub debita fórma verborum. Vndé ſi mortua ſit mater habens infantem in vtero, aperiatur, & detegetur puer, illa non poterit dici propria corporalis natiuitas, & tamén eſt certum, puerum in talibus circumſtantijs poſitum poſſe baptizari, & debere, quamuis matris obitus præcedat.

Comitolus tamén lib. 1. reſponſ. moral. qu. 13. Filliucius hic num. 33. & alij quàmplurimi in huiuſmòdi caſu exiſtimant nullo modó fore conferendum baptiſmum, cum adhùc infans minimè natus ſit, & conſequentér neque debeat renaſci ſpiritualitér, qui priùs corporalitér non prodijt in mundum, quandoquidém eſſet contrá Chriſti ordinationem, vt dixit Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Nos verò concludimus primam ſententiam eſſe in praxi tenendam, præſertim vrgente mortis articulo, ſaltèm ſub con-

conditione, & sub eadem, si superuixerit infans rebaptizandus. Ratio est, quia nulla Sacramento irrogatur iniuria, & eo meliori medio, quo possumus tenemur saluti spirituali ipsius consulere; vt apertissimè patet ex dictis.

Contrà Comitolum, Filliucium, & quamplures alios supracitatos, occurrit exemplum hìc memorandum Sancti Raymundi, cognomento Nonnati, qui præter (vt suæ vitæ in Breuiario Romano &c. vtamur verbis.) *Communem naturæ legem è mortuæ matris difecto latere in lucem eductus fuit*; Eiusdem annua festiuitas ab Ecclesia celebratur die 31. Augusti.

Quamuis autèm, quæ fuerunt à Suarez firmata (quando nimirùm, mater prius mortua est) videantur superflua, nihilominùs minimè sunt omittenda; quiá nunquàm licet (etiamsi esset morti proxima, & infallibilitèr moritura) aperire ipsius vterum, & sic eam interficere, vt infanti administraretur Baptismus; cum nemo sit dominus alienæ vitæ, minùsque facienda sunt mala, vt eueniant bona, & malum intrinsecè in vllo casu honestari potest.

Restat intereà aliud dubium dilucidandum, nimirùm, qualis pars corporis baptizandi sit abluenda? Resp. eam esse debere, in qua baptizandus absolutè, & simplicitèr dici possit ablutus; & sic minimè necessarium erit totum abluere corpus, quòd in adultis indecens foret. Satis tamèn erit aliqualis, siue quælibet minima pars corporis, vrgente necessitate, vt diximus, ità S. Tho. & alij communitèr.

In praxi tamén sempèr (quando haberi potest) nobilior pars est eligenda. Caput est omnium aliarum partium nobilissimum, eò, quiá in illo vigent omnes sensus, ità Angelicus Doctor. Itém quoád validitatem Baptismi satis sufficientér erunt scapulæ, & pectus, néc in his partibus collatus Baptismus erit repetendus.

In casu necessitatis, si abluatur tibia, brachium, pes, vel manus, asserunt quamlurimi, infantem fore sub conditione baptizandum, dummodò superstes euaserit: Alij verò, in-

tèr

tèr quos Nauarrus, existimat, hoc minimé esse necessarium. Nos verò firmamus primam opinionem esse in praxi tenendam. Secùs tamén erit dicendum de infante in casu necessitatis abluto in manus, vel pedis digito, nàm istorum partium ablutio, non videtur sufficiens ad determinandum infantem simplicitér ablutum.

Aduertendum tamén hìc est, quòd existente casu necessitatis, Minister poterit Baptismum in quolibet corporis parte administrare, ac etiàm in solo digito licét minimo, si alitér conferre nequeat, & hoc non solùm de consilio fieri debet, séd etiám de præcepto ex vinculo charitatis prouenientе, quià omni modo, & medio tenemur alterius animæ periculum præcauere. Iuxtá illud. *Quòd tibi vis alteri feceris.*

Séd ad præsens quæri potest, quæ quantitas aquæ ad Baptismum sit sufficiens. Resp. quòd tanta satis est, quanta dici possit, vt Baptizandus simplicitèr dicatur veré ablutus. Ratio est, quià quotiescunque tanta est aqua, vt quis possit denominari ablutus, tùnc datur materia proxima huiusmòdi Sacramenti, & consequentér adhùc etiàm illius materiæ daretur verificatio, ità Angelicus Doctor.

Ex quo sequitur, quòd validum est Sacramentum Baptismi tàm collatum per trinam immersionem; quàm per infusionem, vel aspersionem. Ratio est, quià Christus non potiùs vnum, quàm alium abluendi modum præscripsit, cum in vtroque ex his vera reperiatur ablutio; ergo. (Hæc tamén limitaté sunt intelligenda, scilicét, vt minister Græcus, & Latinus extrà casum necessitatis, vt diximus, suæ Ecclesiæ seruet ritum.

Quòd si Baptizandus vna, aùt altera exigua aspergatur guttula aquæ, Sacramentum minimé fore validum, licét ipsa guttula aquæ successiué fluxerit. Ratio est, quia talis ablutio non posset denominare infantem veré fuisse ablutum. Vasquez, & alij contrariam defendunt opinionem; asserit enim ipse, validé posse conferri baptismum, etiàm in vna sola aquæ gutta.

In

In eadem sententia adhùc persistit Hurtadus diff.6.tempore saltè, quo instaret mortis periculum, & firmat idem Author, neque cum maiori aquæ gutta debere baptizari. Nos verò ad conciliandam tanti Authoris sententiam firmamus, hoc esse intelligendum de sufficienti aquæ gutta ad abluendum infantem.

Quòd si illa gutta aquæ esset multùm exigua, & minutissima stillula ad instar athomi, vel milli grani, contrarium sustinemus, minùsque cum ea posse confici baptismum, sicùti nêque poterit conferri, cum gutta aquæ, quæ ordinariè, & paulatìm defluere, & cadere solet è tectis, & in huiusmòdi sensu, est etiám intelligenda opinio P. Vasquez.

Et sic dicimus, validum autém. fuisse Baptismum à quadam muliere infanti moribundo collatum, cui digito aqua madefacto, in ipsius fronte signum fuit impressum, formam debitam proferendo, vt fuit à Comitolo resolutum; quiá in tali baptismo adfuerunt essentialia, & illa modica aqua licèt parua, adhùc fuit sufficiens ad abluendum infantem; quòd intelligendum est de sufficienti aqua, vt suprà firmauimus.

Adhùc paritér dicimus, quòd si infans, dùm ad sacrum ducitur fontem, & quando incipit baptizari priùs quàm abluatur, moriatur, non erit baptizatus, & sic in loco sacro minimè erit humandus, quiá (vt diximus, séd infrá meliùs) subiectum Baptismi, est homo viator. Infans verò, vt supponimus, non fuit perfectè ablutus antequám expirasset, ergò talis ablutio non fuit idoneo subiecto adhibita.

Contrarium tamén defendunt Syluester, Bartholomæus ab Angelo, & alij, asserentes in huiusmòdi casu vicem Baptismi Deum supplere: Quòd hæc opinio sit pia, negari minimè potest; nihilominùs ab omnibus (cum nulli fundamento nitatur) reijcitur, maximè quià vsque adhùc nemini hoc fuerit reuelatum, minùsque fundari poterit supra aliquali certitudine.

Non

Non omittamus intereà solutionem illius casus, quem Panormitanus suis temporibus contingisse narrat, nimirùm, quidam aduertens, infantem, qui ad baptizandum deferebatur animam agentem, non valens áliter illum baptizare, dùm ad sacrum fontem duceretur, eum proiecit in flumen cum intentione, & forma debitis baptizandi.

Cumque de Sacramenti validitate quæsitum fuerit, Canonistæ feré omnes (vt ipse Panormitanus testimonium verùm refert) validum fuisse responderunt, est etiám omnium Theologorũ sententia, vt videre est apùd Bonacinam hìc contrá Syluestrum, & alios. Ratio est, quiá, interfuerunt, materia, forma, & intentio ministri, & ablutio insupér á baptismate causata.

Minimé tamén obstat Aduersariorum obiectio, asserentium, quòd talis esse debet ablutio in Baptismo, qualis paritér ad ablutionem, & immersionem, & hæc in casu præsenti non intercesserunt, sèd sola baptizati emersio, quæ non poterat significare Christi resurrectionem.

Quià hoc facilé soluitur, cum minimé sit necessaria emersio, & per solam immersionem adhùc infans satis denominatur ablutus, & fortiùs, quiá Christi resurrectio in tali casu per spiritualem regenerationem, & resurrectionem sufficientissimé significatur, licét actualis non sequatur emersio.

Nos verò respondemus, & non minùs firmamus, quòd de essentia huiusmòdi Sacramenti minimé necessarium erit, vt Christi resurrectio repræsentetur; séd solùm satis esse illius sepulturam repræsentari, vt habetur ad Romanos 6. *Consepulti enim sumus Christo per Baptismum.*

Aduertendum tamén est, quòd nullo modo, & hac ratione infans baptizari debet, quiá minister non minùs peccabit, quàm irregularitatem incurreret. At verò si daretur casus, in quo infans adeò esset morti proximus, vt si etiám aqua parua ablueretur proculdubio expiraret, & nihilominùs eidem huiusmòdi Baptismus conferendus erit,

Verùm

Est probabilior opinio; quià talis ablutio ex se, non est apta ad inferendam mortem. Patet hoc, quià multi paruuli, imò ferè omnes de recenti nati, vt ex quotidiana experientia habetur, abluuntur, nèc propterea moriuntur; ergò in huiusmòdi casu, poterit quis infantem baptizare absque peccato, incursu homicidij, & irregularitatis.

Et fortiùs, quià tale homicidium ex illo baptismo per accidens sequeretur, quòd quidèm minimè accidit quandò in flumen proijcitur, vt ex se patet, & cum minister daret operam rei licité, ad quam habet ius, & præceptum charitatis, hìnc est, quòd non esset eidem tale delictum tribuendum.

Minùs esset Infans baptizatus; qui aliquo casu in flumen decidit, vel ab alio in idem proijciatur, alter ipsorum proferendo formam, quià in neutro casu ablueretur à proferente formam, cum illius verba non verificari possint, dùm dicit *Ego te baptizo*.

Nequè dici poterit, quòd minister abluat, dùm alter reuerà formam minimè proferat. Secùs tamèn dicendum est de baptizando, qui tectorum stillicidijs, pluuiali tempore, vel liquescente niue, supponeretur, & à ministro forma proferatur Ratio est, quià, proferens formam benè dicitur infantem abluere, & eadem equidèm verificari.

Negant tamèn nonnulli Authores, validum futurum Baptismum, quandò quis manibus tenendo infantem verba proferret, & alius aquam superinfunderet, eò quòd puer, hoc modo, non posset dici ablutus à ministro formam proferente, & consequentèr falsa redderetur ipsa forma, vt superiùs diximus.

Cœterùm non videtur posse assignari disparratio propèr quam in hoc secundo casu baptismus non sit validus, & sit validus in primo, vt legenti patet. Concludendum igitùr restat, vel in vtroque casu Sacramentum Baptismi effici validum, vel quòd magìs placet, in neutro; quam plurima dubia hìc omittuntur, vt progrediamur ad alia.

SECTIO III.

De forma huius Sacramenti.

ANtequàm huiusmòdi sectionem ingrediamur, nonnullas quæstiones resoluere debemus, notandum igitùr est, formam huius Sacramenti duplicem esse; vnam, quæ seruatur in Ecclesia Græca; Altera verò in nostra Latina. Forma, quæ à Græcis vsurpatur est. *Baptizatur*, siuè *Baptizetur Seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quæ verò à Latinis. *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

Ex quibus, si essentialia spectentur in vtraque formam, vna, & eadem equidèm significatio apparet. Diuersitas tamèn solùm in accidentalibus cognosceretur. Nàm quidquid minister Latinus profert in prima persona, Græcus in tertia fatetur.

Hoc factum est in Ecclesia Græca, nè videretur minister sua virtute, & efficacia hoc Sacramentum conferre, & non minùs schismatis tolleretur occasio, vt habetur 1. Corint. 3. *Ego quidèm sum Pauli. Alius autèm ego Apollo*. Forma Græcorum est sufficiens,& valida, licèt Syluester contrarium defendat, & ideò ab omnibus reijcitur.

Agemus itaquè de nostra forma latina, & quisnam eam instituerit, & sic dicimus, fuisse à Christo institutam. Patet expresè ex Conc. Trid. de Baptismo sess. 7. & Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

Hìnc sequitur huiusmòdi formam, non solùm esse sufficientem; verùm etiàm necessariam, tùm necessitate præcepti, tùm necessitate Baptismi, siuè medij, quandoquidèm, ità fuisset à Christo determinatum, vt omnes Doctores concorditèr scripserunt.

Sèd

Sèd si quæratur, quæ in ea forma contineantur, & quomodò singula sint accipienda. Respondetur quatuor in illa contineri. Primò in voce *Ego*, quæ significat personam baptizantis. Secundò in verbo *Baptizo*, quòd significat actionem externam abluentis. Tertiò in verbo *te*, quod significat personam Baptizandam. Quarto deniquè in verbis. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quæ significant inuocationem Sanctissimæ Trinitatis,

Dicimus ergò primò, quòd pertinet ad personam Baptizantis, eam minimè esse necessariò directè in forma exprimendam. Vndè si Baptismus in tertia persona conferatur, adhùc validus esset, quià forma Græca est valida vt ex Conc. Florentino liquidò colligitur; licèt dicatur *Baptizetur &c.*

Vndè si omitteretur significatio personæ; sèd priuatìm, & sinè scandalo, peccatum solùm erit veniale; si verò publicè, & solemnitèr, erit lethale, quià licèt minimè sit de necessitate medij expressio directa ministri, quæ est cùm ipse loquitur in prima persona; est tamèn de necessitate præcepti in nostra Ecclesia Latina. Patet ex Concilijs citatis, & ex vsu eiusdem Ecclesiæ.

Ex dictis colligitur multó minùs requiri ad Baptismi validitatem expressionem pronominis *Ego*; nihilominùs obseruanda est consuetudo Ecclesiæ, quòd si omitteretur ob materiæ paruitatem esset peccatum veniale, mortale verò si cum scandalo, & contemptu fiat.

Dicimus secundo, quòd spectat ad actionem, eam omninò minister exprimere debet, tali modo, vt expressis verbis, vèl ex adiunctis circumstantijs significet eam à se fieri in ordine ad Sacramentum vti à causa instrumentali, à Christo autèm tamquàm à causa principali, vt fuit definitum in Conc. Florent. in decr. Armenorum, & cap. 1. *De Baptismo* ibi.

Si quis puerum tèr in aquam immerserit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non esset puer Baptizatus. Et ratio est

 quià

quià alioquin forma suum non vtique haberet sensum; & sic nullo modo actio abluendi (licèt exprimatur,) si non referatur in ordine ad Sacramentum conficiendum, non equidèm erit validus Baptismus. DD. Communitér.

Ex dictis sequitur hasce formas validas esse, scilicèt; *Baptizet*, vel *Baptizat te Christus in nomine Patris &c.* vel *Baptizeris à Christo &c.* dummodò minister, quandò hæc verba protulerit, non habeat explicitam intentionem, non concurrendi instrumentalitèr ad illam actionem, vt benè aduertit Sotus.

Ratio est quià huiusmòdi formæ, quandò absolutè, & simplicitér proferuntùr adhùc etiàm significant actionem exercitam à ministro, & non minùs, quàm eamdem actionem hæc forma significet *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

Dicimus paritèr validas esse has formas *Ego te lauo*, *intingo &c.* quià hæc sunt synonima, & interdùm significant actionem baptizandi instrumentalitèr procedentem à ministro, sicùti verbum *Baptizo*, vt putat, Suarez Comchius, & alij. Est tamèn sempér vsurpandum proprium verbum *Baptizo* etiàm quandò italicè pronunciatur; vt notat Fillucius.

De verbis verò *mergo*, siuè *immergo*, nonnulli dubitant, cò, quòd in illis non videtur exprimi actio baptizandi, seù abluendi: Alij tamèn omninò affirmant, qui etiàm idem afferunt de verbo *infundo*. Negant nihilominùs hæc verba, *Ego te mundo à peccatis*. *Ego te proijcio in aquam*, significare actionem baptizandi, ac proindè aiunt minimè posse cum illis Sacramentum confici.

Quòd tamèn spectat ad personam Baptizandam, in forma eam esse necessariò exprimendam. Ita S. Thomas suprà citatus. Probatur ex Christi verbis. *Baptizantes eos &c.* vbi non dixit solùm. *Baptizantes*, sèd superaddidit *eos*, qua voce personas baptizandas expressit.

Probatur insuper, quià per formam debet significari distin-

stin-

stinctio intèr baptizantem, & baptizatum, sicùti in generatione corporali adhùc paritèr datur distinctio intèr generatum, & generantem, vt patet de Baptismo, & eius effectu cap. 4. ibi.

Debitum &c. sanè intimasti, quòd quidam Iudæus in mortis articulo constitutus, cum intèr Iudæos tantùm existeret, in aquam seipsum immersit, dicendo ego Baptizo me, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Santi, Amen &c. Respondemus, quòd cum intèr baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio, sicùt ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis. Ite Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Memoratus Iudæus est denuò ab alio baptizandus, vt ostendatur, quòd alius est, qui baptizatur, & alius, qui Baptizat. Ad quòd etiàm designandum, ipse Christus, non à se ipso, sed à Ioanne voluit baptizari: quamuis si talis continuò decessisset, ad Cælestem patriam euolasset propter Sacramenti Fidem, etsi non proptèr Fidei Sacramentum. In Baptismo quippè illa Spiritualis generatio celebratur, de qua veritas ait. Oportet vos nasci denuò, quià nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum. Sicùt èrgò in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit; sic, & in Sacramentali generatione, qua suboles ex aqua, & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse, qui spiritualitèr generet. Sanè cum corpus exterius, sine cum cor interiùs Baptizatus, oportet vt vtrobique Paternitas, & Filiatio valeat inueniri, quibus Baptizans, & Baptizatus ad inuicèm referantur.

Quòd si in necessitate multi simùl baptizarentur, & loco *Te* diceretur *Vos*, validus, & licitus erit, tali modò, collatus Baptismus. Validus quià sensus formæ non mutatur. Nàm idem sonat dicere, *Ego vos baptizo*, quàm dicere, *Ego baptizo te, te, te &c.* in particulari. S. Thom.

Licitus paritèr, quià hìc, & nùnc, vt supponimus, vrget necessitas, extrà quam eo modo baptizare, lethale esset peccatum, sicùt veniale esset si vnus baptizaretur, & per

per ignorantiam, aùt reuerentiam minister diceret *Ego vos baptizo*. Fillucius.

Quòd verò spectat ad personas Sanctissimæ Trinitatis, dicimus, eas necessariò esse exprimendas in forma, vt simùl significetur vnitas essentiæ, & Trinitas personarum, & quidèm vtraque expresśé, & explicité, nèc sufficiens esset implicitè, & tacitè. Est communior Doctorum sententia.

Notandum insupèr est, quòd si vna ex his tribus omitteretur persona, tàm culpabilitèr, quàm inculpabilitèr, vtiquè forma redderetur inualida. Quòd sit exprimenda vnitas, patet ex verbis Christi. Baptizantes eos *in nomine &c.* Quòd verbum *in nomine* singularitèr prolatum vnitatem essentiæ significat, vt Ecclesia sentit, & SS. PP. sunt interpretati.

Et eò fortiùs, quià sicùt ad consequendam æternam salutem est omninò necessaria, & simplicitèr Fides Trinitatis personarum; ità paritèr ést necessaria simplicitèr Fides vnitatis essentiæ. Est sententia multorum Theologorum, & præsertìm Doctoris Angelici. Quem alij sequuntur.

Quòd sit exprimenda Trinitas personarum. Probatur, non solúm, quòd Christus Dominus sic præcepit cum dixerit *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, verùm etiàm, quià, Fides Sanctissimæ Trinitatis est etiàm ad æternam salutem consequendam necessaria, vt supra innuimus. Ita hìc Valentia, & alij.

Ex huiusmòdi firmata conclusione Infertur, quòd vllo modo dici potest. *Baptizo te in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Nàm clarè patet in tali forma minimè expresśè existere vnitatem essentiæ, quàm diximus, esse explicitè, & distinctè exprimendam.

Quæritur hìc, an validè baptizauerit quædã mulier hisce verbis. *Io ti battezzo col Padre, col Figlinolo, e col Spirito Santo*. Respondetur, quòd licèt Comitolus lib. 1. qu. 10. affirmet, nihilominùs oppositum est sustinendum, quià in forma, tali modo, prolata, nulla fit expressio, & mentio vni-

vnitatis diuinæ essentiæ, sed solùm personarum. Coninch.

Cum illa vox *in nomine*, vix habere possit verbum synonimum, & adequatè æquiualens, vt aduertit Author citatus, hinc est, quòd forma prolata cum alijs verbis, vti sufficiens minimè erit tenenda, & sic dubiæ erunt formæ sequentes. *Te baptizo in virtute, in auctoritate, sub innocatione Patris &c.*

Idemque firmandum erit de huiusmòdi forma, nimirùm. *Ego te baptizo in vnum Deum &c.* quandoquidèm illa particula *in* vllam habet significationem, vti particula *in nomine*, cum in ea non exprimeretur, sicùti in hac, vnitas essentiæ.

Similitèr inualidas esse sequentes formas. *Ego te Baptizo in nomine Christi, in nomine trium personarum, In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Dei, & S. Crucis*, cum in eisdem formis sæpè substantia sensus mutetur, & Trinitas personarum distinctè, & explicitè non exprimatur, sèd solummodò in confuso, vt habetur de *consacrat. dist.* 4. cap. 30. ibi.

Si reuerà hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorati dicuntur, solummodò se in nomine Domini Baptizatos fuisse forsitant confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo, eos ad Catholicam Fidem venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin verò apùd dilectionem tuam eorum, qui conuerti volunt, manifesta confessione claruerit, qui in nomine Trinitatis fuerint Baptizati: sola reconciliationis impensa gratia, Catholica sociare Fidei maturabis, vt tali dispositione seruata nihil aliter, quam quòd Euangelica iubet auctoritas temeritatis cuiusquam Spiritu videatur effectum.

Et in cap. *In Synodo eadem distinc.* & paritèr in cap. *Hi vero hæretici eadem dist.* 4. *de consecratione* habetur, quòd Baptismus collatus *in nomine Domini*, nullus est, & Baptismus datus *in nomine Christi* tantùm, est inualidus, solummodò perficitur si dicatur. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Nihil tamèn obstare videtur, quòd Apostoli, vt colligitur

tur ex eorum Actis, baptizauerint *in nomine Christi*. Quia, respondetur per illa verba expreſsè, & explicitè exprimebatur inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, quòd negarè indecens vtiquè eſſet. *In nomine* verò *Christi*, hoc eſt, in vi, & virtute Baptiſmi inſtituti à Christo. Ad differentiam Baptiſmi à Precurſore collati.

Vèl ſaltèm *in nomine Christi*, vna cum *nomine Patris*, idèſt; *In nomine Patris, & Filij Ieſu Christi Domini nostri, & Spiritus Sancti*, vt dicit Victoria cum alijs. Et hoc ex diuina diſpentione. Nèc implicat, quòd Deus hoc facere potuiſſet, cum ipſe, ſimplicitèr loquendo, potiùs his, quàm illis verbis in collatione effectus Sacramentorum minimè alligatus fuerit: Vide Sot. in 4. ſent. diſt. 3. quæſt. vnic. art. 6.

Ex dictis igitùr colligendum eſt, inualidas eſſe formas, ſcilicèt, *Ego te Baptizo in nomine Trinitatis. Trium Perſonarum*, ſiuè, *Prima, Secunda, & Tertia Perſona*, aùt *in nomine potentis; ſapientis, & boni. Vel, in nomine Genitoris, ſplendoris gloria eius, & flaminis.* Ratio eſt, quià omnes iſtæ formæ, vèl non continent inuocationem Trinitatis perſonarum, vèl eam continent implicitam, quòd minimè eſt ſufficiens, vt patet ex dictis.

Sèd quid, ſi dicatur. *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & ſpirati, ſeù ab vtroque procedentis?* Nonnulli arbitrantur huiuſmòdi formam eſſe validam intèr quos eſt Caietanus, quem alij ſequuntur, eò quòd hæc verba ſint ſynonima, & eamdem habent ſignificationem; ac *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

Alij verò illam tamquàm inualidam reijciunt, quandoquidèm ſub illis nominibus, Trinitas perſonarum minimè explicetur, & inuocetur, vt Chriſtus huiuſmòdi modo eam inſtituit, & cum hæc opinio ſit tuta; ideò in praxi eſt tenenda. Ita S. Thom. Scotus, Sotus, & ferè omnes alij Theologi.

Petes, an hæc forma ſit valida, nimirùm, *In nomine Patris*

tris Omnipotentis, Filij Vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti? Respondetur, validum esse, quia hæc mutatio est accidentalis, & illa mutatio verborum, non videtur mutare sensum formalem formæ, & eodem modo dici posset, si ex indiscreta ministri intentione in fine formæ adderetur. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Sanctissimæ Virginis*, vt illius protectio, & intercessio infanti prodesset.

Forma prædicta in tali euentu, ob allatam rationem foret valida, licèt contrà Grassium: At si Baptizans intendat *nomen Virginis*, tanquàm *nomen Patris &c.* & per errorem arbitretur B. Virginis Mariæ inuocationem esse substantialem istius formæ inualidè quidèm baptizaret, quandoquidèm substantialitèr ipsa forma mutaretur. Omnes communitèr.

Ad firmandam igitùr generalem regulam, vt faciliùs dignosci possit, quandonàm forma Baptismi bona sit, vel non? Dicimus, quod est omninò attendenda mutatio, an nimirùm, essentialis, vel accidentalis sit tantùm. Quia in prima nullum, in secunda verò validum redditur Sacramentum, vt patet ex dictis, quæ firmauimus suprà de Sacram. in genere, sect. 2.

Solummodò restat pro complemento præsentis Sectionis breuitèr agere de forma conditionata, qua minister vti potest, quando extat aliquod dubium, an Baptismus fuerit benè, vel malè collatus, vel quandò saltèm quis dubius remanserit ob diuersam Authorum opinionem, vtrum conferri possit in tali materia, parte corporis, & forma?

Forma autèm conditionalis est, quandò, nimirùm, dicitur, *si non es Baptizatus, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Nequè erit necessarium addere. *Si es Baptizatus ego te non baptizo &c.* In quibus verò casibus particularibus sub conditione, conferri possit Baptismus, infrà meliùs explicabimus.

SECTIO IV.

De Ministro, eiusque præceptis.

SVpposito, quòd duplex esse possit Baptismi Minister, vnus necessitatis, & alter ex officio, hìc quæri potest quisquam sit Minister necessitatis? Respondetur, quòd est quilibet homo ratione præditus, & quòd sciat formam proferre, & materiam applicare. Ità habetur in Conc. Florentino. Ratio est, quià cum hoc Sacramentum sit simplicitèr necessarium, cuicumque homini capaci in casu necessitatis, licet illud administrare. Ita S. Tom. 3. par q. 66. num. 2.

Diximus, *quemlibet hominem*, vt comprehenderentur fideles, infideles, hæretici, Pagani, excommunicati, Degradati, &c. Qui omnes in necessitate validè baptizare possunt; dummodò tamèn intentionem habeant faciendi quidquid Ecclesia Catholica, vti vera sempèr facit. Hæc autèm intentio in hæreticis cuiuscumque sectæ extat, dùm facere intendunt, quod sua facit Ecclesia, licèt reuerà minimè intendant, quod facit Ecclesia Romana, & sic ipsi errent, nihilominùs habent intentionem faciendi, quod vera facit Ecclesia, qualem suam esse arbitrantur. Bonacina de Sacram. disp. 2. punt. 5. q. 2. n. 4. qui citat Angelicum Doctorem, vbi supra, nu. 3. *& de consacratione distint.* 4. *& seqq.* ibi.

In necessitate, cum Episcopi, aùt prasbyteri, aùt quilibet Ministrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat, etiàm laicos solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

Quòd tamèn firmauimus de viatoribus masculis, idem paritèr dicendum est de fœminis omnis sectæ, & religionis, dummodò in eisdem concurrant omnia, quæ superiùs numerauimus.

Sèd de obstetricibus quid dicendum? Respondetur istas sub peccato mortali teneri memoria retinere formam, de qua egimus in præcedenti sectione, & non minùs modum baptizandi, ad vitandum periculum extremæ necessitatis spiritualis infantis, quòd in facto sæpesæpius contingere potest, vt benè aduertit Toletus, & alij.

De Angelis, & animabus Beatorum è corpore separatis absque diuina dispensatione, hoc munere minimé fungi possunt, cum exercere nequeant humanas actiones, & fortiùs, quia verba vitalitèr nequaquàm proferre possunt. Ita Grassius 2.par.decis. lib.1.cap.4.num.4.

Diximus, *absque diuina dispensatione*, quia tali existente, potest Redemptor noster Angelis bonis huiusmòdi potestatem committere proptèr aliquam excellentiam personæ, quæ baptizatur, tanquàm egregium miraculum fidei, sicùti de Clodouæo Francorum Rege in vita Remigij legitur, qui cum ad fidem conuersus, sacro fonte tingeretur, nequè haberetur copia Chrismatis, columba rostro illud in ampulla aduolando attulit. Sotus in 4. sent. dist. 5. art. 7. §. verum tamèn his nihil obstantibus.

Additur insupér, quod si quis extrà necessitatem, non existente Sacerdote, baptizaret (non tamén solemnitér, cum aliam contraheret pænam, quia solius Sacerdotis est hoc exercere ministerium) peccaret, quandoquidèm tàm Laicus, quàm Clericus in re magni momenti contrà Ecclesiæ prohibitionem temeré faceret.

In casu verò extremæ necessitatis, & commodê fieri possit, est hic ordo seruandus, nimirùm, quòd præsente Catholico, non potest infidelis baptizare, nequè Clericus, presente Sacerdote, minùsque simplex Sacerdos, existente Parocho, ità Filluccius cum Victoria.

Subdunt verò alij, vxorem cedere debere suo coniugi, dùm infans vita periclitaretur, & alius non adsit præsens, cum ad nobiliorē ministrū pertineat (si alitèr necessitas mininimè postulauerit) in huiusmòdi casu, Sacramentum Baptismi

tissimi administrare, nèc contraheret cognationem Spiritualem; vt clarè colligitur ex sequenti cap. 30. q. 1. ibi.

Ad limina Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Principum hic præsens homo nomine Stephanus rationis causa veniens nostro præsulatui, suggerendo innotuit, quòd filium suum in extremo vitæ positum, necdùm baptismatis vnda lotum, absentia scilicèt, Sacerdotum necessitate cogente baptizasset, eumque ipse proprijs manibus retinendo suscepisset, atque pro huius rei negotio notitiæ tuæ patefacto, reuerentia tua, quasi rectitudinis zelo flagrans præfatum hominem à sua coniuge iudicauerit separandum: Quòd fieri nullatenùs debet, dicente Scriptura à Domino esse viro iunctam Vxorem. Et quod Deus coniunxit homo non separet. Vndè Dominus in euangelio non dimittere poss. vxorem suam nisi causa fornicationis, apertissimè iubet.

Quà proptèr, & Nos tantæ austeritatis iussione præcipuè freti, dicimus omittendum esse, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit. Nàm hoc baptizandi opus laicis fidelibus iuxtà Canonicam authoritatē, si necesse fuerit facere, liberè conceditur. Vndè si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens ne animam perpetua morte pereuntem dimittere sacri vnda baptismatis lauit, vt eum de potestate auctoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi, iàm regnaturum sinè dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, & idcircò suæ vxori sibi iam legitime sociatæ impunè, quamdiù vixerit, iudicamus manere coniunctum, nèc ob hoc contrà præfatas auctoritates diuinas aliquatenùs separari debere.

Sèd si quæratur, quisnam sit Minister Sacramenti Baptismatis ex officio? Respondetur quòd est tantùm Sacerdos. Colligitur ex Florentino, & *de consecratione distinct.* 4. ibi *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum. Eiusdem mysterium, nèc ipsis diaconis explere est licitum absque Episcopo, vel presbytero, nisi his procùl absentibus vltima languoris necessitas cogat. Quòd, & laicis fidelibus plerumque permittitur, nè quispiam sine remedio salutari de sæculo euocetur.*

Ratio est, quià sicùti Sacerdos in Christi Corpus potestatem

tem habet, ità paritèr solus Sacerdos auctoritatem retinet, & exercere poterit in Christi Corpus mysticum; vt in præsenti docet Doctor Angelicus, & alij; eumdem sequentes.

Aduertimus tamèn, quòd intèr Sacerdotes primo loco numerantur Episcopi. 2. Parochi, & ambo sunt huius Sacramenti Ordinarij Ministri. 3. Simplices verò Sacerdotes, qui licèt potestate ordinis minimè careant, nihilominùs iurisdictionem non habent. facultas eisdem conceditur ab Episcopis, vel saltèm à Parochis, sine qua, si solemnitèr baptizarent. peccato lethali minimè carerent, nullam tamèn irregularitatem incurrerent.

Vrgente verò necessitate ab omni labe essent immunes; eò, quià sunt ratione sui Ordinis Ministri. Diaconi paritèr sunt huiusmodi ministerij capaces ex vi ordinationis, vt patet ex citato capitulo *Constat*. De alijs inferioribus ecclesiasticis, dicendum est non publicè, sèd priuatè posse baptizare. ità S. Thomas.

Aduertimus Insupèr, quòd Minister Baptismi tàm necessitatis, quàm ex officio, vnus tantùm esse debet: Si verò plures sint inualidè baptizant. Ratio est, quià persona ministri immediatè repræsentare debet personam Christi, sèd persona Christi est vna; ergò vnus esse debet Minister. S. Thomas; & omnes alij communitèr, ex quibus præmissis.

Inferri potest, quòd plures personæ baptizare possunt singulos, dummodò intentionem habeant faciendi vnum Sacramentum, & vnus ab alio sit independens, & non minùs applicet sufficientem materiam, & debitam proferat formam.

Ratio est, quià positis essentialibus, idèst materia, forma, & intentione, necessariò sequitur Sacramentum: non ènim implicat, quòd multi ad eumdem effectum, & finem concurrant, vt passim contingit in ordinandis ab Episcopo, dùm simùl eamdem consecrant hostiam. S. Thom.

Notandum veruntamèn est, quòd omnes isti baptizan-

tes

tes ſinguli ſeorſim ponere debent neceſſaria ſuprà deſcripta, & ſimilitér huiuſmòdi baptiſmi rationem habeant, quià licèt plures ſint materialitèr, vnus tamèn reſpectu alterius eſſet formalitèr ad illum effectum ad quem omnes ſimùl concurrunt.

Dicimus inſupèr, quòd Baptiſmus collatus à loquela carente, & applicante materiam, & à brachijs priuato proferente formam, eſt inualidus, quià non eſt huius Baptiſmi miniſter legitimus: Non mutus, quia formam non profert, nèc brachijs truncus, quià materiam non applicat.

Séd fortiús, quià ab vno, eodemque miniſtro, vt diximus, omnia eſſentialia ſunt adhibenda, vt validus dicatur Baptiſmus. Conſortium aliorum, modo ſupra explicato, admittitur à S. Thoma, Scoto, & alijs, licèt contrarium defendant Marſilius, & Caietanus, séd eorum opinio ab omnibus reijcitur.

Quæres, quæ ſint præcepta adminiſtrantis Baptiſmum? Reſpondetur, requiri, vt né miniſter ſubſtantialia prætermittat, & ſic tenetur in eſſentialibus omittere dubia, & certa adhibere, vt ſuprà explicauimus. Hæc eſt ſententia communis, à qua minimè erit recedendum.

Satis tamèn, erit, poſita materia, & forma, intentio, ſi inconfuſo ſaltèm dirigatur verè, & cum effectu ad faciendum quicquid facit Eccleſia, licèt baptizans poſſit huiuſmòdi intentionem ad alium finem referre, etſi malum, quià per hanc imperantem intentionem, non variatur debita intentio conferendi Baptiſmum.

Ex quo ſequitur, quòd ſi ioco, & irriſione conferatur Baptiſmus, & abſque intentione baptizandi nullus erit, quià caret debita intentione. Secùs verò ſi intentio baptizandi concurrat, nàm ille extrinſecus finis ad quem ab adminiſtrante Baptiſmum dirigitur debitam intentionem Miniſtri vllo modo aufert.

Hoc enim contingere poteſt, quandò, quis baptizaret ob lucrum, vel, vt infantem occideret, &c. tùnc validus

eſſet

esset Baptismus, licèt grauitèr peccaret, & hoc modo fuit baptizatus Porphyrius sub Iuliano Apostata, vt refert Baronius in Martyrologio Romano, cuius festum celebrat Ecclesia die 15. Septembris. ibi.

In Handrianopoli Sancti Porphyrij Mimi, qui coram Iuliano Apostata periocum Baptismum suscipiens, Dei virtute de repente mutatus Christianum se esse professus est, ac mox iubente eo, securi percussus, martyrio coronatur.

Dicimus insupér, quod Minister solemnitèr baptizaturus infantem, tenetur se constituere in gratia, præmittendo confessionem, vel se conterendo saltèm existimans se esse contritum, si aliqua lethali culpa (quod absit) prematur, & quidèm sub peccato mortali.

Si verò vltra prædicta, adhùc autèm fuerit innodatus censura, tùnc, & eo modo baptizans pratér labem lethalem, etiàm incurreret irregularitatem iuxtá cap. 1. de sent. excom. in sexto ibi in fine. *Quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina Officia exequi, sicùt prius irregularitatem non effugient, &c.*

Si verò Baptismus priuatè fuerit collatus, & extrá necessitatem, ob allatam rationem peccabit mor. Vrgente necessitate nullum peccatum committit; quià cum non ex officio Baptismum administret; non videtur actum ordinis exercere. Ità Couarruuias, Nauarrus, & alij.

In solemni Baptismo Minister tenetur seruare omnes ritus, & cæremonias, ab Ecclesia præscriptas, vel saltém per consuetudinem benè perceptas, vt præcipit Concilium Trid. sess. 7. can. 13. ibi.

Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aùt contemni, aùt sine peccato à ministris prohibitio omitti, aùt in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

Huiusmòdi Concilium, vnum solummodò excipit casum, vt benè colligitur ex illis verbis, *in solemni Sacramentorum*

torum administratione; quo verò occurrente, absque vlla culpa lethali omnes cæremoniæ prætermitti debent. Quòd si superuixerit infans, deindè in Ecclesia suppleantur.

Sanum adhùc Consilium est, puero in Ecclesiam delato; illicò minister instare debet, vtrum domi fuerit baptizatus, & fortiùs, quià indifferētèr mulieres nunquàm, nisi interrogatæ solent Parochum admonere de iàm collato baptismo excipiuntur Obstetrices, vti in arte peritæ, &c.

Quòd si talis diligentia minimè adhibeatur, indubitatum est, Ministrum non raro periculo rebaptizandi esse expositurum, vt sæpèsæpiùs accidisse saltèm de facto credere debemus, & sic animarum Pastores in hoc, & etiàm in alijs omni diligentia inuigilare studeant.

Et tandèm aduertimus, quòd si Minister scientèr rebaptizaret infantem, vltrà labem lethalis culpæ, adhùc etiàm ipso facto irregularitatem incurreret, licèt non absolutè, sèd sub conditione id faceret, quià cum Minister sit certus de Baptismo, (vt supponitur) illa conditio non haberetur apposita.

Si verò ignorantèr, & nulla præuia diligentia adhibita rebaptizaret, dicendum est, rebaptizantem reum esse solùm peccati ob culpabilem diligentiam; non tamèn irregularitatis. Adhibita verò debita diligentia tàm à peccato, quàm ab irregularitate immunis erit, etiàmsi infans priùs reperiatur baptizatus, est communis, &c.

SECTIO V.

De suscipiente Baptismum, & de eius præceptis.

QVæritur primò, quodnam sit subiectum huius Sacramenti? Respondetur, est quęlibet persona ex viro, & muliere nata in hac vita mortali existens. Ratio est, quia quæ-

quælibet persona nascitur in peccato originali, & sic est Baptismi capax, cum ab ipso eadem originalis culpa tollatur. Est de fide.

Secundò, quià habetur Io: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Quæ cum sint verba vniuersasalia vniuersaliter sunt accipienda de quacũque persona, & sic quicunque erit huiusmòdi Sacramenti capax, siue sit masculus, siue fæmina, siue adultus, siue Infans. est communis omnium Doctorum sententia.

Ex dictis Infertur, quód Satyri, & Monstra nata ex nefario concubitu virorum, & mulierum cum feris non sunt Baptismi capacia. ità Delrio lib. 2. q. 14. disquis. magic., qui multa adducit exempla ex probatis historijs, & non minùs docet ex carnali hominum, mulierum, & ferarum mixtione posse gigni monstra.

Immò intér cætera, ipse narrat ann. 1278. contigisse apùd Heluetios, fœminam peperisse Leonem. an. 1472., aliam Papiæ cuneni sic 1571. mulier Augustæ Vindelicorum, eodem partu, enixa primo caput humanum membranis inuolutum, mox serpentem bipedem, tertio porcum integrum, & quæ varia huiusmòdi leguntur apùd recentiores.

Illud superat (dicit Author) admirationem reliquorum, quod Castanneda retulit *In Annal. Lusitaniæ*. Mulierem ob quoddam crimen in insulam desertam naui deportatam: cùm ibi exposita fuisset eam simiorum, quibus frequens locus agmen circumstetisse fremebundum, superuenisse vnum grandiorem, cui reliqui loco cesserint ab hoc mulierem blandè manu captam in antrum ingens abductam, eique tùm ipsum, tùm cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum apposuisse, & nutu, vt vesceretur, inuitasse: tàndèm à fera coactam ad stuprum: facinùs hoc multis diebus continuatum, adeò, vt duos ex fera liberos susceperit, ità miseram (quanto mors optabilior) victitasse per annos aliquot; donèc Deus misertus nauim eo Lusitanam detulisset. Cumque

Milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent, abeſsetque fortè fortuna ſimius: fœminam ad inuiſos, diù mortales accurriſſe; & procidentem ad pedes ſupplicaſſe, vt ſe facinore, & çalamitoſiſſima ſeruitute irent ereptum: adſentientibuſquê, & caſum miſerantibus illis eam cum ipſis nauim adſcendiſſe: ſed ecce ibi ſimium ſaperuenientem, inconditis geſtibus, & fremitibus coniugem, non coniugem reuocantem, vt vidit vela ventis data, concito curſu, de liberis vnum matri oſtentat, minatur, ni redeat, in mare præcipitaturum, nèc ſegnitèr fecit, quòd minatus, tùm recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad littus rediens, oſtentat alterum, minatur, & demergit: ſubſequitur, & ipſe furens, tamque diù nauim natatu inſequitur, donèc vndæ natantem vicere.

Rem, tota Luſitaniæ teſte notiſſimam, & à Rege mulierem Vliſſipone addictam ignibus, quorumdam precibus vita impetrata, lethum cum clauſtro perpetuò commutaſſe. Miraris Lector? En tibi Saxo Grammaticus, cum duobus magnis Vpſalenſibus Epiſcopis: narrant Gothicos reges ex vrſo, & Virgine nobili originem ducere, & Ioannes de Barros Peguſianos, & Sianitas Indiæ gentes à cane, qui cum muliere corpus miſcuerat.

Verùm his (ſubdit Author) non ſum credulus, qui certus ſum ex homine, & fera verum hominem naſci non poſſe, quià ferinum ſemen perfectionis illius eſt expers, quæ ad tàm nobilis animæ domicilium requiritur, quarè ſi quid ex tali mixtione naſcatur, monſtrum id fuerit, non homo. Sequitur enim deterioris ſeminis conditionem talis fœtus: quarè, vt ſummum hominis aliquam ſpeciem præberet. Nèc enim crediderim, cenſendum perfectum brutum eius ſpeciei, cuius alteruter parentum (v. g. ex Luſitana nati, nèc ſimij, nèc homines erant) ſed monſtrum quoddam mixtæ ſpeciei, & imperfectæ, vt mulus ex equo, & aſino, thoes ex hyæna, & lupo. Quarè nèc arbitror, ſi commiſceatur ſibi ſimili, vel alteri bruto perfectæ ſpeciei bru-

tum

tum vllum geniturum, hæc Delrius. Im mò narrat.

In hoc ipsò Belgio fuit nefàrius quidam; qui vaccæ se commiscuit. Pòst visa bos prægnas, & pòst aliquot mensses edere fætum masculum, non vitulum, séd puerum: adfuere non vnusdeque matris vaccæ cadentem vtero despexerunt, leuatumque de terra nutrici tradiderunt, adoleuit puer, baptizatus, & instructus Christianæ vitæ præceptis, pietati se addixit, & pro patre seriò pænitentiæ vacat operibus, homo quidèm perfectus, sèd qui sentiat in animo propensiones vaccinas, pascendi prata, & herbas ruminandi. Quid de hoc sentiendum? nonnè hominem esse: planè crediderim; sèd ex vacca matre natum abnuo; quid ergo? Diabolus peccati illius gnarus, & impulsor, mòx vaccam prægnantem fecit videri: cum voluit, aliundé infantem surreptum attulit, & vaccæ parturienti, quæ vento grauida erat, puerum sic supposuit, vt à vacca fundi videretur.

Hinc nata opinio, & puer persuasus se vaccæ filium, matris putatæ, propensiones hausit imaginando. Nàm, vt verus homo ex seminis vaccini materia, nascatur, & organica illa dispositio perfecta humani corporis, in vaccæ vtero, & vaccinæ animæ calore, ac virtute perficiatur: id philosophos omnes mecum arbitror intér computaturos. Illud verò Manilij, monstrorum productionem astrorum influxibus, & fato Stoico ascribentis, sectæ est deliramentum, reliqua Authoris omittuntur.

Séd quid si dubium sit num monstrum esset vnum, vel duplex? Dicimus, quòd si in eo duo videantur capita, duoque thoraces, duplex erit administrandus Baptismus. Quià duæ reputantur personæ, licèt vtrique caput, vel corpus fuerit commune, & fortiùs si eidem duo distincta capita inessent.

Cardinalis Toletus in huiusmòdi casu firmat, vnum absolutè fore baptizandum; alterum verò sub conditione. Hæc opinio in praxi est sempér tenenda, etsi altera contra-

tia proptèr auctoritatem tàm Philosophorum, quàm Theologorum sit valdè probabilis, vt ex sequenti quæsito clariùs patebit.

Quòd si quæratur, quibus signis dignoscere possimus huiusmòdi hominē esse vnum, aut plures? Respondetur cum Comitolo, si monstrum ortum ex viro, & muliere omnes partes humani corporis habeat, sed caput ferinum, esse pro homine habendum, & tanquàm subiectum capax absolutè, & simplicitèr baptizandum.

Ratio est, quià cum huiusmòdi monstrum, humano pectore, & corde, vt supponimus, sit prædítum, minimè erit dubitandum de anima rationali, vt Arist. docet 2. *de partibus animalium*, quandoquidèm animæ principatum in corde pro certò resideat, vti nobiliore corporis parte; vt notum est omnibus.

Addimus insupèr (& hoc sit pro validiori ratione) quod cor censendum est, tanquám alterum animal rationale, in casu tamèn præsenti; Atsi tale iudicium minimè ferri poterit, tàm de corde, quàm de alijs partibus corporis, an nimirùm, tale monstrum sit ferinum, vel humanum, illud sub conditione fore baptizandum. Ita Comitolus.

Quæritur secundo; An sint baptizandi filij, inuitis parentibus? Respondetur in sequentibus casibus vtiquè licitum esset eos baptizari.

Primus est, si natus ex vtroque parente infideli, vsum rationis habeat, idêst, completo septennio, & sit de Baptismo solicitus. Ratio est, quià circà pertinentia ad salutem spiritualem animæ, nemo propriorum parentum indiget consensu, & fortiùs quià cum sit sui Iuris, illis minimè fit iniuria, néc à puero, neque à Ministro. S. Thom. 3. part. q.68. art.15.

Secundus, si dubitaretur, an puer ad vsum rationis peruenerit, & Baptismum petierit certè erit baptizandus. Ratio est, quià hoc ad sui ipsius fauorem cedit, & in dubio melior est conditio possidentis, & multò magis, quià præsumi-

sumitur septennium esse completum, ac non minùs vsus rationis, & per consequens suo iure minimè erit priuandus.

Tertius casus est, si dissentientibus vtrisque parentibus, postmodùm ex eisdem vnus suum præstiterit consensum erit filius baptizandus. Ratio est, quià, cum huiusmòdi actus in fauorem Christianæ Religionis dirigatur, vllo modo, & tempore, alteriùs assensus erit habenda ratio.

Quartus casus est, si alteruter parens sit Christianus; alterque verò infidelis, & hìc dissentiat. Ratio est, quià saltèm causa originis est S. M. Ecclesiæ subditus, & partus sempèr innocentem parentem sequi tenetur, vt omnes Canonistæ, Legistæ, & Sacri Theologi firmant, & patet ex cap. Iudęo 28. q. 1. ibi.

Iudæi, qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo Ciuitatis ipsius, vt si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint separentur, quià non potest infidelis in eius permanere coniunctione, quæ iam in Christianam translata est fidem.

Filij autèm, qui ex talibus nati existunt, fidem, atque conditionem matris sequantur. Similitèr, & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem non iudaicam superstitionem. Vide insuper cap. Iudæorum, cap. sæpè, & seqq. eadem causa 28.

Quintus deniquè casus est. Si puer natus esset ex parentibus Apostaticis baptizatis, vt sunt filij hæreticorum, quià fide Catholica defecerunt. Ratio est, quià cùm parentes sint Ecclesiæ subditi, per censuras adhùc ad fidem reuocari possunt, eodemque modo eorum filij, abstrahi, & baptizari, etiàm ipsis inuitis parentibus, debent.

Aduertimus tamèn non esse baptizandos pueros vsu rationis carentes natos ex vtrisque parentibus infidelibus nunquàm baptizatis, si, vterque inuitus existat, quià hi baptizati, deindè essent à parentibus abstrahendi, & sic

illis

illis magna fieret iniuria. Priuarentur patria poteſtate, quam de Iure habent in ſuos filios.

Quæ verò hucùſque firmauimus, intelligenda ſunt tàm de filijs infidelium, quàm de ſubditis Eccleſiæ, vel ſaltèm Chriſtianis Principibus, licèt de his contradicat Sotus. Addimus inſupér minùſque puerum hæbreum, periculoſa infirmitate laborantem antè ſeptennium, inuitis parentibus, poſſe baptizari, patet ex allata ratione.

Secùs verò exiſtentem in euidentis mortis articulo, minùſque adeſſe ſpem longioris vitæ, quià tùnc ob obitum omninò ſequuturum, vti ſupponimus, ceſſaret periculum peruerſionis, & apoſtaſiæ, & licèt reclamauerint eorum parentes, adhùc fermè poſſe baptizari aſſerimus.

Atſi turca, vel quilibet alius infidelis ſuum filium baptizari ſpontè petierit, tanquàm infirmitate laborantem, eò quòd alios Infidelium infantes, & filios baptizatos fuiſſe ſanitati reſtitutos, non quidèm baptizandus erit ob periculum peruerſionis, & Apoſtaſiæ, vt ſuprà diximus, & docet Nauarrus.

Notandum tamèn eſt, quòd in quocumque caſu, quo filij infidelium (ipſis parentibus inuitis) baptizarentur validus foret baptiſmus, sèd non licitus. Validus quià, vt ſupponimus, adſunt omnia requiſita, ſcilicèt, materia, forma, & intentio miniſtri, iuxtà prædicta: Illicitus verò ob peruerſionis periculum, & iniuriam illatam parentibus, vt ſupra firmauimus.

Quæritur tertio. Quomodò ſit neceſſarius Baptiſmus ad vitam æternam conſequendam? Reſpondetur, ſi quæſitum ſit de neceſſitate medij, Baptiſmus, eſt adeò neceſſarius ſimplicitèr in re, vel in voto, vt vllo alio modo, & medio (excepta tamèn abſoluta Dei poteſtate) viator abſque eo ſaluari poſſit. Eſt de fide, patet ex Trid. ſeſſ.6. cap.4. ibi.

Sine lauacro regenerationis, aùt eius voto, fieri non poteſt translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam

Adam Iesum Christum &c. sicùt scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Et sess. 7. can. 4. ibi.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aùt eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licèt omnia necessaria non sint, anathema sit.

Diximus, *excepta Dei omnipotentia*, quià, vt aliàs firmauimus Creator omnium Deus, vlli legi est alligatus: Quòad Baptismum, dicimus sine eo in re, vel in voto, neminem beatitudinem consequi, quià, vt habetur in act. Apost. 9. Paulum, & Centurionem pòst iustificationem per contritionem, & Baptismum in voto, fuisse deindè aqua baptizatos, si tamén suscipi, & haberi possit.

Infantibus tamèn est necessarius Baptismus necessitate medij, iuxtà illud Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua &c.* & ratio est, quià infantes Baptismi in voto capaces, neque ergà Deum actum amoris elicere possunt, & cum non possint saluari *ex opere operantis*, consequentèr necessariò actuali Baptismo indigere. Est communis opinio DD.

Si verò loquamur de necessitate præcepti suscipiendi Sacramentum Baptismi, omnes descendentes ab Adam sunt obligati illud recipere; est de fide habetur ex Trid. sess. 7. can. 5. ibi. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Probatur similitèr euidenti ratione, quià quòd est necessarium necessitate præcepti, omnes indifferentèr (loquimur de vsum rationis habentibus, qui prouenit completo septennio, vt supra diximus) huiusmòdi præceptum seruare tenentur, aliàs tanquàm rei lethalis culpæ vtique erunt habendi.

Séd, vt meliús nostra conclusio intelligatur, dicimus, quòd omnes adulti, saltèm moralitèr, huiusmòdi præcepto, si commodè fieri potest, & aliqua rationabilis causa non subsistat, tenentur baptizari, & hoc sub peccato mor-

tali;

tali; minusque hoc Sacramentum differri potest, nisi ex legitima causa, vt diximus, & periculum non sit in mora &c.

Nequè dicatur, quòd adultus grauitèr ægrotans, & ex aquæ contactu mors timeatur, non obligatur ad suscipiendum Baptismum, & cum eo in voto possit saluari, quià vix iste casus contingere potest, ac etiàm si fuerit infans, est baptizandus. Nequè erit curandum de modico detrimento vitæ temporalis, respectu æternæ salutis.

Minùsque teneretur Adultus Sacramentum Baptismi suscipere si id eidem à Tyranno in odium fidei præciperetur; Quandoquidèm in huiusmòdi contingentia potiùs mortem subire teneretur; quàm Baptismum suscipere, cum saluari equidèm possit ex Baptismo in voto, vt fusissimè aliàs probauimus.

At verò respectu infantium, cum minimè sint huiusmòdi obligationis capaces dicimus, sub hoc præcepto, eorum parentes obligari. Vndè si ipsorum culpa nondùm abluti ex hac vita migrauerint, proculdubiò Parentes rei erunt peccati mortalis, quià sunt filiorum causa æternæ damnationis.

Nec quisquam insurgat armatus cum aliquibus arbitrantibus contrariam opinionem esse etiàm probabilem, quæ minimè sequi poterit circà valorem Sacramentorum, & sit paritèr ab Ecclesia damnata, vt patet ex Decreto SS.D.N. PP.Innocentij XI. edito sub die 2. Martij 1679. 1. §. ibi. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex conuentio, aùt periculum grauis damni incurrendi &c.* quià pro certò sub eorum fide, & sine actuali Baptismo saluari nequeant, vti sempèr seruauit Ecclesiasticus vsus.

Dices, quibus dispositionibus Adultus ad Baptismum accedere debeat? Respondetur, quòd tenetur accedere cum intentione, & consensu illum recipiendi. Ratio est, quià Deus de lege ordinaria Adultum sine suo consensu, & volun-

voluntate nequaquàm iustificat,& habitualis intentio in recipiendis Sacramentis sempêr est sufficiens , sèd eo modo, quo aliàs diximus .

Ex quo sequitur, quòd si dormiens, amens &c. baptizarentur, qui dùm erant rationis compotes, petierunt Baptismum, non retractata per actum contrarium priori voluntate, & intentione, vt diximus, collatus Baptismus validus erit, quià licèt tùnc non sint sanæ mentis adhùc in habituali intentione existunt, quæ aliquandò non fuit retractata , vt supponimus .

Est etiàm in suscipiente Baptismum necessaria fides, quæ non requiritur ad validitatem , sèd ad ipsius dignam receptionem , & sic validê baptizaretur infidelis in sua cæcitate persistens, & licèt recipiat Sacramentum, non tamen eius virtutem; quòd idem est dicendum de adulto existente in peccato mortali.

Nèc minùs dicimus ad valorem huiusmòdi Sacramenti esse necessariam pænitentiam , & auersionem à peccatis mortalibus, sèd solummodò ad susceptionem gratiæ , quæ per Sacramentum Baptismi quidèm confertur, vt Doctores supracitati concorditèr, absolutèque discurrunt.

Quæres vltimò, quid agendum, dùm de aliquo dubitatur, an fuerit verè baptizatus? Respondetur, quòd si nullum sit dubium, séd omninò certum, aliquem esse verè baptizatum,tùnc enim grauissimum committeretur sacrilegium, illum rebaptizare, est communissima omnium sententia Doctorum, & confirmatur, ex Trid. sess. 7. can. 11. ibi .

Si quis dixerit, verùm, & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apùd infideles, fidem Christi negauerit, cum ad pænitentiam conuertitur anathema sit .

Difficultas est, quandò dubitatur de Baptismo, & hoc triplicitèr contingere poterit. Primum est, quando non existunt rationes nequè affirmantes, nequè negantes fuisse aliquem baptizatum, puta, quià alicubi Infans reperiatur

N expo-

expoſitus, & nullus extat teſtis, qui verum fateatur, an ſit ortus ex fidelibus, & dicitur dubium negatiuum.

Secundum eſt, quandò habentur rationes probabiles, quibus, quis probabilitèr iudicat puerum fuiſſe baptizatum, & rursùs habet rationes contrarias ſimilitèr probabiles, quibus è contra credit Infantem minimè fuiſſe baptizatum, vel baptizatum, vt paulò antè diximus, ſed de hoc meliùs cum de materia Sacramenti pænitentiæ agemus.

Tertium eſt, quandò dubitatur, an Baptiſmus fuerit validè collatus, puta, quià veriſimilitèr eſt dubium, an in Baptiſmate adfuerit legitima intentio, bona forma, neceſſaria materia, vel an fuerit Infans ablutus in parte principali ſui corporis, & ſic in his, & ſimilibus caſibus extat magna quæſtio intèr Doctores de huiuſmòdi Baptiſmi validitate, hiſque præmiſſis.

Dicimus, quod quotieſcunque vnus ex prædictis modis dubium rationabile emergit, an fuerit validè collatus Baptiſmus, iterùm ſub conditione erit repetendus, aliàs ſic baptizatus exponeretur periculo, nunquàm validè recipiendi cætera Sacramenta, & conſequentèr ſempèr gratia iuſtificante careret, ſine contritione, & aliundè cùm vrgeat talis neceſſitas, & ſub conditione conferatur Baptiſmus, nulla eidem iniuria fiet, ita Suarez, & alij.

Diximus, *rationabile dubium*, quià nunquàm ſub conditione eſſet rebaptizandus, qui leuibus ſcrupulis, & ſupervacaneis ſuſpicionibus de ſuo Baptiſmo ambigeret, ita habetur ex cathechiſmo Romano edito à B. Pio V. & non minùs omnium Theologorum eſt communis ſententia, & interim hic videatur Coninkius.

Ex præmiſſis igitùr colligi poteſt, quòd natus ex Chriſtianis Parentibus, & intèr Catholicos ſaltèm per aliquot annos enutritus, minimè fore rebaptizandus, etiàmſi nullus adſit teſtis, qui hoc deponat, nequè fuiſſe auditum huiuſmòdi puerum, vel adultum baptizatum eſſe, vel eidem

dem collatum fuisse Sacramentum Baptismi, vt patet ex cap. sequenti de presbytero &c. ibi.

Veniens ad Apostolicam Sedem, & infrà in fine. *Et certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, & intèr Christianos est fidelitèr conuersatus, tàm violentèr præsumitur, quòd fuerit baptizatus, vt hæc præsumptio pro certudine sit habenda, donèc euidentissimis forsàn argumentis contrarium probaretur.*

Nèc prætereundum est, quòd si infantes sui Baptismi scriptum deferant Chirographum, vel saltèm ex eorum ætate iudicetur, & appareat antè mensem ortum traxisse, & fuisse intèr Christianos (& in hoc vnus sufficeret fidelis testis) præsumi baptizatos, nèc fore rebaptizandos etiàm conditione posita, quià non adest rationabile dubium, sèd scrupulus. Sotus.

Si veró infans ab obstetrice, vel ab alia instructa, in hac parte, persona fuerit baptizatus, minimè rebaptizandus erit, vt faciunt indocti Parochi, contrà quos seuerè, & rationabilitèr inuehitur Sotus. Quòd si verisimilitèr dubium emergat, & Doctorum adsint opiniones contrà validitatem baptismi, & sanis talis opinio fundamentis erit fulcita, sub conditione erit repetendus, Cathechismus suprà citatus.

SECTIO VI.

De Baptismi effectibus.

QVæres, quinam sint effectus huius Sacramenti? Respondetur huiusmòdi Sacramenti effectus, alios dici primarios, aliosque secundarios. Primarij sunt quinque, secundarij verò sunt tres, agemus igitùr de primarijs, & deindè de secundarijs, omni breuitate, & faciliori methodo iuxtà nostrum præsens institutum.

Primus eſt auferre in adultis totam culpam originalem per Adæ peccatum contractam ex cauſa ſuæ præuaricationis prouenientem; & non minùs aliàs, & quaſcunque actuales, originatas ex attenuato noſtro libero arbitrio. Quòd verò deleatur originalis culpa, colligitur ex Trid. ſeſſ. 5. c. 5. ibi.

Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aùt etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantùm radi, aùt non imputari; anathema ſit.

De actuali, ſiue mortali, aut ſaltèm veniali, eſt paritèr de fide, vt patet ex Concil. Florentino, in quo definitur, quod huius Sacramenti effectus eſt remiſſio culpæ originalis, & actualis. Quæ culpæ actualis remiſſio, locum ſaltèm habet in adultis, quandoquidèm ſint omnes doli capaces.

Secundus effectus eſt, remiſſio omnis pœnę pro peccatis debitæ. Ità Trid. ſupra cit. in quo legitur. *Aut ſi quis etiàm aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, dici tantum radi &c.* & ſeſſ. 6. cap. 14. ibi. *In Sacramento pænitentiæ non ſemper remitti pænam totam, ſicùti in Baptiſmo.*

Et licèt quamplurimæ aliæ pœnę peccatis impoſitæ, prætèr eas in flammis Purgatorij luendas, vt ſunt morbi, dolores, mors &c. iſtæ tamèn à Sacris Theologis non pœnę, ſed pęnalitates nuncupantur, quæ per Sacramentum Baptiſmi non equidèm remittuntur.

Tertius effectus eſt collatio gratiæ iuſtificantis, ideſt, gratia delens peccatum proptèr, quam homo ex iniuſto iuſtus, & ex inimico, amicus efficitur Dei, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Ratio eſt, quià Baptiſmus delet culpam per infuſionem gratiæ. Trid. ſeſſ. 7. aliàs cit.

Quartus effectus eſt collatio gratiæ Sacramentalis, quæ eadem eſt cum ipſamet iuſtitia Baptiſmi. Huiuſmòdi tamèn

gratia

gratia consistit in quodam spirituali auxilio, disponente baptizatum ad meliùs seruanda munia ipsius Sacramenti Baptismatis.

Quintus deniquè effectus est, impressio characteris, qui est quoddam spirituale signum in anima impressum, distinguens fidelem ab infideli, & ità inseparabilitèr in ea inhærens, vt etiàm persistat in hæreticis, & animabus damnatis.Ептereà Baptismus semèl ritè collatus est irreiterabilis. DD. cit.

Ad validè recipiendum tale signum, idèst, gratiam, & characterem in adulto, nil aliud requiritur, nisi ipsius legitima intentio, quæ si verè adsit, & reliquæ dispositiones scilicèt pœnitentię, siue attritionis desint, adhùc Baptismus recipitur, & in anima imprimitur character. S.Thom. & alij communitèr.

Quòd verò ad valorem huiusmòdi Sacramenti minimè requiratur fides, patet ex Filluccio in præsenti num. 134. hoc sequenti modo discurrente. Nàm etiàm hæreticus suscipiens baptismum, neque credens, verum suscipit Sacramentum, modò habeat intentionem illud suscipiendi.

Diximus insupèr *tres alios esse huius Sacramenti secundarios effectus*. Primus est ius ad gloriam, itaùt si quis ritè baptizatus immediatè pòst moriatur illicò beatitudine frueretur, nèc in Purgatorio ab eo est luenda pæna, quià per Baptismum omninò tota deletur, vt diximus.

Secundus est inseparabilis hominis coniunctio cum Christo. Tertius deniquè est subiectio Ecclesiasticę iurisdictioni, quià statimàc quis baptizatur subditus Ecclesię declaratur, & consequentèr particeps erit omnium illius suffragiorum, & precum. Ita DD. communitèr.

Séd quid dicendum de cognatione spirituali, prouenien-te ex Baptismo? Respondetur huiusmòdi cognationem duplicem esse. Vnam dici cognationem baptismi: Alteram verò cathechismi. Illamque contrahi à tenentibus, & leuantibus in fontem, & à fonte baptismali, quandò formalitèr, & actu infans abluitur.

Co-

Cognatio verò proueniens ex cathechismo, requirit infantis tentionem in toto cathechismo, &c. pariter tenens gerat personam infantis, respondens ad fidei interrogata, dùm Minister dicit, an credat, sunt ambæ distinctæ, quandoquidèm vna possit contrahi, minimè altera contracta; habetur ex cap. contr. de cog. spir. ibi.

Contracto matrimonio intèr P. & A. vxorem suam, quidam consanguinei eiusdem A. contrà matrimonium obiecerunt, quod eadem in primo sacrati salis pabulo, filium qaondam concubinæ ipsius P. tenuit, & infrà. *Verùm si constaret vera esse, quæ diximus, non ideò tamèn contractum matrimonium solueretur, quæ res vix contrahendo matrimonium afferret. Ideoque mandamus quatenùs præfato P. auctoritate nostra iniungas, vt memoratam A, sicùt vxorem maritali affectione pertractet, & carnale debitum ab ea licitè exigat, & persoluat, siuè ipsam antè matrimonium contractum eum P. sine perteà constiterit hoc egisse: dùm tamèn si infraudem hoc fecerit causa matrimonij separandi, pænitentiam pro præsumptione acccipiat, matrimonio in sua firmitate durante.*

Parochi, nomina, & propria cognomina patrinorum solius Cathechismi in libro Baptizatorum notent, vt facile dignosci possit nùm intèr baptizatum, & Patrinum solius chatechismi absque vlla disputatione contrahi possit matrimonium. Alia verò circà huiusmodi materiam explicabimus cum de matrimonio erimus acturi.

SECTIO VLTIMA.

De Baptismi proprietate, & ritu.

QVæres primò, quæ sit præcipua Baptismi proprietas? Respondetur, esse irreiterabilitatem, quandoquidèm huiusmòdi Sacramentum semèl susceptum, modo, quo aliàs abundantiùs diximus, minimè poterit ampliùs reiterari.

ri. Habetur ex Conc. Trid. sess. 7. can. 9. ibi.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo, scilicèt, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vndè ea iterari non possint, anathema sit.

Ad hoc autèm duæ, afferuntur congruentiæ. Prima quià sicùti vnum est peccatum originale; quod semèl remissum ampliùs non reuiuiscit, sic Baptismus semèl susceptus non debet reiterari. Secunda, quià Baptismus dicitur regeneratio spiritualis, & sicùti vna est generatio corporalis, ità debet esse vna generatio spiritualis in Christo.

Quęres secundò, quo ritu, & cæremonijs sit administrandus Baptismus? Respondetur, antequàm conferatur Baptismus, seruandi sunt ritus, & Cæremoniæ toti Ecclesiæ communes: Si verò in aliqua particulari Ecclesia aliæ speciales adsint, eędem omninò seruentur.

Pro infantium baptismo habeatur Rituale Romanum, & intèr cætera nomen imponatur Infanti. Admoneantur susceptores de obligatione instruendi illum in rebus fidei, & bonorum morum. Hoc tamèn seruari debet si parentes essent hæretici, vel negligentes fideles. Vndè intèr Catholicos vix erit talis obligatio.

Huiusmòdi obligatio hodiè non extat, quià infantes instruuntur à parentibus, vel à Parochis, vel à Religiosis huiusmòdi onus habentibus, vel saltèm à consanguineis huiusmòdi officio fungentibus, & cum agatur de rudimentis fidei, Parentes minimè à nobis erunt excusandi à culpa lethali, licèt Doctores contrarium sentiant.

De *cætero* Parochi, susceptores moneant de cognatione spirituali ex Baptismo contracta, iuxtà Conc. Trid sess. 24. cap. 2. de reformatione matrimonij, ibi. *Volens itaquè S. Synodus huic incommodo prouidere, et cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, vt vnus tantùm, siuè vir, siuè mulier iuxtà Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus,*

& vna

et una baptizatum de Baptismo suscipiant, intèr quos, ac baptizatum ipsum, et illius Patrem, & Matrem, necnon intèr baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

DISPVTATIO TERTIA.

SECTIO VNICA.

De Confirmatione.

QVæres, quid sit Confirmatio, & quæ ad eam requirantur? Respondetur, *est Sacramentum, quo homo viator baptizatus ab Episcopo inungitur in fronte cum Chrismate, sub præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum*. Ità in præsenti Bonacina, est optima definitio; quià comprehendit omnia necessaria, vt patet.

Materia remota est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Ità Conc. Floren. & ab Episcopo consecrari debet. Simplex Sacerdos illud minimè potest consecrare etiam ex Pontificia delegatione; quià de Iure diuino videtur huiusmodi potestatem solis Episcopis fuisse collatam. Sotus infrà citandus contrarium defendit.

Nèc arguas cum Caietano, quòd cum Sacerdos possit hostiam consecrare, quæ est omnium consecrationum summa; à fortiori si consecret chrisma, consecratio tenebit, licèt peccet, quià est interdictus, nè faciat, vt patet ex Concilio Toletano 8. *ca.* 7. & Carthag. 2. & 3. quæ referuntur 26. *q.* 6. Can. *Iubet*, & Can. *Præsbyter*.

Hæc tamèn opinio non est tuta, quoniam sicùt solus Episcopus ex officio est Minister Sacramenti, ità, & solus ipse est, qui ex officio materiam potest consecrare. Nequè consequentia Caietani alicuius est ponderis. Fallit enim regu-

regula, quòd, qui poteſt maiùs, poſſit minùs facere, & licèt minùs ſit ordines minores conferre, quàm Hoſtiam confecrare, tamèn Sacerdos poteſt facere maiùs, & non minùs. Sotus in 4. d.7.q. vnic ar.3.

Materia proxima eſt vnctio Chriſmatis in fronte ad modum Crucis factam per manum, & pollicem Epiſcopi. Diximus *in fronte*, quià ſi in alia parte fieret probabiliùs eſt non confici Sacramentum. Videtur enim huiuſmodi locum non ſolùm eſſe de præcepto; verùm etiàm de neceſſitate.

Diximus *ad modum Crucis.* Quod ſignum imprimi debet ſimùl, cum confirmandus iniungitur, & hoc, vt verificentur verba formę *Signo te ſigno Crucis*. Vndè hoc etiàm videtur de neceſſitate huius Sacramenti. Diximus *per manum, & pollicem Epiſcopi*, quod eſt de præcepto. An verò ſit de neceſſitate, affirmatiuè firmat Fillucc.

Forma Confirmationis ſufficiens, & neceſſaria hæc eſt. *Signo te ſigno Crucis, Confirmo te Chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* De eſſentia eſt illa geminatio verborum *Signo te, & confirmo te*. Sicùt etiàm eſt de ſubſtantia expreſſa inuocatio SS. Trinitatis. Vide Sotum citatum.

Miniſter ordinarius, & neceſſarius eſt tantùm Epiſcopus, habetur ex Trid. ſeſſ.7. c. 3. ibi. *Si quis dixerit, Sancta Confirmationis ordinarum miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

Ex Papæ diſpenſatione poteſt eſſe miniſter ſimplex Sacerdos. quià, vt legitur, Gregorius XIII. in hoc diſpenſauit cum ſimplici Sacerdote, vt confirmaret, Inferior Sacerdote, non poteſt hoc adminiſtrare Sacramentum, etiàm ex Pontificis diſpenſatione; quià ex Concilijs conſtat ſolis Sacerdotibus fuiſſe hoc miniſterium commiſſum, & non alijs Sacerdote inferioribus.

Nèc per hæreſim, nequè per aliam quamcumque cenſuram impediri poteſt, nè Epiſcopus conferat hoc Secramentum, & ab eo collatum, licèt illicitum, tamèn vali-

dum erit, quià per huiusmodi censuram &c. non aufertur ab Episcopo, Episcopalis character, nèc minùs potestas ordinis. Ità Suarez, sèd alij contrarium sentiunt.

Vt autèm hoc munus dignè exerceatur. Episcopus tenetur. Primò se disponere ad gratiam, si forsàn ea indigeat, vel per confessionem Sacramentalem, vel per contritionem. Secundò debet vti conuenienti materia, idèst, Chrismate illius anni, nèc vetere absque necessitate; aliás peccaret mortalitèr. Tertiò opportunis temporibus, vel per se, vel per alium aliquotiès hoc Sacramentum administrare tenetur, Si verò per multum tempus hoc differatur non escu saretur à culpa lethali. Quartò quod adhibeantur debitæ Cæremoniæ, & solemnitates. Quintò, deniquè quod vnusquisque Episcopus in propria Diæcesi suos subditos confirmet, aliàs peccaret mortalitèr, sèd nullam incurreret censuram, vel irregularitatem. Ità Syluester.

Subiectum huius Sacramenti est homo baptizatus. Non baptizatus minimè confirmari potest; quià nullum Sacramentum validè recipitur sine baptismo, cum ipse sit ianua aliorum. An verò quis sit confirmandus in infantia, vel in adulta ætate? est controuersia intèr Doctores; sed tàm affirmantium, quàm negantium est opinio probabilis.

An verò fideles teneantur hoc Sacramentum recipere. Scotus, & alij asserunt, teneri, quià volunt hoc esse de Iure diuino, instante saltèm necessitate confitendæ fidei. Alij tamèn existimant nullum circà hoc dari præceptum, & consequentèr non esse peccatum mortale, si omitteretur, præscindendo à contemptu. Ità cum S. Th. Nauar.

Tenentur nihilominùs suscipientes dignè huiusmòdi Sacramentum recipere, idèst, esse in gratia, vel saltèm cum aliqua dispositione ad illam pertinente iuxtà infrà dicenda; & requiritur insupèr debita intentio, & non minùs quàm vna sola vice recipiatur, cum sit irreiterabile. Omnes DD. Communitèr.

Huiusmòdi Sacramentum imprimit characterem, diuersum,

sum, ac distinctum à Charactere, tàm Baptismi, quàm Ordinis Sacri. Confert paritèr gratiam dantem vires, & robur ad constantèr profitendam Christianam Fidem, quæ dicitur gratia Sacramentalis. Circà cæremonias, & ritus necessarios. Videatur Pontificale Romanum &c.

Dicimus denique, quod spectat ad susceptorem, siue patrinum, absque necessitate non sit, qui fuit in Baptismo; nèc duo, sed vnus adhibeatur. Debeat esse confirmatus, & vltimò contrahitur cognatio spiritualis eo modo, quo diximus de Sacramento Baptismi. Ità Victoria, Angelus, & alij apud Filiuccium, & hæc satis de Confirmatione.

DISPVTATIO QVARTA.

De Sacramento SS. Eucharistiæ.

SECTIO I.

De nomine, & institutione huius Sacramenti.

DOctor Angelicus egregiè de singulis, sed de hac materia sanctissimè egit, & non minùs alij ipsum sequentes, vt infrà citandi, quatuor nominibus hoc Sacramentum nuncupare solent.

Primò dicitur *hostia*, *seù sacrificium*, quatenùs in Missæ Sacrificio ipse offertur Christus, siuè eius Corpus, & Sanguis sub speciebus panis, & vini Deo Patri, in commemorationem cruenti sacrificij S. Crucis, vt sit acceptabile sacrificium prò salute tàm viuorum, quàm omnium defunctorum.

Secundò dicitur, *Communio*, siuè *Synaxis* græcè, eò, quià mediante hoc Sacramento omnes fideles participant, & communicant, hoc est, de eodem corpore, & sanguine

Christi, vel vero cibo, potuque cælesti, & vniuntur cum eodem capite Christo, mirabili suæ charitatis vinculo, vt ait Damascenus lib.4. *de fide orthodoxa cap.14.*

Tertiò dicitur, *Viaticum*, in quantùm est significatiuum, & præfiguratiuum beatitudinis, & fruitionis in Patria cõsequendæ, quià per gratiam spiritualis refectionis, viam nobis ponit, & vires præstat perueniendi ad gloriam, & ob id SS. Viaticum spiritualitér tribuitur infirmis in mortis articulo existentibus, tanquàm ex hac vita præsenti in Cœlum migraturis.

Quartò deniquè dicitur *Eucharistia*, idést *bona gratia*, eò quia per hoc Sacramentum diuina gratia confertur, licét aliundé *grecè* paritér dici possit *gratiarum actio*, quandoquidém per huiusmodi oblationem Ecclesiæ, in ipso sacrificio Missæ quotidiè Deo summas referimus gratias pro beneficijs nobis ab eo collatis.

Omittimus tamén in præsenti nonnulla alia, & quamplurima nomina, quibus interdùm huiusmodi augustissimũ Sacramentum appellari solet, sed miniḿe interim sileantur sequentia, nimirùm, Sacramentum corporis, & Sanguinis Domini. Panis Angelorum. Panis de Cęlo, &c. S. Thomas hìc q.73. art.4. Bonac.disp.4.q.1.p.1.& alij.

Nèc minùs prætereundum est, quód in hoc Sacramento quatuor partes reperiantur videlicèt, Consecratio materiæ per verba. Species panis, & vini consecratæ. Corpus & Sanguis sub vtrisque speciebus contentum, & sumptio deniquè ipsius SS. Eucharistiæ, ex dictis quatuor, nèc Consecratio, neque sumptio est propriè Sacramentum.

Sacramentum Eucharistiæ consistit in cõsecratione materiæ, seù in materia consecrata, seù in speciebus consecratis, & consequentér in re permanente, & non in sumptione, patet ex Trid. sess.13. can.4. ibi

Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, sed tantùm in vsu, dùm sumitur, non autèm

antè, vel post, & in hostijs, seu particulis consecratis, quæ post communionem recensentur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

Diximus, quòd *consecratio, & sumptio non est Sacramentum*, nàm, vt firmat Sotus in 4. sent. dist. 8. quæst. vnic. ar. 1. Consecratio Sacramenti, vt nomen sonat, nō est, nisi actio, qua per formam accipitur Sacramentum. Quaré sicùt forma, qua fit consecratio, non est Sacramentum, ità nequé consecratio ipsa; séd est via ad Sacramentum, & sequitur idem Author.

In hoc enim differt hoc Sacramentū à Baptismo, & confirmatione, quòd cum illa consistant in vsu materiæ, actio ipsa, seú applicatio materiæ, quàm significat forma, est Sacramentum. Hoc autém non consistit in vsu, neque in fieri, sed in facto esse, & ideò consecratio, non est visibilis forma Corporis Christi, sed species sunt, quæ ipsum repræsentant. Actio enim habet formam motus; Corpus verò Christi non est, nisi res permanens.

Nequé verò sumptio est Sacramentum, neque propria causa gratiæ; sed est applicatio virtutis Sacramentalis, puta, corporis, quòd est virtus conferendi gratiam. Velùti in naturalibus applicatio ignis, non est causa caloris, sed ignis ipse applicatus; applicatio verò est conditio agentis. In Baptismo namqué, quia non est alia virtus, quàm motus aquæ applicatio ipsa est Sacramentum.

At quoniàm in Eucharistia virtus est res permanens, scilicét, corpus, applicatio non est Sacramentum, sed actio Sacramentalis. Quare inferiùs qu. 78. art. 1. ad 2. Argumentum ait S. Thomas, quòd vsus materiæ consecratæ, non est de necessitate huius Sacramenti, hæc Sotus.

Reliqua verò duo scilicét, species Sacramētales, Corpus, & Sànguis Christi sunt proprié, & intrinsecé Sacramenta. De speciebus, probatur, quiá significant Christum, vti cibum animæ, atque eam sanctificantem per modum nutrimenti spiritualis, quòd minimé negari potest.

Di-

Dicimus insupér, quòd sicut ipsę species Corpori Christi vnitæ, ità significant vnionem Christi mysticam cum ipsiùs corpore. Quòd verò corpus, & sanguis ad rationem huius Sacramenti pertineat, patet, quia hoc requirit vnitas formæ, quæ præsentialitér significat sub illis speciebus adesse Christum. Vide Sotum.

Dicimus paritér Eucharistiam definiri posse. *Est Sacramentum consistens sub speciebus panis, & vini consecratis significans Christum, & refectionem spiritualem*. ità Nugnus 3.par. quæst.73. art.1. dist.3.concl.10. & alij relati d.4.q.2 §.1. & alij, quos idem citat, & sequitur, est opinio communis.

Dicitur *Sacramentum* loco generis, *sub speciebus, &c*, tum ad explicandum materiam remotam, quæ sunt panis, & vinum; tùm etiam ad indicandum materiam proximam, quæ sunt vtriusque species. *Significans Christum, &c.* quia in vtraque specie adest Christus totus, licèt sit in pane, & in vino consecratis, secundùm diuersitatem formæ Trident. sess. 13. cap. 3.

Sempèr hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque eius sanguinem sub panis, & vini specie, vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere: Sed corpus quidèm sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autèm corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animàque sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, &c.

Dicitur deniquè, *& refectionem spiritualem*, vt ex his verbis demonstretur finis prò quo fuit huiusmòdi Sacramentum à Christo Domino institutum, qui quidèm est nutritio, & conseruatio vitæ spiritualis, vt firmat Filliucius tract.4. c.1.q.6. n.21. & quamplurimi alij apud ipsum.

Quæres, quis instituerit Sacramentum Eucharistiæ, & quando? Respondetur tàm huius Sacramenti, quàm reliquorum Auctor verè fuit Christus Dominus, habetur Lucæ 22. Marci 14. & Matt. 26. fuit institutum prima di Azy-

mo-

morum, & consequentér in pane azymo, & non fermentato iuxtà Exod. 12. & 13.

Et quidém, quód spectat ad tempus adhuc paritér respondetur, quòd fuit in vltima Cęna, & eadem nocte, qua Christus Dominus noster erat Iudæis tradendus, & non minùs vltimo anno suæ vitæ, qui fuit anno trigesimo tertio; sed probabiliùs asserit Suarez anno trigesimo quarto.

Pro intelligentia vltimæ cęnæ, sciendum est, quod Christus triplicem cęnam gessit. Prima legalis, nimirùm, esus agni paschalis. Secunda communis, in qua Iudas intinxit manum in paropside. Tertia institutio SS. Eucharistiæ in Cęnaculo parato, & ideò dicitur ab Ecclesia *In supremę nocte cęnæ, &c.* Maldonatus, & alij apùd Bonacinam.

SECTIO II.

De Materia remota Eucharistia.

QVæres, quæ sit materia remota corporis Christi, quatenùs ab eius sanguine primò, & principalitèr, distinguitur? Respondetur, *Est panis vsualis ex tritico confectus*, habetur ex Conc. Floren. in decreto vnionis, & ex Conc. Trid. sess. 13. c.4. ibi.

Sancta Synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantia panis, in substantiam corporis Christi Domini Nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis eius, &c.

Ratio est, quia itá Christus instituit. Colligitur ex illis verbis. *Accipiens panem eleuauit oculos, &c. Hoc facite in meam commemorationem,* ergò panis est materia huius Sacramenti. Vide Bonacinam disp.2. qu.2. p.1. num.1. hoc etiam seruat Ecclesia, ac eiusdem perpetua traditio est.

Addendum insuper est, quòd illa est materia remota Corporis Christi, quæ simplicitèr, & absquè vllo addito di-

dicitur panis; *ſed talis* ſolùm eſt panis triticeus, ergò ſolus panis triticeus eſt materia remota Euchariſtię. Bonacina citat. 1. cap.

Infertur ex his primò, quòd quilibet alius panis conſtructus ex leguminibus, ſiuè fructibus, non eſt apta materia huius Sacramenti: minùſque panis confectus ex caſtaneis, fabis, vel lupinis, &c. qui licèt ſint amariſſimi, nihilominùs aqua dulces fiunt, ex quibus fit, panis addito frumento, ratio eſt, quia non dicitur ſimplicitèr panis vſualis, ità omnes, &c.

Infertur ſecundo, minùſque eſt aptă materia, panis confectus ex panico, hordeo, ſpelta, lolio, & ſimilibus, quiá intér ſe differunt ſpecie à tritico, & conſequentèr non poſſunt eſſe apta materia; nonnulli verò ſentiunt ſpeltam, hordeum, & far poſſe adhiberi pro materia huius Sacramenti in caſu neceſſitatis, quòd nos omninò negamus, ex allata ratione.

Firmandum igitùr eſt, quòd nullus panis, niſi fuerit ex tritico confectus, vllo modo, poteſt ad huiuſmòdi Sacramentum adhiberi, vt apertè colligitur ex Cathechiſmo Romano, ibi: *Sed quemadmodùm nullus panis, niſi triticeus apta ad Sacramentum materia, putandus eſt: Hoc enim Apoſtolica traditio, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritas firmauit.*

De ſiligine (quæ vulgò ſegala, ſiue ſagina dicitur) ex qua laudatiſſimus panis efficitur, quæ paritèr intèr frumenti ſpecies numeratur (omiſſis hinc indè Doctorum queſtionibus) tanquám materia dubia habeatur; & ſic in ea conſecrare, culpa eſſet lethalis, & fortiùs, quià hæc opinio probabilis, fuit damnata, vt ſuperiùs diximus.

Firmauimus in noſtra concluſione, panem debere eſſe vſualem; eò, quià ſi talis non eſſet, idèſt, qui communitèr in menſis adhibetur, & ſimplicitèr panis nuncupatur, etiă ſi aliundè non eſſet triticeus, non eſt conſecrabilis, niſi concurrentibus his ſequentibus conditionibus.

Prima, vt ſimplicitèr panis denominetur, nàm ſi alio nun-

nuncupetur nomine, non apta materia præsumeretur, cum alia videatur induisse natura.

Secunda, vt sit confectus aqua naturali, quià tali modo potest dici panis vsualis, vt clariùs infrá patebit.

Tertia, vt sit coctus per modum assationis, puta, in furno, sub cinere, ferro calido, aut alia simili ratione, quià aliter coctus, non dicitur propriè panis.

Quarta, vt sit moralitèr præsens, & determinari possit per particulam *Hoc*, alioquin verba formæ minimè verificarentur, séd meliùs infrà.

Infertur ex his primò, farinam, aùt panem corruptum non esse aptam materiam huius Sacramenti. Ratio patet ex dictis. Vt panis dicatur corruptus dignosci poterit ex colore, sapore, odore, & faciliori dissolutione, qui neque in dubio est consecrandus, vt pluriés diximus.

Infertur secundo, pastam, siue massam crudã farinæ, non esse aptam materiam, quià licèt sit triticea, non tamèn est simplicitèr panis, quo homines in dies vtuntur. Panis malè coctus, adeoùt per digitorum compressionẽ facilè possit in massam reduci est materia dubia, & similitèr hostia, cui multùm liquatæ ceræ esset admixtum, non est consecrabilis, patet ex dictis.

Infertur tertio, panem dulciarium, ex farina, & melle confectum, vel lacte in maiori, vel æquali quantitate, non esse materiam sufficientem. Secùs si parua sit, & triticea materia prædominetur. Ratio fuit suprà firmata, est communis Doctorum sententia. Videatur hic Coninck.

Similitèr esset inepta materia farina aqua subacta, & frixa oleo, butyro, aùt elixata aqua naturali, vel alio liquore; quia ista non recoquntur solo igne per modum assationis, nèc dicitur simplicitèr panis vsualis. De pane confecto ex aqua rosacea, affirmat Caietanus apud Comitolum, séd minimè est admittendus.

Quæres, an panis debeat esse fermentatus, vel azymus? Respondetur, panem, siuè azymo, siuè formentatum esse

sufficientem materiam, vterque enim est simplicitèr panis. De fermentato est Catholicorum communis sensus, & Ecclesiæ traditio. De azymo patet, quià in eo Christus in vltima cęna consecrauit. Exod. 12. vt diximus.

Verùm quidèm est, quòd Sacerdos latinus sub mortali tenetur Ecclesiæ suæ seruare consuetudinem, & in azymo consecrare, & è contra Græcus in fermentato ac etiam ob dandum Sanctissimum Viaticum infirmo, si de latino loquamur, ità S. Thomas, Suarez, & alij communitér.

SECTIO III.

De Materia remota Sanguinis.

QVæres, quænam sit materia remota Sanguinis Christi? Respondetur, vinum vsuale ex vite. Probatur, quià Christus vinum ex vite consecrauit. Matt. 26. Luc. 22. & Marci 14. vbi nuncupatur generatio, & genimen vitis.

Confirmatur ex traditione Ecclesiæ, & omnium fideliũ consensu, & deniqué, quià huius Sacramenti materia est vinum simplicitèr de vite, & sinè addito, vt paritér suprà diximus de pane.

Dices, quaré huiusmòdi Sacramentum fuit à Christo institutum in pane, & vino? Respondetur. & quidèm congruentér ad significandum virium spiritualium reparationem sicuti adhibetur ad reparandum corporis vires.

Respondetur insupèr, quià cum panis, & vinum necessariò, & simplicitèr dicat corporalem refectionem, hinc est, quòd materia hæc, est sufficiens, & necessaria ad reficiendum hominem. Tolet. Azor. & Bonacin. hic.

Infertur primo ex dictis, quòd vinũ debet ex vuis maturis exprimi; & sic excluditur omphacium *vulgò agresta*, excluduntur paritèr vuarum racemi, siuè ipsorum succus intrà

intrà vuas contentus, licèt sint maturæ. Patet ex cap. *Cum omne de consecr. dist. 2. ibi.*

Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificijs debeatur. Qui de cætero pro delictorum expiatione domino dabitur, quandò in ipsa sacrificij oblatione erratur?

Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contrà diuinos ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare. Aliosque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre. Alios verò pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruare, & in tempore sacrificij partem eius aqua lauare, & sic offerre.

Quòd quàm sit euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ contrariũ & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum non difficilè ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt, Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac, sed panem tantùm, & Calicem sub hoc Sacramento cognouimus dedisse. Legitur enim in Euangelica veritate (Accepit Iesus panem, & Calicẽ & benedicens dedit discipuluis suis, &c.)

Cesset ergò lac sacrificando in sacrificio offerri, quià manifestum, & euidens Euangelicæ veritatis exemplum illuxit, quòd pratèr panem, & vinum, aliud offerri non licèt. Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nèc hoc prolatum ex Euangelio testimonium recipit, recepturum vbi Apostolis Corpus suum, & Sanguinem commendauit.

Seorsùm enim panis, & seorsùm Calicis commendatio memoratur. Nàm intinctum panem alijs Christum præbuisse nõ legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella, magistri proditerem ostenderet, non quæ Sacramenti huius institutionẽ signaret. Nàm quòd de expresso botrò, idèst, de vuarum granis populus communicatur, valdè est omninò confusum, sèd si necessã sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur,

sufficientem materiam, vterque enim est simpliciter panis. De fermentato est Catholicorum communis sensus, & Ecclesiæ traditio. De azymo patet, quià in eo Christus in vltima cęna consecrauit. Exod. 12. vt diximus.

Verùm quidèm est, quòd Sacerdos latinus sub mortali tenetur Ecclesiæ suæ seruare consuetudinęm, & in azymo consecrare, & è contra Græcus in fermentato ac etiam ob dandum Sanctissimum Viaticum infirmo, si de latino loquamur, ità S. Thomas, Suarez, & alij communitér.

SECTIO III.

De Materia remota Sanguinis.

QVæres, quænam sit materia remota Sanguinis Christi? Respondetur, vinum vsuale ex vite. Probatur, quià Christus vinum ex vite consecrauit. Matt. 26. Luc. 22. & Marci 14. vbi nuncupatur generatio, & genimen vitis.

Confirmatur ex traditione Ecclesiæ, & omnium fideliũ consensu, & deniquè, quià huius Sacramenti materia est vinum simplicitér de vite, & sinè addito, vt paritér suprà diximus de pane.

Dices, quarè huiusmòdi Sacramentum fuit à Christo institutum in pane, & vino? Respondetur. & quidèm congruentér ad significandum virium spiritualium reparationem sicuti adhibetur ad reparandum corporis vires.

Respondetur insupèr, quià cum panis, & vinum necessariò, & simplicitèr dicat corporalem refectionem; hinc est, quòd materia hæc, est sufficiens, & necessaria ad reficiendum hominem. Tolet. Azor. & Bonacin. hic.

Infertur primo ex dictis, quòd vinũ debet ex vuis maturis exprimi, & sic excluditur omphacium *vulgò agresta*, excluduntur paritèr vuarum racemi, siuè ipsorum succus

intrà

intrà vuas contentus, licèt sint maturæ. Patet ex cap. *Cum omne de consecr. dist. 2. ibi.*

Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificijs debeatur. Qui de cætero pro delictorum expiatione domino dabitur, quandò in ipsa sacrificij oblatione erratur?

Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contrà diuinos ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare. Aliosque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici Calicis offerre. Alios verò pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruare, & in tempore sacrificij partem eius aqua lauare, & sic offerre.

Quòd quàm sit euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ contrariũ & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum non difficilè ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt, Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac, sed panem tantùm, & Calicem sub hoc Sacramento cognouimus dedisse. Legitur enim in Euangelica veritate (Accepit Iesus panem, & Calicẽ & benedicens dedit discipulis suis, &c.)

Cesset ergò lac sacrificando in sacrificio offerri, quià manifestum, & euidens Euangelicæ veritatis exemplum illuxit, quòd pratèr panem, & vinum, aliud offerri non licèt. Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nèc hoc prolatum ex Euangelio testimonium recipit, recepturum vbi Apostolis Corpus suum, & Sanguinem commendauit.

Seorsùm enim panis, & seorsùm Calicis commendatio memoratur. Nàm intinctum panem alijs Christum præbuisse nõ legimus, excepto illo tantùm discipulo, quem intincta buccella, magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti huius institutionẽ signaret. Nàm quòd de expresso botrò, idèst, de vuarum granis populus communicatur, valdè est omninò confusum, sèd si necesũ sit, botrus in calice comprimatur, & aqua miscea-

tur, quæ Calix Dominicus iuxtà Canonum præcepta vino, & aqua permistus debet offerri, quià videmus in aqua populum intelligi: in vino verò ostendi Sanguinem Christi.

Ergò cum in Calice vino, aqua miscetur. Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & iungitur, Quæ copulatio, & coniunctio aquæ, & vini sic miscetur in Calice Domini, ut mistio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis. Si verò aqua sit sola: Plebs incipit esse sine Christo. Ergò quando botrus solus offertur, in quo vini tantum efficientia designatur Sacramentum nostræ salutis negligitur, quod per aquam significatur.

Non enim potest Calix Domini esse aqua sola, aùt vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Et ideò, quià iam ex hoc plurima, & multiplex maiorum manauit sententia, omnis deincèps talis error, atque præsumptio cessare debet, nè peruersorum inordinata compago statum veritatis eneruet. Et ideò nulli deincèps licitum sit aliud in sacrificijs diuinis offerre, nisi iuxtà antiquorum sententiam Conciliorum panem tantùm, & Calicem vino, & aqua permistum. De cætero altièr, quàm præceptum est, faciens, tamdiù à sacrificando cessabit, quamdiù legitima pœnitentia satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat, quod amisit.

Et eadem distinctione 2. de consecratione, ibi. *Didicimus, quòd in quibusdam Ecclesijs Sacerdotes sacrificio oblationis coniungant vuas, quæ secundum usum in altari offeruntur, & sic simùl vtraque populo dispensent. Præcipimus igitùr, ut nullus Sacerdos hoc vlterius faciat; sed in remissionem peccatorum, populo oblationem solam distribuat, & vuas seorsùm benedictas populus, qui petierit, accipiat, & fructuum gratias agat.*

Infertur secundo, vinum pomorum, puta malorum, granatorum, & similium cum non sit expressum ex vuis, & sic non de vite in quacunque necessitate, non esse adhibendum ad huiusmòdi Sacramentum tanquàm materia sufficiens, ut clarè patet ex dictis, estque communis Doctorum sententiam. In-

Infertur tertio, nequé acetum esse aptam materiam, cùm non sit vinum, sed potiùs vinum corruptum. Neque implicat Innocentium dixisse in aceto posse consecrari, quià intelligitur de vino, quod incipit acescere. Et adhùc vinum est. Non verò de aceto perfecto; quod nunquam est consecrandum.

Infertur quarto, nequé esse idoneam materiam loram *vulgò acquetta*, quià non est vinum; sed potiùs aqua iuxtà Plinium, quod si prædominaretur mustum, & simplicitér dici possit vinum, túnc erit apta materia. In dubio esset mort. in ea consecrare, ac etiàm in vino iàm acescente ob periculum nullitatis, & Sacramenti irreuerentiam.

Infertur quinto, non solū in vino rubro, vel nigro; verùm etiàm in albo potest confici Sacramentum sanguinis, est vtrumque de vite, & ex vuis expressum, & licet ambo inter se in qualitate, & accidenti differant, minimé istę differentiæ sunt attendendæ; séd solummodò substantia, vt bené notant Doctores.

Ex dictis deducitur primo, quòd mustū est materia sufficiens, non verò conueniens, nisi sit defecatum, & purum. Quod sit simplicitér vinum, licét fæculentum, aut saltém impurum, patet ex Arist. 4. meth. cap. 23. At Suarez disput. 45. ait grauem esse irreuerentiam in musto consecrare (intellige extrà necessitatem) Quòd sit sufficiens. Probatur ex cap. *Cum omne de consecrat. dist.* 2. vt suprà iàm descripsimus.

Deducitur secundo, quòd vinū congelatum licét minimé sit materia decens, & conueniens, est tamén sufficiēs, & sic illicité, sed validé consecraretur. Ratio est, quià vinùm congelatum, plerùmque retinet eiusdem vini substantiam, est sententia Angeli verb. Missa, Syluestri verb Eucharistia.

Séd audiamus Sotum in 4. sent. dist. 9. q. 1. art. 6. qui circà præsentem materiam quamplurimos resoluit casus in vltimo §. sic ait Quid autém de vino congelato? nám non-

nun-

nunquàm accidit, vt congeletur? Et dictum est, Baptismum non posse fieri in gelu. Respondetur, Congelationem posse fieri adeò exilitèr, vt maneret vinum, & tùnc posset consecrari.

Nèc est simile in Baptismo: nàm in gelu non potest fieri ablutio, licét possit fieri consecratio. Séd vsque adeò posset indurescere, vt desineret esse vinum, & transiret in formam lapidis. Cuius signum esset, quod si posteá liquefieret, non haberet vini virtutem. Esset ergò immane sacrilegium gelu consecrare, nisi calore liquefactum documentum præberet esse vinum.

Quare idem experimentum sumendum est, vbi species consecratas contingeret congelari. Si enim posteá liquefactæ specimen præferrent vini in sapore testimonium esset illìc esse sanguinem. Si autém talem colorem, & vigorem non seruarent non esset sanguis. Nihilominùs proptér periculum, cum veneratione essent sumendæ.

Cæterùm circá defectus contingentes in huiusmódi materia Lectorem remittimus, non solùm ad Theologos morales, verùm etiám, vt in errores minimé incidat, ad Missale Romanum, vbi in §. 10. & 11. de Defectibus in mysterio ipso occurrentibus quamplurima prò tyronibus Sacerdotibus adnotata sunt.

SECTIO IV.

De aqua vino miscenda.

QVæres, an in vino sit aqua miscenda, in qua quantitate, & ex quo præcepto? Respondetur, quòd aqua sit vino miscenda, est de fide: habetur ex Conc. Florent. & Trid. sess. 22. cap. 7. ibi: *Monet deindè S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miscerent, tùm quod Christum Dominum ità fecisse cre-*

credatur, tùm etiàm, quia è latere eius aqua simùl cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi B. Ioannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo vnio repræsentatur.

Colligitur paritér ex cap. *Cum Marthæ de celebrat. Miss.* ibi. *Quæsiuisti etiàm vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertantur? Supèr hoc autèm opiniones apùd scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd, cum de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramenta, Redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo, vinum, & aqua, quæ commiscentur in Calice, diuina virtute mutantur: Vt in hoc Sacramento plenè sit veritas, & figura.*

Alij verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem cum in vinum transeat mixta vino: licèt physici contrarium asseuerent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Preterea potest dici, quòd aqua, non transit in sanguinem, sèd remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ità, quòd vini saporem assumit, quòd indè conuincitur, quià si post Calicis consecrationem, aliud vinum mittatur in Calicem, illud quidèm, non transit in Sanguinem, nec sanguini commiscetur, sèd accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod sub eis latet vndique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamèn accidentia vinum appositum videntur afficere; quià si aqua fuerit apposita vini saporem assumit.

Contingit igitùr accidentia mutare subiectum, sicùt, & subiectum contingit accidentia permutare: Cedit quippè natura miraculo, & virtus suprà consuetudinem operatur. Sèd nèc inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsius latere processisse, & infrá.

Verùm intèr opiniones prædictas, illa probabilior iudicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Nàm cum aquæ multæ sint populi multi, iuxtà quod alibi legitur. Beati, qui seminatis supèr omnes aquas; ideò vino aqua vnitur, vt Christo populus

adu-

adunetur. Per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo, tàm insolubili nexu coniũgimur, vt, qui est vnũ cum Patre, per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem, ac per hoc, ipso communitèr mediante cum Patre vnum efficimur.

Pater, inquit, Sancte serua eos, quos dedisti mihi; vt sint vnum, sicùt, & nos: non pro his rogo tantùm, sèd pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt, & ipsi in nobis vnum sint, & mundus credat, quià tu me misisti.

Instabis quanta quantitas est vino miscenda? Respondetur, quòd modica esse debet, nec maior vino, aqua infundatur, nec minùs æqualis, patet ex vsu Ecclesiæ. Satis igitùr erit duas, aut tres infundere guttulas. Extat Sacerdotum quotidiana praxis. Ratio est, quiá minima guttula aquæ (*sit tamèn sensibilis*) est satis significatiua, & aliundè esset periculum, quòd si notabilis quantitas admisceatur, minimè dici possit vinum simplex, & vsuale.

Dices, vt vino aqua misceatur est nè de aliquo præcepto? Respondetur non esse de necessitate medij, siuè Sacramenti, sèd tantùm præcepti ab Ecclesia impositi, est opinio S. Tho. & patet ex verbis Trid. supra descriptis, ibi. *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice miscerent.*

Quànuis enim Christus aquam vino miscuerit, non ex hoc sequitur esse de iure diuino, & sic non, vt pars essentialis, sed potiùs integralis erit censenda, cum liquidò constet, aquam esse sufficientem, non tamèn necessariam materiam, ità docemur ex ipsius Ecclesiæ traditione, & fortiùs, quia si omitteretur ex suo genere esset peccatum mortale; sacrificium nihilominùs validum esset habendum.

Nec intèr Doctores nostram conclusionem firmantes, est omittendus Sotus loc. cit. ar. 6. qui ait, & accedit manifesta ratio, nàm si aqũa, vt inquit, Innocentius in vinum debet conuerti, antequàm fiat consecratio, non est magis de essentia apponere guttam aquæ, quàm vinum, vino addere.

Vndè

Vndè ad argum. respondetur, quòd non quidquid Christus intèr consecrandum obseruauit; est de essentia Sacramenti, sed tantùm materia, forma, & intentio: Materia autèm est vinum, vt nomina calicis, & geniminis vitis euangelica admonent: nomine autèm vini, non comprehenditur aqua.

Colligitur ergò ex his duabus conclusionibus, mixtionē aquæ nō esse quidèm de necessitate Sacramenti, sèd de necessitate præcepti, quòd reuerà obligat sub reatu mortali, nisi forsàn ex obliuione omitteretur, est enim mos Ecclesiæ solemnissimus. Vndè in Conc. Flor. solus panis triticeus, & vinum de vite ponitur tanquàm necessaria materia; & subiungitur, quià antè consecrationem modicissima quantitas misceri debet. Vbi verbum *debet* solam præcepti necessitatem designat.

Instruit ergò (sequitur idem Sotus) primum argumentum S. Tho. ex verbis Cypriani, quæ referuntur *in Can. Sicùt.* Nèc tamèn Cyprianus ait *sicùt* sèd *sic*. Extant enim, vt diximus, lib. 2. epistolarum eius, epist. 3. vbi ait. *Sic Calix Domini, non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur*: Quomodò nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrunque (scilicèt farina, & aqua) fuerit adunatum. Aquæ verò admixtio cum farina est de necessitate panis consecrandi: ergò, & admixtio aquæ cum vino.

Similia verò sunt verba Iulij *Canon. Cum animæ*, scilicèt, *Non potest Calix Domini esse, aut aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur*. Respondet D. Thom. eo pacto, quo Innocentius loc. cit. quòd verbum Cypriani, intelligitur, eodem pacto, quo id dicitur fieri posse, quòd conuenientèr fieri non potest.

Si enim non apponeretur aqua, esset peccatum. Quarè similitudo cum aqua in farina non est omnimodà: Nàm panis est Sacramento necessarius, & mixtio aquæ necessaria itidèm conficiendo pani. At verò licèt Sacramento sit necessarium vinum, tamèn, quòd aliqua eius particula fiat

Q per

per conuersionem aquæ in ipsum, non est de essentia.

Arguitur secundo. In passione Domini, cuius Sacramentum, hoc est, memoriale, sicùt de latere eius exiuit sanguis, ità, & aqua; sèd vinum ratione sanguinis est necessarium; ergò pari ratione, aqua, est argumentum Martini Papæ. *Canon non apportet ead. distinctione*. Respondet D. Thom. non eadem rationis necessitate sanguinem, & àquam ex latere Christi emanasse. Sanguis quippè directè ad ipsam passionem pertinebat. Est enim naturale vulnerato corpori humano sanguinem emittere: Effusio autèm aquæ non erat sic de necessitate; sèd ad demonstrandum effectum passionis congrua, qui est, tùm ablutio à peccatis, tùm, & refrigeriu m contrà carnalem concupiscentiam.

Et ideò aqua non consecratur seorsùm (vt in 3. conclusione dictum est) séd vino admixta ad denotandum vinum, quòd transubstantiatur in sanguinem, esse de necessitate. Aqua verò ad repræsentandum populum deseruire, qui conuertitur in Christum, sicùt aqua in vinum.

Arguitur tertio. Si aqua nõ esset de necessitate Sacramenti, quæcunque apponeretur, sat esset, vt rosacea, aut eiusmòdi quæuis alia, Ecclesia autèm non vtitur, nisi vera aqua; ergò illa est necessaria. Respondet tria. Primùm, quòd cum aqua non sit necessaria, nihil refert ad necessitatem Sacramenti, quæ aqua misceatur vino, siuè naturalis, siuè artificialis.

Secundùm ait, peccatum esse apponere aliam aquam, quam veram, & profectò arbitror esse mortale proptèr significationem; quia de latere Christi non fluxit, nisi vera aqua, non autèm humor phlegmaticus, vt aliqui dixerunt. Quæ quidèm aqua documentum perhibuit Christi Corpus fuisse compositum, ex quatuor humoribus, vt Innoc. ait cap. *In quadam extrà de celebrat. Miss.* quòd supra *dist. 3. ar. 4. Satis expositum est*.

Tertium ait, quòd de aqua admixta farinæ, diuersa est ratio: Nàm cum sit de necessitate panis, requiritur aqua natu-

naturalis. Quarè si ex rosacea, vel alia artificiali, commassaretur panis, non esset consecrabilis.

Caietanus verò, hoc in dubium reuocat, imò in contrariam partem flectitur. Ait enim, quòd cum ad materiam Sacramenti, non sit necessarium, nisi panis, considerandum est, vtrum ex aqua artificiali, quæ est herbarum succus, possit confici verus panis, & applaudit parti affirmatiuæ.

Nàm aqua, inquit, non est materia permanens in pane, séd calore ignis exhalatur, & ideò ex quacunq; fiat aqua, potest esse eiusdem speciei: At verò opinio hæc, non est tuta, nequè vllo pacto esset talis licentia concedenda. Et Paludanus dist. 11. q. 1. circà finem contrarium tenet.

Conclusio tertia demùm, quòd aqua in ea quantitate est miscenda, quæ facilè possit transire in vinum, extrà controuersiam est, vt Innoc. cap. *Cum Marthæ decernit*. Quapropter ex paucitate aquæ, nullum potest creari periculum: Imò quantò minùs misceatur, tantò tutiùs est, etiámsi sit sola gutta, dummodò sit aqua. Nàm tàm exilis potest esse gutta, vt non sit, nisi ros.

Séd tamén ex magnitudine periculum offertur: nàm si tanta esset, quæ non posset conuerti in vinum, solùm vinum consecratur, & ipsa maneret illìc in substantia aquæ, quòd esset plebem seducere, quæ adorat quicquid substantiæ sub illis accidentibus reconditur, tamètsi per ignorantiam ab idololatria excusaretur.

Igitùr Sacerdos immane sacrilegium committeret, præsertìm si vti prudens, & sciens id faceret. Quaré dùm apparet aquæ plus iusto effusum, debet Calix effundi, & iterùm vinum cum pauciori aqua infundi. Atqui in ordine nostro, & alijs Ecclesijs mos seruatur, statim anté introitum Missæ Calicem miscere, vt tempus suppetat aquæ in vinum conuertendæ:

Argumenta S. Thomæ sunt huiusmòdi. Sicùt Sanguis ex Corpore Christi, ità, & aqua sensibilitèr exiuit. Ait enim Ioannes c. 19. *Qui vidit testimonium perhibuit*. Exigua verò

aqua, non est sensibilis. Itèm multa aqua vino admixta, corrumpitur, quòd autèm corruptũ est perindè se habet, ac si non esset: ergò debet in notabili quantitate adiungi. Itèm tertiò, quiá si tàm parùm sufficeret, satis esset in toto vegete guttam aquæ infundere, ex quo posteà hauriretur consecrandum vinum, quòd apparet ridiculum.

Ad primum satis esse, quòd sentiatur aqua dùm apponitur, licèt post conuersionem in vinum non sentiatur. Ad secundum dicitur, quòd si non apponeretur, & corrupta conuertitur in vinũ, significat populum incorporari Christo. Ad tertium deniquè respondetur, quòd mixtio non debet fieri in vegete, aut lagena, sed in ipso Calice, vbi consecratio adornatur. Alioqui non seruaret significationem populi, per hoc Sacramentum adunandi Christo. Hæc Sotus supra citatus.

Sèd ad præsens emergens dubium restat dilucidandum, an, nimirùm, immediatè in Calice posita aqua, priùs conuertatur in vinum, an verò perfecta forma, & ab idoneo ministro prolata, transustantietur in Christi sanguinem? .

Licèt de huiusmòdi dubio quamplurimi egissent Doctores, intér se discrepantes, & adhùc indifferentes persistant in ambiguis sententijs Nobis solummodò videtur sequendum, quòd in Controuer. 1. q. vnica à §. 1. vsque ad 35. fol. mihi 166. Eminentissimus Capisuccus contrà omnium Aduersariorum opiniones in vnum collegit, his verbis.

Illud autèm minùs ferendum, quod hìc Auctor asserat, contrà nos totam reclamare antiquitatem; cùm hoc ipsum potiùs contrà illum, eiusque sententiæ assertores, dicendum sit; nàm, vt ex dictis constat; ea opinio recentissima est; nostrà verò antiquissima; nec nobis fidem haberi volumus, sed Sacræ Scripturæ, Concilijs, Summis Pontificibus, Sanctis Patribus, ac Theologis omnibus, eorumque Principibus, qui aquam in sanguinem immediatè conuerti apertissimè negant, & ineluctabilibus argumentis demonstrant, vt proindè nimis audeant; qui reclamantibus Concilijs, Pontifi-

tifi-

tificibus, Patribus, ac vniuersis Theologis illi opinioni adhùc adhærent, & opiniones nouissimas antiquissimas, & antiquissimas nouissimas dicere non verentur, nostrisque armis sese induere non dubitant.

Quin, & eorum aliqui eò progressi sunt, vt opinionem de immediata conuersione aquæ in sanguinem, de fide esse, ac Sanctis Patribus conformem, asseuerent, cùm tamen (vt ait, Isambertus Doctor Sorbonicus, sæpiùs à nobis laudatus) si diligenti inquisitione, & acri iudicio expendissent Patrum testimonia, antecedentibus, & consequentibus intèr se collatis animaduertissent, non hanc, quam prætendunt mentem eorum fuisse, vt ex dictis constat. Et cùm pro sua opinione nullum habeant Decretum, vel Concilij alicuius, aut Summi Pontificis; nos verò habeamus expressas auctoritates Innocentij III. Cathechismi, Tridentini, & Romani Sacerdotalis: Itèm rationes in dogmate Fidei, per Conc. Tridentinũ, & alia antiquiora Concilia explicato fundatas, & prętereá rationes philosophicas, & ipsummet Aristotelem, debuissent à tali opinione recedere. Neq; nos mouère debet (subdit Isambertus) quod referunt, suã assertionem fuisse Romæ in publicis disputationibus, & in quibusdam alijs academijs sæpiùs propositam, & defensam; hoc enim ipso, quo hæc sententia nullum habet pro se Decretum Summi Pontificis, vel alicuius Concilij, sèd meram tolerantiam, arguit eam opinionem, non esse simplicitèr, & absolutè veram. Hactenus Capisuccus cit.

SECTIO V.

De quibusdam requisitis vtrique materiæ communibus.

QVæres, quænam ista sint? Resp. èx parte Sacerdotis, requiritur consecratio vtriusque materiæ, idést, panis,

nis, & vini, néc vna ex his omitti potest absque sacrilegio, & quòd Sacerdos minimè possit accipere Christi Corpus, sinè eius Sanguine, habetur ex sequenti cap. *de Consecratione dist.* 2. ibi.

Comperimus autèm, quòd quidam sumpta tantùm modò corporis sacri portione, à Calice Sacri crucris abstineant. Qui proculdubio (quoniàm nescio, qua superstitione docentur obstringi,) aùt integra Sacramenta percipiant, aùt ab integris arceantur: quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij sinè grandi sacrilegio non potest prouenire.

Consecratio vtriusque materiæ est de integritate sacrificij, quandoquidèm Christus vtramque obtulit, ac Apostolis, vt hoc facerent, præcepit, nàm panis Saluatoris corpus repræsentat, & vinum ipsius sanguinem, qui ab eodem in patibulo Crucis pendente effluit. Colligitur ex Trid. sess. 13. cap. 1. ibi.

Ità enim maiores nostri omnes, qotquòt in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc Sacramento disseruerunt apertissimè professi sunt, hoc tàm admirabile Sacramentum, in vltima Cœna Redemptorem nostrum instituisse cù post panis, quà vini benedictionem, se suum ipsius corpus illis præberet; ac suum sanguinem &c.

Hinc sequitur, quòd vtriusque materiæ consecratio, non est de præcepto Ecclesiæ, vt asseruerunt Alensis, Adrianus, & Nauar. in Summa. Nequè de necessitate Sacramenti, cum vtraque materia seiunctìm validè, licèt illicitè, consecrari possit, vt de facto occurrit priùs in pane, & posteà in vino, & in vtrisque Christus distinctè existit, ità hic S. Tho.

Vtraque materia debet esse sacrificanti moralitèr præsens, vt designari possit per particulam *hoc*, vel *hic* aliàs sensus formæ falsus redderetur, & eò fortiùs, quià Christus Dominus noster sic instituit, habetur ex euangelistis. *Accepit panem &c. dicens &c. manducate, & bibite ex eo omnes.*

Infertur ex his primò, quòd plures hostiæ existentes in pyxide cooperta, sub corporali, mappa, aut missali, vinum

in

in calice pariter cooperto, & in dolio coram celebrante, dummodò hæc eidem sint nota, possunt consecrari, quiá moralitèr præsentia diçuntur, vt diximus.

Infertur secundo, quòd ad huiusmòdi moralem præsentiam, non est necessarium, vt verborum sonus ad materiam consecrandam pertingat, vel materia videatur à Sacerdote, vel præ illius manibus habeatur; quià potest aliquid moralitér esse præsens, etiàm si nullo modo nostris sensibus pateat. Reginaldus.

Infertur tertio, quòd minimè, hostia pòst parietem posita, in tabernaculo clauso, pòst terga Sacerdotis, aùt ab ipso triginta passibus distans, consecrari potest, quamuis Henriquez in Summa, & Corona apùd eundem omninò contrariam opinionem defendant.

Ratio nostra est, quià in dictis casibus, & in tanta distantia, màteria moralitèr, non est habenda præsens, cum minimé possit verificari forma. Circà verò præsentiam, & moralem distantiam hostiæ, respectu consecrantis, nil veri determinari potest, ob iudicij incertitudinem, quòd in hac re diuersum ab Auctoribus fertur.

Idemque videtur dicendum de màgnitudine, & quantitate vtriusque materiæ consecrandæ, saltèm moralitèr loquendo, sèd quiá sacerdotalis potestas nulla caret limitatione, & huiusmòdi limitatio ex vllo principio contingere potest, idcircò ad Angelicum Doctorem hìc Lectorem remittimus.

Hæc tamèn conclusio, non videtur illimitatè proferenda, nàm aliquandò poterit occurrere casus, in quo extensæ partes consecrandæ adeò à Celebrante distarent, licèt mediatè partibus præsentibus, essent vnitæ, vt nullo modo posset de illis moralitèr verificari forma per particulam demonstratiuam *Hoc*, vèl *Hic*.

Est tamèn indubitatum, quòd requiritur certus paruitatis terminus, & talis esse debet, vt non solùm in ipsa substantia panis, & vini conseruari valeat; verùm etiàm,

vt

vt sit sensibilis, aliàs minimè posset demonstrari per particulam *Hoc*, vèl *Hic*, iuxtà prudentis viri iudicium, Bonacina disp.4. q.2. p.6. n.1.

Videamus modò quidnam in hac quæstione sentiat Sot. in 4. sent. dist.9. q.vnic. ar.2. tàm circà distantiam; quàm quantitatem; quoàd primam ait. Ad aliam verò interrogationem, quanta, scilicèt, distantia materiæ ad præsentiam requiratur, satis responsum est, id esse humana prudentia, & vsu arbitrandum.

Quoád secundám sic fatetur. Igitùr ad quæstionem de quantitate materiæ descendamus, distinguendum est de eius extremis, & vtrum versus magnitudinem detur maxima, & vtrum versus paruitatem detur maxima.

Et quidèm quantùm ad magnitudinem certa sit regula, tantam posse consecrari, quanta arbitrio humano iudicatur præsens. Posse inquam, vt Sacramentum sit validum; nàm de peccato pòst dicemus.

Probatur, quià de essentia Sacramenti, non est nisi panis, & vinum,& vt ratione pronominis sit præsentia. Hinc sequitur quandoquè consecrationem esse certam, quandoquè verò dubiam.

Certùm enim est, quòd si quis consecraret duos, aùt plures cophinos panis, quos haberet coram se, consecratio teneret. Itèm, vt ait in 4. loc. cit. D.Thomas certum est, quòd si quis vnica consecratione, consecrare intenderet omnes panes, qui sunt in Ciuitate, aut in foro, si esset ingens copia, quòd consecratio non teneret, quiá certùm est, illos panes non esse præsentes.

Quandoquè verò res potest esse dubia, an tanta multitudo dicatur esse præsens, & tùnc graue esset crimen illam materiam consecrare, nequè esset certum Sacramentum fuisse validum. Alia verò, quæ nos suprá firmauimus, confirmat ipse P.Sotus, omni claritate, breuitate, & non minùs distinctione, multæ aliæ quæstiones omittuntur à nobis, quiá speculatiuæ, & sic de his nil curandum.

SECTIO

SECTIO VI.

De forma Sacramenti SS. Eucharistiæ.

QVæres primò. Quænam sit forma huius Sacramenti? Respondetur esse illa verba. *Hoc est enim corpus meum*. Probatur ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. & hæc est forma, quæ fuit à Christo instituta, quando dixit. *Accipite, & manducate, Hoc est Corpus meum*. Ratio est, quià illa debet esse forma huius Sacramenti, qua significatur, & efficitur transubstantiatio panis in Corpus Christi, sed hoc significant verba descripta, & non alia, ergò, ità Doctor Angelicus 3.par.q.78.ar.2.

Dices, in forma debet exprimi actus ministri, sed in verbis iàm relatis, non exprimitur actus ministri; ergò relata verba, non videntur sufficiens forma? Respondetur cum Bonacina hìc. Quód exprimi debeat in hoc Sacramento actus ministri, negatur, quià huiusmódi Sacramentum non consistit in vsu, sed in esse permanenti, S.Thom. l.c. ar.1. ad tertium.

Instabis, an verba Canonis, tàm antecedentia, quàm subsequentia pertineant ad substantiam formæ? Respondetur; quòd non totus Canon fuit à Christo institutus, ad quem spectabat formas Sacramentorum præscribere; Patet ex illis verbis ab Euangelista prolatis. *Fregit, deditque Discipulis suis &c.*

Probatur insupér, quia Canon, aliquandò fuit auctus, & aliquandò diminutus, vt patet ex illis verbis. *Qui pridie, quàm pateretur*, quæ tempore Apostolorum minimè dicebantur, sed apposita fuere ab Alexandro III. formæ verò Sacramentorum sunt inuariabiles, est communis Doctorum sententia.

Minùsque particulà *enim* est de necessitate Sacramenti,

licèt ea vsus fuerit Christus, habetur ex cap. *Marthæ*, aliàs descripto, & ratio est, quià Euangelistæ communitèr illam omiserunt, quàm vtiquè apposuissent si intrinsecè pertinebat ad huiusmódi formam, similitèr; quià minimè variatur essentialitèr forma, licèt omittatur, omnes.

Firmandum tamèn est, quòd tàm particula *enim*, quàm reliqua Canonis verba, sunt de necessitate præcepti, & hinc est, quòd si voluntariè prætermittantur in notabili quantitate (qualis verè non esset omissio vnius, vél alterius verbi) foret peccatum mort.

De particula *enim* nonnulli apud Syluestrum affirmant esse lethale; sed veriùs dicendum est, solummodò esse veniale ob paruitatem materiæ; dummodò tamèn hoc ex contemptu minimè fiat, videatur Bonac. loc. cit.

Quæres hìc qualis nàm variatio reddat formam inualidam, & qualis non? Respondetur, quòd sola substantialis, & non accidentalis. Patet ex dictis de Sacramentis in communi, sed hìc solùm adnotamus, quòd forma substantialitèr mutatur, quandò verba, non retinent sensum, & significationem illius formæ à Christo institutæ. Accidentalis est, quandò licèt mutentur verba, adhùc tamèn, non variatur significatio, & sensus ipsius formæ, Doct. cit.

SECTIO VII.

De forma Consecrationis Sanguinis.

QVæres. Quænam sit forma Consecrationis Sanguinis? Respondetur, quòd circà huiusmódi quæsitum duæ extant opiniones: asserit enim prima, hanc formam solùm consistere in sequentibus verbis, nimirùm; *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*. Alia verò non esse de necessitate formæ, & præcepti.

Ratio est, quià sicuti forma corporis essentialitèr consistit

sistit in verbis. *Hoc est corpus meum*, ità paritèr forma sanguinis tota, & adequatè consistit in alijs verbis. *Hic est Calix Sanguinis mei*.

Nequè in hoc aliquid poterat à veritate esse alienum, quādoquidèm S. Euangelistę quędā ex subsequentibus verbis omiserunt, puta, *Mysterium Fidei*, & *aeterni*, quæ reuera si fuissent de necessitate Sacramenti, non omisissent.

Hæc verò sententia comprobari videtur, ex vetustissimis Græcorum liturgijs, & quòd Græci errauerint nonnulla verba omittentes temerarium hoc esset asserere; & fortiùs, quià in Conc. Florent. sub Eugenio IV. habito, non reperitur huiusmódi forma damnata, & alioqui intèr Græcos quam plurimos extitisse doctrina, & sanctitate præstantes & hac forma in sacrificio Missæ sempèr vtentes, & vsos esse, ita Bonacina disp. 4. q. 3. par. 1. n. 1. & alij quos citat, & sequitur Layman de Sanctiss. Eucharistia lib. 5. tract. 4. c. 3. num. 2.

Sed verior, & sana sententia est, vt tota proferatur forma, nimirùm. *Hic est calix sanguinis mei noui, & aeterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Diximus *veriorem, & sanam sententiam esse*, quandoquidèm omnia hæc verba sunt de substantia, seù de essentia formæ consecrationis Sanguinis Christi. Videatur Emin. Card. Capisucchus controu. 3. q. vnica in §. 21. qui in 2. §. pro confirmatione nostræ assertionis citat triginta vnum Doctores incipiens à D. Thomà 3. par. q. 78. ar. 3. in 4. sent. d. 8. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. 3. 4. & ad Annibaldum ar. 4. & in Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 6. vsque ad Petrum de Lorca; & subdit.

In §. Verò vltimo, omnia argumenta contrà Angelicum Doctorem inducta solidissimis rationibus resoluit, & tandèm in fine, hoc modo, discurrit. *Ex his autèm liquet veritas, & soliditas sententiæ D. Thomæ, & argumenta contrà illam plenè manent soluta. Nèc video illa validissima argumen-*

menta, quæ contra Diui Thomæ sententiam habere se dicit Cardinalis de Lugo. Immò cum aduersariorum argumenta facilè diluantur, vt constat ex dictis, & argumentis Diui Thomæ pro sua sententia aduersarij non satisfaciant, vt etiam ex dictis liquet (nàm aduersariorum rationes adduximus, & produximus) clarè apparet discrimen intèr sententiam D. Thomæ, & oppositam. Vndè, & Henricus de Gandauo loc. cit. & si in oppositam inclinet, solui tamèn facilè posse eiusdem oppositæ sententiæ augumenta, disertis verbis affirmat, eaque de facto resoluit, hactenùs Eminent. Capisucchus.

Quòd verò ad praxim pertinet, dicimus hanc secundam sententiam esse omninò sequendam, aliàs minister hujus Sacramenti peccaret mortalitèr, non solùm, quia exponeretur periculo irritandi Sacramentum, si totam præscriptam formã minimè proferret; verùm etiàm, quià faceret contrà Ecclesiasticum præceptum in re magni momenti. Quòd verò spectat ad verborum mutationem in hac forma, ac paritèr in alijs sacramentis, firmauimus iàm quandò egimus de eisdem in communi.

SECTIO VIII.

De effectibus vtriusque materiæ.

SVpponendum est, particulam *Hoc*, vèl *Hic*, in confuso significare contentum sub vtraque specie, ac idem sit dicere, *Hoc est corpus*, *Hic est calix*; quàm sit dicere, hoc, quòd sub speciebus panis, & vini continetur, est corpus, vel sanguis &c. primariò, & principalitèr. Secundariò respicere accidentia panis, & vini, quæ realitèr sensibus subijciuntur. S. Thom. in præsenti, his positis.

Quæres modò, quinàm sit effectus formæ, tàm panis, quàm vini? Respondetur, per formam panis, & vini, vti causam instrumentalem verè, realitèr, & substantialitèr,

verùm corpus, verumque Sanguinem Christi constitui, habetur ex Trid. sess. 13. cap. 1. ibi.

Principiò docet S. Synodus, & apertè, ac simplicitèr profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, pòst panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum, atque hominem verè, realitèr, ac substantialitèr sub specie illarum rerum sensibilium contineri &c. & Can. 1.

Si quis negauerit in Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realitèr, & substantialitèr corpus, & sanguinem, vnà cùm anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proindè totum Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

Probatur insupèr ratione, quià sacramentorum formæ infallibilitèr, quòd significant, efficiunt: sed vtraque forma significat realem præsentiam, tàm corporis, quàm sanguinis Christi sùb vtrisque speciebus; ergò ex vi verborum formæ sub eisdem speciebus, verùm ponitur corpus, & verus sanguis Christi, & cum respectu diuinæ potentiæ de hoc minimè possit dari implicantia; ergò hæc sententia contrà modernos hæreticos, de fide est tenenda.

Nèc omittendum est paritèr, firmare tanquàm de orthodoxa fide minimè ampliùs in huiusmòdi Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento terminata verborum formæ prolatione panis, & vini, substantiam permanere, habetur ex cap. *firmitèr de Summa Trinitate, & fide Catholica*, ibi.

Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extrà quam nullus omninò saluatur. In quam idem ipse Sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veracitèr continentur; transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quòd accepit ipse de nostro.

Christus igitùr in huiusmòdi Sacramento, non solùm est præsens secundùm totam suam substantiam, verùm etiàm secundùm totam suam quantitatem, & dimensionem, proùt

proùt est in Cælo, ità S. Thom. Scotus &c. & colligitur ex Trid. sess. cit. sub illis verbis. *Nèc enim hæc intèr se pugnant vt ipse Saluator noster sempèr ad dexteram Patris in Cælis assideat, iuxtà modum existendi naturalem &c.*

Diximus sub speciebus panis ex vi formæ, primò, & principalitèr poni Christi Corpus; reliqua verò minùs principalitèr adesse per concomitantiam, Trid. suprà cit. c. 3.

Probatur paritèr ratione, quià id principalitèr ponitur sub speciebus panis, quòd principalitèr significat eius forma; sed hæc principalitèr significat Christi Corpus, sanguinem verò minùs principalitèr; ergò corpus principalitèr, sanguis verò per concomitantiam ponitur sub accidentibus panis.

Immò Suarez in præsenti, idem docet de speciebus vini, in quibus ex vi verborum ponitur sanguis; corpus verò, & non minùs reliqua, sinè quibus vllo modò equidèm sanguis esse minimè potest, per concomitantiam.

Quòd spectat ad modum, quo Christus extát sub speciebus panis, & vini, dicimus, quòd si species sint diuersæ, aut intèr se diuisæ, totus Christus existit sub singulis partibus; puta, si fuerint duæ hostiæ in diuersis Altaribus, vel plures particulæ in eodem Altari, vnius formæ prolatione iàm consecratæ, vel si adsit vna hostia in plures partes diuisa.

Certum enim est, quòd in omnibus, & singulis specierum partibus, tali modo, diuisis totus existit Christus, ità Trid. cit. dicens, *sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri*. Immò ex eodem Concilio colligitur, *totum esse Christum sub singulis partibus simùl vnitis specierum*.

Ratio Catholica est, quià facta huiusmódi hostiæ (vt supponimus) diuisione, Christus Dominus noster reperitur in singulis eius partibus; ergò etiam aderat Christus antè diuisionem sub illis partibus, fortiùs, & euidentiùs, quià à diuisione consecratio minimè mutatur.

Dici-

Dicimus vltimò, quòd si aliquando fieri contingat aliquam panis, & vini mutationem, puta, si in hostia consecrata, vera appareat caro, aut verus sanguis in speciebus panis, & vini, tùnc, & eo casu, sub tali forma apparente, Sacerdos minimè tenetur sumere, vel manducare.

Ratio est, quià Christus præcepit Eucharistiam manducari, & potari sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, minimè verò sub speciebus carnis, & sanguinis apparentis. At si aliqua pars immutata remaneat, illa sumi, & manducari debet, vt Missæ sacrificium perfectè absoluatur, sin minùs nihil supersit, non erit iterùm consecrandum, ita S.Thom. Syluester tamén, & Suarez opponuntur S.Antonino asserenti iterùm esse sub præcepto consecrandum.

SECTIO IX.

De Sanctiss. Eucharistiæ effectibus.

QVæres, quotnàm sint huiusmódi Sacramenti effectus, quos ipsum operatur in anima? Respondetur, quinque intèr aliòs enumerari. Primus, est augmentum gratiæ, ità Trid. sess. cit. c.2. per totum, & Can. 5. ibi. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctiss. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.*

Probatur, quià, omnia Sacramenta, vel conferunt primam, vel secundam gratiam, idest, augmentum ipsius, sed Eucharistia ex natura, primò, & principalitèr, imò ex sua institutione, non potest conferre primam gratiam. Ergò primó, & principalitèr, immò ex sua institutione, confert secundam, idést, illam auget *ex opere operato*.

Probatur insupèr, quiá SS. Eucharistia fuit à Christo instituta, per modum cibi, & potus corporalis; sed cibus ordina-

ordinatur ad vitam conseruandam, & vires augendas; ergò Eucharistia saltèm quoàd suum finem, fuit ordinata tanquàm ad conseruandam vitam spiritualem animæ, per gratiam, ac eandem augendam, omnes.

Secundus est, conferre actualem gratiam, & speciale auxilium ad euitanda peccata. Excitando in anima deuotionem, & spiritualem feruorem, vt ipsa abstineat à culpis: ità S. Thom. híc, & habetur Ioannis 6. ibi; *Hic est panis de Cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.*

Non mori autèm est, præseruari à mortalibus, quæ mortem animæ inferunt, dicit Bonacina in præsenti. Sed clariùs Trid. sess. cit. c. 2. ibi: *Qui manducat me, & ipse viuet proptèr me, & tanquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Dummodò dignè recipiatur, & idem omnes testantur Doctores.

Tertius effectus est, venialium remissio, quam huiusmòdi Sacramentum operatur, vti sentire videtur Trid. suprà cit. *Quo* scilicèt *Sacramento liberamur à quotidianis culpis &c.* Sed hoc intelligendum est, vt ait hìc Bonacina, modò minimè adsit ipsorum complacentia, aùt in eadem receptione, non committantur.

Ratio est, quià, complacentia venialium peccatorum refrigerat animam circà charitatem, & impedit spiritualem dulcedinem, quę ex huiusmòdi Sacramento habetur, quandoquidèm impossibile sit, aliquem liberari ab illis culpis, quæ tùnc, & in tali actu committuntur; ità Ang. Doctor 3. p. q. 79. ar. 1. & 2. Vide Trid. sess. 23. cap. 1. & can. 1.

Instabis per Sacramentum Eucharistię remittuntur peccata venialia *ex opere operato*, an verò *ex opere operantis*? Respondet Bonacina hìc affirmatiuè, *ex opere* nimirùm, *operato*, quia Trid. loc. cit. dicit, quòd remissio venialium ponitur, vti proprius effectus huius Sacramenti, & cum Sacramenta producant gratiam, siuè suos effectus. Hinc est, quòd Eucharistia remittit venialia *ex opere operato*.

Non-

Nonnulli verò existimant huiusmòdi Sacramentum remittere venialia mediatè, excitando, nimirùm, actus veræ dilectionis Dei, per quos ipsa venialia condonantur, & non minùs restituendo feruorem charitatis, cuius priuationē inducit peccatum veniale; sed firmandum est, cum Trid. loc. cit. per Eucharistiam remitti venialia mediatè etiàm *ex opere operato*, excitando prædictos actus.

An veró Sacramenta, quæ fuerunt à Christo Domino nostro instituta ad conferendam primam gratiam, possint conferre secundam? & an Sacramenta, quæ fuerunt instituta ad conferendam secundam, possint causare primam? Respondebimus, cum de Sacramento pœnitentiæ erimus acturi; & non minùs in hoc quinto effectu dicemus.

Quartus effectus est, remissio pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ, quæ minimè directè *ex opere operato* dimittitur, vt Baptismus præstat; sed indirectè, excitando, nimirùm, in nobis actum charitatis, cui posteà remissio pœnæ Purgatorij sibi proportionalitèr correspōdet S. Thom. cit.

Ex dictis colligi poterit, quòd actus suscipiendi SS. Eucharistiam, quem quis affert pro animabus in flammis Purgatorij existentibus, eisdem solummodò prodest *ex opere operantis*, idèst, vti actus virtuosus pœnalis, cui de congruo debetur; minimè verò *ex opere operato*.

Quintus, & vltimus effectus est, remissio lethalis culpæ; sed indirectè, & per accidens, vt alias diximus, sit exemplum. Titius existens in peccato mortali néc directé, neque indirectè remisso per Sacramentum pœnitentiæ, vt supponimus, de quo inculpabilitèr minimé recordatur, de omnibus suis peccatis in confuso requisitum dolorem habens, recipit SS. Eucharistiàm.

Túnc, bona fide communicans, vtiqué etiam illius peccati mortalis, non adhuc dimissi remissionem consequetur; non eò, quià huiusmòdi Sacramentum fuerit primarió, & principalitèr ad delendum lethale peccatum à

Chriſto Domino noſtro inſtitutum. Immò potiùs ad præſtandum augmentum gratiæ, quód eſt ſecundarius, & minùs principalis huius Sacramenti effectus.

Sed ampliùs, quià Titius verè coràm Deo iuſtificatur, & hoc contingit eò, quià omnia Sacramenta faciunt ex attrito contritum, dummodò in eorum ſuſceptione obex minimè ponatur, quòd ſupponimus, non fuiſſe in Titio, & cum èx communi Doctorum ſententia nouæ legis Sacramenta, hoc non careāt priuilegio: peculiari igitùr, & patenti ratione id dici debet de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

In hoc enim (vt canit S.M. Eccleſia) *Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*, cum panis verè de Cælo deſcendens ſit, ac non minùs, fons vitæ ſpiritualis, qui mediantè eius gratia, mortuos ſpiritualitèr certiſſimè viuificare poteſt, eſt Angelici Doctoris ſententia, quàm omnes Theologi, iure optimo, ſequuntur.

Si verò quæras, quo tempore huiuſmòdi effectus Sanctiſs. Euchariſtia conferat? Reſpondetur, quòd tria tempora conſiderari poſſunt. Primùm tempus eſt ipſius actualis ſumptionis. Secundùm, durationis ſpecierum in ſtomacho. Tertium deniquè reliquum tempus pòſt eaſdem conſumptas ſpecies, his poſitis.

Dicimus, quòd ſpectat ad primarium effectum augmenti gratiæ, & recipiendi etiàm ſuperiùs effectus enumeratos, & quòd paritèr dicatur hoc Sacramentum eoſdem operari, neceſſarium eſt in ſtomacho particulam conſecratam tranſmittere, & hoc verùm ſit dicere, modò hoſtia ſit deglutita, & vinum conſecratum, potatum paritèr ſit.

Ratio eſt, quià Euchariſtia minimè ſuos confert effectus, niſi fuerit ipſi recipienti de facto applicata. Nèc dici debet, quòd fuerit applicata, niſi realitèr, & cum effectu in ſuis ſpeciebus deglutiatur, iuxtà illud Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,*

non

non habebitis vitam in vobis; ergò, hoc Sacramentum suos operatur effectus, quandò verè hoc Sacramentum dici posset fuisse comestum, vel saltèm potatum.

Addimus insupèr, huiusmódi Sacramentum per modum nutritionis gratiam conferre, vt pluriès diximus; sed cibus nutrit tempore, quo in stomachum transmittitur; ergò Eucharistia in eo instanti confert, in quo verùm sit dicere, hìc, & nùnc deglutitus sit cibus, & similitèr potus, huiusmòdi sententia, quam plurimis est fulcita Doctoribus, vt videre est apud Bonacin. disp. 4. q. 4. p. 2. n. 1.

Sed videamus quidnam firmauerit per totam distinctionem 12. q. 2. ar. 1. Pater Sotus in 4. sententiarum; quem quidèm articulum pro tyronibus esse necessarium de verbo ad verbum hìc existimamus esse apponendum, asserit enim ipse, his sequentibus verbis, nimirùm.

Cùm definitum sit; ad perfectionem Sacramenti pertinere, vt Sacerdotes corpus, & sanguinem sumant, accommodè quæritur, vtrum in hoc Christi exemplum imitentur. Haud enim defuerunt, qui dicerent Christum, corpus quidèm suum dedisse Discipulis, non tamèn sumpsisse. Contrà quos statuitur Conclusio. Christus primò proprium Corpus consecrauit, & sumpsit, ac deindè discipulis sumendum tradidit.

Probatur primò authoritate Hieronymi in Epistola ad Hedibiam q. 2. quæ refertur Cap. *Nèc Moyses de consecrat.* d. 2. dicentis, Dominus Iesus Christus ipse conuiua, & conuiuium ipse comedens, &, qui comeditur. Secundò confirmatur ratione: Christus enim, vt legitur Actuum 1. *Cæpit facere, & docere* ea, quæ ab alijs obseruanda instituit primitùs obseruauit. Vndè priusquàm suum instituerit baptismum, baptizari voluit.

Cum ergò Sacerdotibus, vt dictum est, iusserit hæc facere in sui commemorationem, scilicèt, consecrare, & sumere, sequitur, vt ipse priùs fecerit. Adijcitur ex glossa supèr illud Ruth. 3. *Cum comedisset, & bibisset,* qui ait, quòd

Chriſtus comedit,& bibit in Cęna,cum corporis,& ſanguinis ſui Sacramentum Diſcipulis tradidit. Vndè quià pueri communicauerunt de carne, & ſanguine, ipſe participauit eiſdem.

Lutherus,nè quid relinqueret, quòd non peruerteret, in illo ſuo pudendo libello de abroganda Miſſa priuata,hanc veritatem abnegat, dicens Chriſtum minimè ſe ipſum ſumpſiſſe. Quo circà collectionem hanc D. Thom. retrouertit. Ex hoc enim, quòd Sacerdotes ſumunt, colligimus nos, Chriſtum ſumpſiſſe. Ipſe verò dicens Chriſtum non ſe ipſum ſumpſiſſe, colligit, quòd nequè Sacerdotes debent ſumere, ſed populo vtramque ſpeciem miniſtrare, vbi conſecrantes deterioris in hoc facit conditionis.

Contrà eum diſputat Iodocus lib.2. de officio Miſſæ cap.21. & quòd Sacerdotes debeant ſumere, multis Eccleſiæ Canonibus conſtitutum eſt, quibus ſubindè ipſe dè hæreſi condemnatur. Eſt enim *Conc.Toletanum* modò citatum *Can. Relatum*. Vbi probatur, quòd ſi Sacrificantes non edūt,rei ſunt Dominici Sacramenti per illud, 1.Corinth.10. *Nonnè, qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris?* Nàm ſi participare hoſtias, eſt ipſas edere,& Sacrificantes potiſſimùm ſunt participes, vt ipſi primùm edere debeant. Quarè Sacerdos,non ſumens vno anno,à communionis gratia,repellitur. Idem conſtituit Gelaſius in cit. *Can.Comperimus*.

Et reuerà, ſi Sacerdotes non debent ſumere, inferiores eſſent Sacerdotibus veteris legis, qui, vt Leuit.6. & 7. legitur, *priùs de ſacrificijs ipſi ſumebant, quàm populo impartirent*. Qua proptèr licèt id falsò admitteretur, quòd Chriſtus proprium corpus non ſumpſerit, iniqua nihilominùs eſſet collectio ad Sacerdotes, quià Chriſtus nulla indigebat ſacramentali gratia, vt Sacerdotes, qui ideò priuandi non erant. At quòd, & Chriſtus ſumpſerit, quòd alijs tradidit, licèt non ſit in Euangelio expreſſum; ſunt tamèn, prætèr Euangelicas coniecturas, probatiſſimi Authores id affirmantes.

Fuit

Fuit enim huius figura Dauid, qui, vt legitur 1. Reg. cap. 21. *coram Achis Rege Geth suis se manibus referebat*: Sic enim Christus, & suum corpus suis tenebat manibus, & suo sumebat ore. Vna autèm argutiuncula posset forsàn scrupulum inijcere, si quis quærat, vtrum quandò dixit; *Accipite, & comedite*, ipse comederat, an minimè. Si enim dixeris comedisse, stat contrà, quòd non ipsum tùnc consecrauerat: nàm per subiuncta verba. *Hoc est corpus meum*, consecrauit. Si verò nondùm comederat, apparet non priùs quàm Discipuli comedisse; nàm porrigens eis dixit: *Hoc est Corpus meum*.

Verùtamèn facilè hoc per ea, quę suprà diximus, soluitur, videlicèt, quòd priùs in tredecim buccellas panem fregerit, quas cum simùl haberet in disco, quem manibus tenebat dixit. *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum*, suam præsùmens buccellam faciebat enim cum illis conuiuium, & ratio conuiuij exposcit, vt inuitans cum conuiuis conuescatur. Id, quòd, & testimonium eiusdem Euangelii planè confirmat, ait enim, *desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*. Quasi dicat, vt ego ipse, & vos simùl illud manducaremus, & rursùs, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum vobiscum in Regno Patris mei* vbi denotatur tùnc bibisse.

Vndè præter authoritates Hieronymi, & Glossæ citat. est Chrisost. homil. 83. supèr illud Matt. 26. *Bibite ex hoc omnes*, vbi secundam subdit rationem dicens: *Bibit ex eo*, vt audientes hoc non dicerent. *Quid sanguinem bibo, & Carnem manduco*? vt enim non turbarentur, sicùt turbati fuerunt, quandò multi abierunt retrò, priùs sanguinem suum bibit! Et Isychius egrègius author supèr illud Leuit. 8. *Cumquè de arietis &c.* Primùm inquit, Sacerdos, deindè filij eius sanguine fungebantur, quià Christus in Cœna priùs sanguinem accepit, deindè discipulis dedit.

Primum argumentum S. Thomæ cum hæreticorum genuinum, & Luthero vbiquè in perniciem Ecclesiæ vsurpa-

tissimum. De factis Christi, & dictis nihil afferi debet, quòd non sit in Sacra Scriptura traditum. in Euangelijs autèm non legitur, Christum suum corpus, aut sanguinem sumpsisse: ergò non est asserendum.

Respondet D.Thom. quòd licèt hoc non legatur expressè; legitur tamèn, quòd accepit panem, & sanguinem, quòd quidèm licèt intelligatur manibus, vt Ecclesia refert; non tamèn est credendendum, quòd acceperit solis manibus, vt hæretici credunt; imò accepit, vt discipulis accipiendum tradidit.

Cum ergò illis dixerit. *Accipite, & comedite, & bibite*, indè colligitur, se eodem etiam modò, scilicèt, ore accepisse. Vndè quidam metricè dixerunt. *Rex sedet in Cœna turba cinctus duodena, se tenet in manibus, se cibat ipse cibus*.

Secundò arguitur. Nihil potest esse in se ipso, nisi forsàn ratione partium prout vna est in alia, vt 4. Phys. habetur, sed illud, quòd manducatur, & bibitur est in ore, & stomacho manducantis, & bibentis. Cum igitur Christus sit sub vtraque specie, impossibile videtur, vt Sacramentum sumpserit. Alij sic faciunt argumentum; intèr sumentem, & sumptum debet esse diuisio; Christus non est à se diuisus, ergó non potuit se sumere.

Respondetur, quòd Christus, vt suprà dictum est, in Sacramento non comparatur ad locum per proprias dimensiones; sed per dimensiones specierum, vt vbicunque sint ipsæ, sit eius corpus, & sanguis. Vndè quià species potuit habere in ore, & stomacho ad comestionem earum comedit seipsum. Quarè ad hoc non requiritur diuisio intèr sumentem, & sumptum, sed quòd diuersimodè ponatur in diuersis locis. Quarè si localitèr, vt est in Cœlo, poneretur in alio loco sibi proximo, non posset suum corpus edere.

Tertiò arguitur. Duplex est manducatio Sacramenti, scilicèt, spiritualis, & sacramentalis; spiritualis autèm non competebat Christo, vtpotè, qui nihil gratiæ, per Sacramen-

cramentum accepit: Sacramentalis verò, nuda est imperfecta solis peccatoribus propria: ergò neutro modo Christus Sacramentum sumpsit. Alex. Alensis 4.p.q.44.membr.2. refert quosdam proptèr hoc argumentum dicentes, Christum se manducasse singulari modo, nèc tamèn spiritualitèr, nèc sacramentalitèr: ipse autèm priùs censet, quod manducauit se sacramentalitèr, sed non spiritualitèr, sed posteà vergit in solutionem S.Thom. quæ est tanquàm legitima amplectenda, videlicèt, quód manducauit se, & spiritualitèr, & sacramentalitèr.

Tamètsi nullum aùt gratiæ, aùt charitatis augmentum tùnc susceperit, quià nullius egebat; sumpsit tamèn spiritualem gustum, & delectationis suauitatem, & dulcedinem, quæ, vt suprà diximus; sunt etiàm effectus huius Sacramenti. Id, quòd patet ex illo Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Quód Eusebius Emissenus de hoc mysterio noui Testamenti interpretatur. Desiderium namque illud testis erat spiritualis letitiæ. Quòd autèm sumpserit sacramentalitèr non est dubium, postquàm sumpsit corpus suum sub Sacramento. At verò sumi sacramentalitèr, sinè augmento gratiæ accidit ex eo, quòd sumens, non est capax gratiæ. Hoc autèm contingit duplicitèr, aùt, quià opponit illi obicem, vt peccator, aùt, quià sit gratia plenùs, vt augmentum recipere nequeat, vt Christus: hactenus Sotus.

Sed quoniàm ex iàm scriptis Patris Soti, minimè habetur, quandònàm Sanctiss. Eucharistia cõferat, gratiam dùm hostia consecrata retinetur in ore, & dentibus masticatur, etiam si species sacramentales sint corruptæ priùs quàm deglutiantur, cum non dicatur Christum manducari iuxtà illud Ioan.6. *Qui manducat me, & ipse viuet proptèr me.*

In quacunque verò minima parte hostiæ consecratæ in stomachum transmissæ, quamùis reliquæ non manducentur, vel ob Sacerdotis obitum, vel proptèr vomitum suscipientis; adhùc totum huiusmòdi Sacramenti effectum con-

conferri: Ratio est, quià Christus est totus in toto; & totus in qualibet parte totius, & consequentèr extat in singulis hostiæ consecratæ partibus, ità Bonacina in præsenti cum alijs.

Qui verò miraculosè recipit hostiam in stomacho non eam deglutiendo, & nèc per guttur transmittendo in ventriculum, improbabile minimè videtur de lege ordinaria huiusmòdi Sacramenti effectum non consequturum, quamuis aliundè possit Deus (qui in conferenda gratia nulli legi, & medio est alligatus) in recipiente totum operari effectum, vt de facto accidisse creditur in proposito casu.

Dicimus tamèn, quòd percepto Christi corpore, & in stomacho perseuerantibus speciebus, probabiliùs est huiusmòdi suscipientem non consequuturum maiorem gratiam *ex opere operato*, quandò hoc percipitur, vt diximus, sed cum primùm in stomachum fuerint species sacramentales transmissæ, non verò collationis, poterit tamèn tempore sequenti, dùm ipsæ durant, sed tùnc *ex opere operantis* gratia augmentatur, ità hìc S. Thomas, vbi suprà, cum alijs eumdem sequentibus.

Et tandèm firmamus, quòd postquàm species fuerint consumptæ, recipiens Sanctiss. Eucharistiam actuale acquirit auxilium ad diabolicas superandas tentationes, quæ possunt insurgere pòst communionem, ac etiàm paritèr ad consequendam venialium remissionem, excitatus siquidèm ex perceptione huius Sacramenti. Imò poterit se exercere in aliquo bono, & pio motu maioris deuotionis, reprimendo paritèr fomitem peccati, vt docent multi Doctores.

SECTIO

SECTIO X.

De suscipiente, Eucharistiam eiusque praeceptis.

QVæres quinam sint huiusmòdi Sacramenti capaces? Respondetur esse omnes homines baptizatos. Probatur ex verbis Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem, &c.* sèd cum solum dictum fuerit viatoribus, idcircò fuerunt exclusi omnes Angeli. Quòd autém requiratur Baptismus, patet, quià, ipse est ianua omnium Sacramentorum.

Sèd quid si absque Baptismo quis communicetur? Respondetur solummodò reciperet materialitèr Sacramentum, minimè tamèn ipsius virtutem, & gratiam, qualenàm peccatum committat, sacrilegium vtiquè erit immanissimum, ac omni pæna temporali, & æterna dignum. vide Bonac. discp. 4.q.6.p.1.n.1. quià apùd ipsum quamplurima scitu necessaria reperies.

Prætereundum minimè erit. quòd licèt omnes baptizati de Ecclesiæ consuetudine sint SS. Eucharistiæ capaces huiusmòdi conclusio intelligitur de adultis, & vsu rationis minimè carentibus, vt meliùs dicemus infrà.

Probatur, quià etsi infantes, non fuerint ex se incapaces, & indigni tanto fructu, & effectu tàm in Græca, quàm in Latina Ecclesia, & antiquitùs eisdē SS. Eucharistia administrabatur, vt hìc testautr Fillinccius: ad præsens tamèn contraria extat consuetudo, & vsus ipsius Ecclesiæ patet ex Cap. *omnis vtriusq; sexus de pænit, & remis.* dùm minimè pueris Eucharistia conceditur, nisi à decennio, vsquè ad decimum quartum annum, nèc vltrà tale tempus erit differendum, de quorum iudicio à Parochis erit omni vigilantia, & solicitudine hoc aduertendum, & resoluendum, & non minùs tali oneri sedulò parentes puerorum incumbant, nèc Confessarij eorumdem de huiusmòdi omissione excusabuntur Nauar.

Quoàd suscipientes SS. Eucharistiam dicimus, quòd non solùm requiritur, vt vsu rationis minimè careant, verùm etiàm, vt tanti Sacramenti sint capaces. Nèc admittantur perpetuó amentes; etiàm constituti in mortis articulo, idemque firmamus de non habentibus septennium completum, vt docet Trid. sess. 21. cap. 4. ibi.

Deniquè eadem S. Synodus docet, paruulos vsu rationis carentes nulla obligare necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem, siquidèm per Baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iàm filiorum Dei gratiam, illa ætate amittere non possunt. Nequè ideò tamèn damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando seruauit, vt enim ss. illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ità certè eos nulla salutis necessitate, id fecisse sine controuersiâ credendum est, & Can. 4. ibi.

Si quis dixerit, paruulis, antequam ad annos discretionis peruenirent, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.

Diximus *vsu rationis carentes, perpetuò amentes, & paruulos minimè septennium habentes*, quandoquidèm in his, & similibus, positis cicumstantijs, omninò ob tanti augustissimi Sacramenti reuerentiam ipsis erit deneganda Sanctissima Eucharistia; quià hoc tempore nulliùs præcepti, nec Ecclesiastici, nequè diuini sunt capaces. ita S. Thom. q. 80. art. 9. & colligitur ex Rituali Romano B. Pij V. de Sacram. Euch: regul. pęnult.

Diximus, *ministrari pueris Eucharistiam pòst decimum, & antè decimum quartum annum*, quià est consuetudo legitimè approbata ab Episcopis, & Parochis, & consequentèr vim legis latæ habere videtur. Nonnulli Authores firmant pueros huius Sacramenti esse capaces, cum primùm cognouerint peccatum mor., quod contingit completo septennio: Ratio ipsorum est; quià si per culpas lethales efficiuntur rei, antidotis spiritualibus, Sacramentis nimirùm pœnitentiæ, & communionis ab illis liberari tenentur.

Séd

Sèd fortiùs; quià maior dispositio, capacitas, perfectiorque vsus rationis requitur in Sacramento pænitentiæ, quàm SS. Eucharistiæ; si igitùr pòst septennium pueri tenentur ad primam; ergò multò magis ad secundum. hæc nostra sententia aliquandò inseruire poterit pro rescecandis Confessariorum scrupulis, cum pueros communicare antè decennium, completo tamèn septennio, vt diximus, curauerint.

Ex præsenti occasione nobis oblata dicimus, quòd omnes curam animarum gerentes, vt laudabilitèr suum officium exequi valeant, in mortis articulo, pueros pòst septennium nondùm completo decennio, communicent, & nè Parochis importabilia imponamus onera, fatemur hoc esse intelligendum, si pueri fuerint doli capaces, vt plurimùm esse solent: quià, in huiusmodi statu, ipsi licèt non ex præcepto Ecclesiastico; ex diuino tamèn communicare tenentur.

Diximus insuper, *perpetuò a mentes non esse capaces SS. Eucharistiæ*, vt non eos excludamus, qui tales perpetuò minimé existunt; sed potiùs accidentalitér in phrenitidem (quæ mentem fædit, & ad insaniam, furoremque perducit) incidunt, vt sæpissimé accidere solet febricitantibus, de quibus est communis opinio, quòd si extaret mortis periculum, dummodò non sint notorij excommunicati, nequé publici peccatores (quod vix, vt ait Sotus, occurrere potest) eisdem erit administranda SS. Eucharistia, licét cum priùs sanæ mentis essent, confessi non fuerint, vel SS. Eucharistiam, aùt Confessionem minimé petierint, quià hoc ipso, quòd non habentur peccatores, hoc Sacramento digni præsumi debent.

Idemque à fortiori dicendum est de phreniticis tempore sanæ mentis confessis, vel saltém confessiones, aùt communionem petentibus, siué dantibus aliqua contritionis signa, qui absque scrupulo communicari possunt, licét in tali statu existant; dummodò minimé sit periculum ex

puitionis, aùt alterius grauis irreuerentiæ in Sacramentum. Quòd si hæc verisimilitér timeantur nullo modo, erunt communicandi; séd potiùs tanti Augustissimi Sacramenti præferenda erit reuerentia.

Dicimus deniquè nequè huius Sacramenti incapaces remanere energumenos, siuè à spiritibus immundis vexatos, ac reos ad mortem damnatos, quibus pridié quàm mori debeant, tribus, aùt quatuòr horis antè Iudex sub mortali communicandi commodam facultatem concedere debet; aliàs contrá charitatem ageret eos tanto fructu priuans, & maximé, quià ex probabili sententia, ex præcepto diuino in huiusmòdi circumstantijs communicare tenentur, ità S. Thom. hìc.

Quæres an SS. Eucharistia, & vinum consecratum, idèst, sub vtraque specie sit administranda? Respondetur, quòd licét sacra communio sub vtraque specie minimé sit ex se mala, nihilominus, hoc vetitum fuit ab Ecclesia, & ad præsens prohibitum est laicis sub eisdem speciebus communicare. Nequé id facere possent Sacerdotes extra Missæ celebrationem, ità Trid. sess. 21. Can. 2. ibi *Si quis dixerit S. Ecclesiam Catholicam, non iustis causis, & rationibus, adductam fuisse, vt laicos, atquè etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicare, aùt in eo errasse anathema sit*.

Instabis, An SS. Eucharistia, cæteris paribus, æqualem gratiam conferat tàm sub vna, quàm sub vtraque specie sumpta? Respondetur, quòd tàm in vna, quàm in altera specie, totus continetur Christus, vt aliàs firmauimus, & oppositum est contra Tridentinum sess. 13. can. 3. ibi.

Si quis negauerint in Ven. Sacramento Ecclesiæ, sub vtraquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. Vndé cæteris paribus eadem gratia recipitur in sumptione vnius, ac vtriusque speciei.

SE-

SECTIO XI.

De Dispositionibus requisitis ad SS. Eucharistiam digne suscipiendam.

QVæres, quænã dispositio ex parte animæ requiratur? Respondetur, suscipientem SS. Euchariſtiam minimé esse debere conscium peccati mortalis, quandoquidém cum huiusmodi lethali culpa communicare magna irreuerentia huic Sacramento irrogaretur, quià est Sacramentum viuorum, & requirit munditiem in anima, vt gratiam acquirat ità S. Thom. hìc cum alijs communitér, & habetur 1. Corinth. 11. *Probet autèm seipsum homo, &c.*

Diçes est né præceptum diuinum affirmatiuum anté SS. Communionem Confessionem præmittere quando suscipiens est certus, vel saltèm dubius, an existat in peccato mortali? Respondetur, cum Trid. sess. cit. can. 11. ibi. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem preparationem ad sumendum* SS. *Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit*, & sequitur idem Tridentinum.

Et, nè tantùm Sacramentum indignè, atquè ideò in mortem, & *condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiàm se contritos existiment, habita copia Confessarij, necessariò premittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autèm contrarium docere, prędicare, vèl pertinacitèr asserere, seù etiàm publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Colligitur tamén ex dictis, quòd licét hoc præceptum sit affirmatiuum, nõ sempér est intelligendum obligari fideles ad illud seruandum; séd solúm quando commodé possunt nàm vrgente necessitate communicandi, & non habita paritér copia Confessarij possunt siné præmissione Confessionis communicare, elicito priùs actu contritionis, habe-

habetur expreſſe ex Trid. ſeſſ. tit. cap, 7. ibi.

Quarè communicare volenti, reuocandum eſt in memoriam eius præceptum. Probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autèm conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quãtum vis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quòd à Chriſtianis omnibus, etiàm ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit erit celebrare. Hęc S. Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modo non deſit illis copia Confeſſoris, quòd ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque pręuia confeſſione celebrauerit, quam primùm confiteatur.

Ex quibus Verbis adhùc duo neceſſariò colliguntur, vt licitum ſit abſque Sacramentali Confeſſione SS. Euchariſtiam ſumere. Primúm, quòd minimé adſit copia Confeſſarij. Secundùm verò, quòd veré vrgeat communicandi neceſſitas, vt probat. Card. de Lugo tract. de Euch. diſp. 14. ſect. 5 num. 81.

Ex præmiſſis igitùr dicimus, quòd ſi aliquando Laicus, vnà cum alijs in menſa Euchariſtica exiſtat, & peccati mortalis in vltima Confeſſione omiſſi (inculpabilitér tamèn) recordetur, minimè ab ea diſcedere obligatur, & conſequentér Confeſſarium adire, quandoquidém aliquam incurreret notam; maximè ſi leuis, & parui momenti foret.

Ratio eſt, quià in huiuſmodi circumſtantia moralitèr dicì poterit, copia Confeſſarij carere, & communicandi adſit neceſſitas, & cum aliundè peccatum indirectè fuerit remiſſum, recipiens SS. Euchariſtiam minimè peccaret: At ſi in eo caſu, actum contritionis eliceret abundè faceret. Sed neceſſarium non videtur. Bonacina hìc cum alijs communitér.

Addimus inſupér, aliquem poſſe communicare adhuc etiam habentem conſcientiam peccati mortalis, in ſequentibus caſibus, (concurrenté tamén neceſſitate, & Confeſſarij inopia) Primò, quando licèt adſit Sacerdos, tamén non ſit Confeſſariùs appobatus, Secundò, quòd ſit approbatus, ſéd prudentèr dubitatur de fractione ſigilli Sacramen-

talis,

talis, vel saltem ruinæ animarùm, Cõfessarij, vel pænitentis.

Et tunc si adsit periculum de reuelatione omnium peccatorum, tota relinquatur cõfessio; si verò hoc erit respectu aliquorũ, illa solummodò erunt in Confessione reticenda, de quibus prudentér dubitatur. Tertiò tandém est quandò quis sine infamia (dummodò sit grauis) confiteri nequeat.

Minús tenetur Sacerdos confessionem præmittere si ad altare peruentus culpæ lethalis recordetur, dummodò, vt diximus, possit sine sua nota, & adstantium scandalo ab altari discedere. Similitér quandò quis ex officio celebrare tenetur, vt passim contingere potest in Oppidis, in quibus vnus extaret Parochus, néc facilé reperitur alius Sacerdos, qui pro eo vices gerat, nàm in tali casu Parochus copia Confessarij diceretur carere.

Limitatur tamén hæc prænotata conclusio à Soto hìc, quòd minimè licet, nisi bis, aùt saltém tér. Vndé tenetur Parochus Confessarium absentem adire, ac eidem confiteri peccata, nec minus id procedit, quandò post vnum sacrùm de præcepto tres, vel quatuòr mediant dies, in quibus Parochus ex officio sacrum non obligatur perficere, quià tùnc est præmittenda Confessio, præsertìm si ex præmissis celebrans occasionem sumeret libentiùs peccandi.

Hæc limitatio videtur habere probabile fundamentum, quandoquidém in tali contingentia Parochus non censetur copia Confessarij carere imò cum suo incommodò tenetur illum adire, néc sit morosus, vt aliqui malé faciunt expectando per quindecim dies, quòd peius est, aliquandò per integrum mensem nimis grauati peccatis, in quæ frequentér relabuntur ob confessionis dilationem, quòd minimé fieri potest absque culpa lethali, nisi à bona fide excusaretur, quæ in Parochis non est concedenda.

Sed petes, quando nàm dici possit Celebrantem confessario carere? Respondetur Doctores in hoc esse in magno discrimine. Aliqui volunt, quòd à suo proprio loco abesse debet per tria milliaria: Corduba verò hoc modo fatetur.

Non

Non tenetur Sacerdos quotidiè ire ad quærendum Confessarium; & ità poteſt ſine confeſſione contritus, vno aùt fortè duobus diebus feſtis, non tamèn pluribus celebrare.

Limitatur tamèn huiuſmodi caſus à filliucci in Sacerdote celebraturo, vrgente aliqua neceſſitate, quãdoquidèm in Sacerdote pro ſua deuotione celebrante, reſolutio prædicta minimè videtur procedere, cum iſte omninò teneatur, vel confeſſionem Sacramentalem præmittere, vèl saltém, quòd melius eſſet, à ſacrificio Miſſæ prorsùs abſtinere.

Inſtabis, quidnam ſit dicendum de habente caſus reſeruatos, eſſet ne cenſendus copia Confeſſarij carere quandoquidèm exiſtente in oppido, in quò nonniſi vnus adeſſet Confeſſarius ſimplex, & conſequentèr à reſeruatis minimè poſſet abſoluere?

Reſpondetur, quòd ſi iſte aliud non habeat peccatum, niſi reſeruatum, proculdubiò tùnc diceretur copia Confeſſarij carere; nàm Confeſſarium habere non habentem facultatem penitentem abſoluendi idem eſt, ac ſi non haberet, vèl ſaltém paria eſſe, vt dicit Card. de Lugo loc. cit. num. 97.

Secùs verò dicendum eſt, ſi pænitens vnà cum reſeruatis, alia non reſeruata haberet: nàm in huiuſmòdi caſu, probabile eſt pænitentem non teneri ad confeſſionem; ſéd actum contritionis elicere poſſe, & poſteà communicare.

Ratio eſt, quià alioquin pænitens teneretur bis peccata reſeruata confiteri, quòd eſt nimis graue, & intolerabile pondus, quòd ab omnibus huiuſmodi onus minime admittitur.

In praxi tamèn eſt ſempèr ſeruandum, quòd nunquàm pænitens coarctatur ad propalanda reſeruata ſinplici Confeſſario; ſéd ſolùm non reſeruata, quià præceptum de præmittenda confeſſiione obligat, quandò id fieri poteſt, & cum aliquali ſaltèm commoditate. Immò nequè tenebitur, quandò confitetur habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis, non reſeruata itérum confiteri, ùt multi docent DD.

Inſta-

Instabis, quid de habente excommunicationem reseruatam; poterit ne quis communicare, si nullus adsit, qui possit eum absoluere? Syluester verb. excom.4. casu 3., & alij quos refert Henriquez da Euch. c. 47. §.4. l.9. negatiuam defendunt sententiam etiàm vrgente graui periculo scandali, vel infamiæ; solummodò id saltém licere in mortis periculo.

Suarez tom.4. de pænit. disp. 31 sect. 3.num. 6.Conink. dispur.8. num.10. & alij dicunt hoc excommunicatio licitum esse communicare etiàm præcisa vrgente necessitate, & extrà mortis periculum, & consequentèr non adhuc obtenta absolutione à censura reseruata.

Ratio est, quià præceptum Ecclesiasticum non recipiendi Sacramentum cum excommunicatione in huiusmodi casu minimé obligat eò, quòd sit nimis arduum, & difficile. Imò posset hìc confiteri non reseruata simul, & sic indirectè absolui à reseruatis, & directé à non reseruatis, etiam firmo remanente vinculo reseruatæ excommunicationis; patet ex allata ratione.

Nequè est omittenda sententia Patris Sanchez lib. 2. in decalog. cap.8. num.5. ibi Quòd secus se haberet, si peccatum non esset reseruatum: túnc enim maneret censura noua absolutione indigens, & absolutio peccati valeret, nec id iterùm, fatendum esset iuxtà veriorem sententiam dicentem valere absolutionem a peccatis, manente excommunicatione.

Idemque non nulli existimant de habente solum peccatum mortale cum censura reseruata; & non minùs asserunt, posse Confessario manifestare peccatum (licét Confessarius sit simplex), & quoad culpam absolui, & si minimé possit absolui, quoad censuram; quià ipsa censura est reseruata, & culpa dicitur reseruata per accidens eò quià in confessione remitti non potest, nisi priùs tollatur ipsa excommunicatio.

Sed licét huiusmodi sententia in censuris ab Episcopis

reseruatis videatur habere locum, nihilominùs omni studio tùnc erit considerandus tenor reseruationis, quià in censuris S. Sedis Apostolicæ reseruatis, id minimé procedit; eò quià non solùm censura; verùm etiam culpa in se, & immediatè à Summo Pontifice reseruatur iuxtà ea, quæ superiùs firmauimus cum Sanchez, & hic iterum sic fatetur,

Nàm, vt optimé ait Suarez, sicùt à principio, & velut in fieri connexa sunt censura, & peccatum, vt peccatum minimé reseruetur; ita etiàm in conseruari siué in duratione sua eandem connexionem haben; ita vt, ablata censura, censeatur culpæ reseruatio ablata, & concessa potestate ad absoluendum à tali censura, censeatur concessa facultas ad absolutionem à tali peccato, & è contrà.

Dicitur tamén vrgens necessitas, & quòd in tali casu liceat communicare sine confessione, si periculum mortis immineat, si sequatur infamia, vél detrimentum eò, quòd non communicet; si dandum sit SS. Viaticum moribundo, si Sacerdos in Altari, alicuius peccati mortalis, recordetur, siue anté, siue post consecrationem.

Ratio est, quia, regularitér loquendo, quis non tenetur confessionem præmittere, cum vix in publico, id fieri possit absque notabili nota. Idemque dicendum est, si in sacrario existat, vestibus sacris indutus, & alijs curam demandare minimé possit, vt illius custodiam habeant, & fortiùs si ad altare tali modo progrediatur.

Instabis cũ Trid. supra cit. dicat quòd si Sacerdos celebrat cum sola peccati mortalis contritione non tamén præmissa confessione, *quàm primùm confiteatur*, quomodo hoc intelligatur? Respondetur, quòd nonnulli illud, *quàm primum confiteatùr*, accipiunt immediaté post sacrificium completum: Alij verò, quòd Confessio possit differri, vsquéad tempus alterius celebrationis. Quòd etiàm de Laicis intelligendum est secundùm Facundez lib. 3. tertij Ecclesiæ præcepti cap. 8. num. 9. ibi.

Illud

Illud autèm *quàm primùm* moralitèr intelligendum censeo, hoc est, *cum primùm*, sibi oblata fuerit copia Confessarij, cui absque vllius admiratione sua peccata confiteri possit, & idem dicendum est de Laico; Si in aliquo casu ad euitandum scandala contingat comunicare.

Vnum tamèn aduertendum est, quòd in omnibus his, & similibus casibus contingentibus, in quibus diximus Sacerdotem, & Laicum absque Sacramentali confessione posse communicare, sempèr præmittendum esse actum contritionis saltèm existimatæ, quià quisque tenetur iuxtà Trid. l. c. se probare, si conscientiam peccati mortalis habeat, vt omnes DD. fatentur.

Dicimus paritèr contritum, & confessum, & sine culpa lethali absoluté posse communicare licét nocte præcedente mortalitèr peccauerit; quia si peccauit talis indispositio per confessionem, & contritionem (vti supponimus) absoluté fuit ablata nihilominus ob reuerentiam Sacramenti nisi vrgeat necessitas, à communione abstinendum existimamus.

Patientem inuoluntariam pollutionem nocte, aùt mané præcedente communionem, vel sacrificium Missæ, ob id minimé teneri á communione sequenti, vel eadem die abstinere. Ratio est, quià, cum huiusmodi pollutio non sit lethalis non indignum efficit hominem, nec poterit magnam mentis diuagationem causare, cum naturalitér acciderit, & néc impedire valeat tanti Sacramenti reuerentiam, & debitam deuotionem. Sanchez lib. 9. disp. 13. sic ait.

Veriùs tamén existimo (& loquitur de copula coniugali quæ est ex se licita) nullam esse culpam, quamùis sanum, consilium sit ob Eucharistiæ reuerentiam abstinere. Quià nullibi inuenio prohibitionem, nec indécentiam, quæ culpam constituat, & ità sentiunt Tabiena verb. communicare. q. 37. §. 43. Victoria sũma de Euch. n. 81. & videatur tenere Nauar. sum. c. 21. n. 51. & clarius sum. hispana eod. cap. & n.

Iuſtæ cauſæ ſecundùm Sanchez loco cit. poſſunt adeſſe, quæ indecentiam illam reſarciant, at quià ità nulla ſit culpa accedere tùnc ad Euchariſtiam, & omnes in hoc conueniunt Doctores, vt ipſe teſtatur. Prima cauſa eſt, magna feſti ſolemnitas, in qua eſt decentiſſimùm ad Euchariſtiam accedere. Secunda eſt, ſi dies ſit iubilæi, exigatque communionem. Tertia eſt ſpecialis deuotio, præparatioq; ad communionem. Quarta eſt, nota aliqua, ex eò, quod omittatur, vt ſi ſit fœmina, famulæque videntes ipſam confiteri, ac minimè communicare, aliquid mali ſuſpicabuntur, & ſimilitèr de viro, ſed fuſiùs, cum de matrimonio erimus acturi.

Quæres, quænam diſpoſitio ex parte corporis requiratur ad dignè ſumendam Euchariſtiam. Reſp. quòd vna tantùm eſt neceſſaria, nimirùm, ieiunium, patet ex Can. *Liquidò de conſecrat. diſt.* 2. ibi.

Liquidò apparet, quandò primò acceperunt Diſcipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamèn propterea calumniandum eſt vniuerſa Eccleſia, quod à ieiunis ſempèr accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi &c.

Hoc tamèn ieiunium debet eſſe naturale, ſcilicèt, quòd nihil à media nocte vſque ad communionem ſumi debeat, nec per modum cibi, nequè per modum potus, etiámſi ſit minima quantitas. Ad differentiam ieiunij Eccleſiaſtici, quod per ſumptionem cuiuſuis paruę quantitatis non frangitur licèt ſumatur per modum medicinæ, cibi, vel potus, ità Angelicus Doctor hìc, Scotus, & alij, eſt autèm ſumptio cibi, & potus tranſmiſſio alicuius rei comeſtibilis, aùt potabilis ab ore in ſtomachum actione propria vitali.

Ex dictis igitùr inferri poteſt, quòd ſi aliquid ſumatur etſi minimum poſt mediam noctem per modum cibi, aùt potus, vt diximus, nullo modo, die ſequenti communicari poteſt, ob fractionem naturalis ieiunij, & licèt antiquitùs in Eccleſia fuiſſet conſuetudo communicandi feria quinta in

Cœna

Cœna Domini, talis vsus, & consuetudo abrogata fuit. Vide Conc. cit.

Existente verò in aliquo oppido, vno Horologio, & aliquis post datum primum horæ pulsum mediæ noctis aliquid potaret, vel manducaret, etiamsi comestio, vel potus absolueretur, antequàm vltimus daretur, sequenti die ab Eucharistia sumenda abstinere tenetur.

Ratio est, quià talis cibus, vel potus verè esset sequutus pòst mediam noctem; nàm per primum horæ pulsum insinuatur iàm fuisse mediam noctem transactam, & primus ille pulsus, vti Iudex sententiam illius elapsi temporis, vel termini, consideratur. Delugo multos Auctores hic citat.

Idemque à fortiori dicendum est de illis Horologijs, quę bis eandem repetunt horam; attamèn multis nimis rigida, & speculatiua hæc doctrina videtur, & non multùm practicabilis. Vndè alij fatentur minimè huiusmòdi diuisionem adeò mathematicam esse, vt practicè aliquandò non possit saluari. Et sic moralitèr loquendo, accipi posse dimidiæ noctis spatium, non est tamèn recedendum à prima sententia.

Ex quo colligitur, quòd habens in ore aliquid comestibile, vel potabile, si mane sequenti communicare voluerit, est omninò expuendum eodem tempore, quo primus pulsus mediæ noctis datur. Verùm tamèn est, neminem debere esse tám valdè anxium in abstergendo ore se lauando, vt cibi reliquias remoueat. Vide alia particularia apud. Sanchez.

Atsi duo, vel plura alicubi Horològia adsint, & ex his vnum tantùm mediam noctem sonauerit. Alterum verò adhùc sileat, dummodó vtrumque æquè bené fuerit ordinatum, quisque sequi poterit quodcunque voluerit ex eis, & expectare vsquequò suos dederit ictus.

Ratio est, quiá sicùti in moralibus ex duabus opinionibus probabilibus modo á nobis explicato in sect. 5. §. *Nec quis-*

quisquam de Sacramento Baptiſmi intér ſe contrariæ, cuicunque licitum eſt quam quiſque ſequi voluerit; nàm pulſus Horologij, quod citiùs ſonat, & alteriùs, quod tardiùs ſuos explet ictus; habentur tanquám duæ opiniones probabiles, vt ex Sanchez collegit Delugo.

Sed quid dicendum, ſi quis dubitet nùm fuerit datum mediæ noctis ſignum, an non, vel quandó adſit certitudo iám mediam noctem eſſe tranſactam, & dubium tantùm erit, nùm aliquid fuerit ſumptum. Eſt né petenti (tali exiſtente dubio) indulgenda SS. Euchariſtia, præſertim, quandò dubitatur, an media nox iàm fuerit elapſa? Sanchez eſt pro parte affirmatiua, quià poſſeſſio ſtat pro libertate communicaturi.

Minimè tamèn hoc eſt dicendum de caſu ſecundo, in quo exiſtit pro præcepto poſſeſſio. Layman hìc concludit, quòd in vtroque caſu dubitans poſſet communicare; cum non videatur præceptum Eccleſiaſticum nimis rigorosè interpretandum, vt fidelis à communione arceatur, qui cum ſit certus de tempore, ſolummodò anceps remanet, an ſit ieiunus.

Ex concluſione jàm firmata, ſequitur ieiunium naturale minimè eſſe ſoluendum primò ſi tranſmittatur ſanguis, vel alius humor ex proprio capite, vel ſaltèm ex ore intrinſecè defluens, quià hæc non eſt vera ſumptio per modum cibi, & potus, cum ab extrinſeco minimè procedat. Secùs verò eſt dicendum, ſi quis proprij brachij ſanguinem ſuggeret, quià ieiunium frangeret, ſecundò, ſidùm os vino, vel aqua abluatur, & aliqua ſaliuæ guttula permixta, degluteretur. Tertiò, ſi aliquid ſumatur per modum deguſtationis, & ſapor percipiatur, licét aliquid remaneret, quod poſteà per modum ſaliuæ in ſtomachum tranſmitteretur. Quartò, ſi ciborum reliquiæ, quæ poſt Cœnam remanſerunt in ore noctu, vel manè inaduertentèr in ventriculum tranſmitterentur, quòd ſi aduerteret, communicaturus, tenetur eas expuere, quià ſi aduertentèr deglutiret, noua

cen-

censeretur comestio. Pro hac vltima parte extat Tabiena fauorabilis. Vide limitationem Card. Delugo disp. 15. sect. 2. n. 32.

Dicimus deniquè, quòd ieiunium naturale frangitur ab eo, qui media nocte, nō elapsa globulo Sacchari in ore immisso, paulatim eiusdem liquorem successiuè in stomachum transmittit, etiàm post mediam noctem, quià huiusmòdi sumptio esset vera comestio; idemque de fractione ieiunij dicas, si quis ex proposito aliquid comederet, licèt immediatè post illud euomeret; nàm illa fuit vera comestio, & non minùs idem firmandum est, si quid sumatur per modum medicinæ, quià militat eadem ratio, itá omnes Doctores.

Quæres, an in aliquo casu â non ieiuno sit sumenda SS. Eucharistia? Resp. affirmatiuè. Primus casus est, mortis articulus, cum ministrari debeat ægroto etiám non ieiuno SS. Eucharistia per modum Viatici. Ratio est, quiá præceptum communicandi in mortis atticulo validiùs est, quám præceptum Ecclesiæ de seruando ieiunio antè communionem: ergò illud præualere debet, quiá fortiùs.

Hæc conclusio intelligenda est, in casu, quo infirmus non potuerit expectare non ieiunus sine graui periculo; vsq; ad sequentem diem. At si morbus inualescat, & periculosus sit, minimè scrupulosè erit differenda communio, vt optimè aduertunt Doctores, & in hoc non solùm semèl: verùm etiám pluriés in eadem infirmitate, est infirmo concedenda SS. Eucharistia. Vide Tabienam verb. Communio 48.

Aliqui verò intèr vnam, & alteram communionem triginta exigunt dies, alij octo, nonnulli sex, alij triduum, & tandèm multi asserunt posse per modum Viatici dari Eucharistiam die sequenti, in qua die præcedenti ægrotus paritèr non ieiunus communicauit.

Quinimmò Layman lib. 5. tract. 6. c. 6. n. 20. existimat ob iustam causam, e. g. si quis (verbis ipsius vtimur) assuetus

fre-

frequentèr communicare, aùt sacrificare proptér deuotionem, ac desiderium difficilè abstineat, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterùm S. Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodò mortis periculum instare videatur. Adde secundò, quòd ob eandem causam mortis probabilissimè imminentis, Sacerdos sacrificare possit non ieiunus, si aliundè S. Euchariſtiam habere nequeat, sicùt docet Zambranus c. 3. dubitat. 6. n. 1.

Poterit insupèr Eucharistiam sumere non ieiunus, nè Sacrificium Missæ imperfectè remaneat, in his tribus casibus. Primus est, si Sacerdos pro vino, aquam consecrauit, & sumpsit, tùnc debet iterùm consecrare vinum, dummodò hoc absquè scandalo fieri possit. Idemque dicendum est de Sacerdote, quì peracta consecratione statim obijt, poterit in eo casu, quandò non adsit ieiunus, non ieiunus hostiam consummare. Secundus casus est, si post sumptionem ablutionis, nonnullæ ex hostijs consecratis reliquiæ remanserũt, poterunt á Sacerdote sumi, quià huiusmòdi sumptio pertinet ad perfectionem eiusdem Sacrificij, nec dici debet noua communio, dummodò multo tempore post peractam Missam illæ reliquiæ non sumantur.

Et deniquè tertius casus est, si hostia, vel particula, quæ in Calicem mergitur, ipsi calici adhæreat, vel saltèm palato, quià in his contingentijs (vt sæpè occurrit) tamdiù vinum nō consecratum sumi poterit, quandiù deglutiatur, & hoc equidèm decentiùs fieri debet, quám eam digito in ore immisso á palato diuellere, id quód multi Doctores concedunt, & adhùc inseruire poterit pro infirmo Sacerdote si ob suam deuotionem communicans habeat præ nimia siccitate adhærentem palato particulam, itá Syluester.

Dicimus paritèr, quòd nonnulli arbitrantur esse licitum Sacerdoti non ieiuno celebrare, & hoc ob dandum saltèm infirmo S. Viaticum. Immò hoc fieri posse absque vestibus Sacerdotalibus, & in fermentato, quæ duo iure op-

timè,

timé, ab alijs minimè admittuntur, licèt de Sacerdote non ieiuno firmasset suam opinionem Layman, vt nos superiùs tetigimus.

De Sacerdote non ieiuno probatur, quiá Sacerdos peccati mortalis conscius in casu necessitatis, non præmissa confessione. elicita tamén contritione potest consecrare. Secundò, quiá probabilior sententia est de iure diuino in mortis articulo, Sacerdos tenetur prouidere saluti spirituali sui proximi: Ieiunium veró naturale prouenit ex iure Ecclesiastico, quod absolutè diuino cedere debet. Vtraq; opinio est probabilis, sed negatiua communior, itá Maior in præsenti.

Probatur insupèr ratione; quià reuerentia Sacramenti est proximi necessitati præferenda, & maximè quando infirmus in talibus circumstantijs positus nullo modo, communicare teneretur; non præcepto Ecclesiastico, nequè diuino, quandoquidèm hoc minimè obligat, dùm hostia cum debita reuerentia, & ritu, non potest conseruari, tùm quia extat Ecclesiæ opposita consuetudo. Nequè par ratio est de omissione confessionis, eò, quòd huiusmòdi confessio per contritionem facilé suppleri poterit, quòd dici id non debet de ieiunio, ità omnes communitèr firmant.

Ex præmissis in hac sectione vltimum insurgit resoluendum dubium, an nimirùm, ad vitandum scandalum, vèl infamiam quis, non ieiunus communicare possit? Respondetur, quòd regularitèr loquendo vix hoc euenire posset. quandoquidèm alia ratione sempèr scandalum, & infamia communicaturi remoueri valeat. & consequentèr nounulli simplicitèr asserunt, id nunquàm licere.

At si casus daretur, in quo quis aliò modo, minimè posset scandalum euitare, & aliundè ipsiùs communicaturi grauis infamia oriretur, tùnc, & eo casù, cum hoc præceptum non videatur magis vrgere, quàm præceptum non communicandi sine confessione, dicendum equidèm est, quòd sicùt cum tanto incommodo non obligat, ità nequè

præceptum non communicandi pòst esum, & potum obligabit, ità Vasquez hic disp. 211. n.48.

Et tandèm, nèc omittendum est asserere, quòd huiusmòdi priuilegio, vt docent Doctores, adhùc etiam gaudent omnes, qui iustè, vel iniustè sunt interficiendi, & qui similitèr non sunt ieiuni, & consequentèr communicare poterunt, si id vera necessitas requirat, & non minùs rationabilis causa, arbitrio tamèn prudentis sempér relinquenda, & iudicanda.

SECTIO XII.

De Ministro conficiente SS. Eucharistiam.

QVæres, quisnam sit necessarius, & ordinarius Minister SS. Eucharistiæ? Respondetur, solummodò Sacerdotem, ritè, & rectè consecratum colligitur ex Trid. sess. 22. cap. 1. ibi: *Quoniam sub priori testamento &c. Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem*, & sess. cit. can. 2.

Si quis dixerit, illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, alijque sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit.

In huiusmòdi Sacerdote requiritur intentio in conficiẽda SS. Eucharistia sicùt de alijs diximus, Sacramentis, debet esse actualis, vel saltèm virtualis. Insupér debet esse certa, & determinata, circà certam, & determinatam materiam, adeòùt si ipsa materia non sit designata, séd vaga, & indeterminata, inualidum redderetur Sacramentum, quià forma verificari non potest, dicendo *Hoc*, vel *Hic* ex eò, quià minimé constaret de applicatione materiæ.

An

An verò in Sacerdote ritè, & rectè ordinato, requiratur fides ad hoc, vt dici possit valida consecratio? Respondetur, minimè requiri fidem, neque probitatem, quià hæretici adhùc validè consecrare possunt; cum eorum potestas à charactere procedat: contrà Magistrum sententiarum, asserentem hæreticos absolutè potestate consecrandi carere.

Petes, an Sacerdos consecrans aliquam hostiæ partem, non tamèn sua intentione determinans vnam potiùs, quàm alteràm sit vera consecratio? Respondetur, quòd nihil efficiet, quià de neutra sensus formæ verificari potest.

Secùs verò dicendum est, si fuerit determinata dextera, vèl sinistra; quià esset consecrata, ob appositam rationem, & sicùti est vera materia illa pars supèr quàm fuit forma prolata, sic etiàm remanet consecrata per intentionem.

Instabis, an Sacerdos habens præ manibus hostias decē, & suam intentionem solum dirigat supèr nouem, erunt nè omnes consecratæ? Respondetur nullam fore consecratā, non solùm ob allatam rationem; Verùm etiàm, quià & iàm, non est maior ratio: quòd illa decima, non sit consecrata, & potiùs sit hæc, quàm alia, & fortiùs, quià nulla in particulari fuit determinata, ità omnes.

Dices, Sacerdos habens præ manibus duas hostias, sèd falsò existimans vnam, essent nè ambæ consecratæ? Respondetur terminata debita forma, vtramque remanere consecratam: quià intentio, quæ regularitèr à celebrante habetur, est consecrandi totum id, quod in suis existit manibus, & consequentèr huiusmòdi intentio extenditur ad vtramque hostiam, vt diximus. Sèd meliùs in sequenti.

Néc poterit existimari, quòd vtraque hostia non sit vna, licèt non physicè, sèd moralitèr, quandoquidèm error in intellectu sit speculatiuus, & non opponitur prædictæ intentioni, sicùt idèm dici poterit de infante, quem Minister putat esse filium Caij, cum sit filius Titij, & in huiusmòdi casu, asserunt omnes Doctores illum infantem validè

 fuisse

fuisse baptizatum; quia intentio ministri fuit directa ad infantem, falsò putatum filium Caij.

Sèd nos nihilominùs tyrones Confessarios aduertimus, vt hac vtantur cognitione; nimirùm, quòd si Sacerdos preçisè, & simplicitér consecrare intendat vnam solummodò hostiam, & non totum id, quòd præ manibus habeat illa tantùm erit consecrata, circà quam celebrantis intentio actu, vel virtute fertur, non verò alia, vt patet ex dictis de Sacramentis in còmmuni.

Ex huiusmòdi resolutione euidentér constat, quid sit dicendum de guttulis vini, partibus exterioribus Calicis adhærentibus, & non minùs paritér de alijs intrá Calicem contentis; séd separatis à vino, quòd in ipsius fundo extant. De quibus dicendum est, quòd ab intentione ministri resolutio dependet. Sèd nos fatemur, quòd licèt guttulæ illæ sint adhùc moralitèr corã celebrante præsentes, regularitér loquendo, non præsumi débent consecratæ, quiá illius intentio ad eas minimé extenditur, ob defectum suæ intentionis.

Obseruauimus tamén Bonacinam, & alios asserentes stillulas illas esse, & fore censendas consecratas, sed nos saltém firmamus interpretandam esse Ministri intentionem, né in errores incidamus, ex quo sanum deducimus pro Sacerdotibus consilium, vt sempér eorum intentio dirigatur ad consecrandum totum id, quod in Calice continetur, & est paritér consecrabile.

SECTIO XIII.

De Ministro dispensante SS. Eucharistiam.

QVæres. quisnam sit ordinarius Minister dispensandi SS. Eucharistiam? Respondetur de iure diuino solummodò esse Sacerdotem; quià hæc potestas à cha-

charactere procedit, vt diximus: & ordini Sacerdotali est verè, & realitér annexa: est Apostolorũ traditio, vt habetur ex Trid. sess. 13. c. 8. ibi. *Sempèr in Ecclesia Dei mos fuit. vt laici à Sacerdotibus communicarent, qui mos, tanquàm ex traditione Apostolica descendens, iure, ac meritò retineri debet.*

Quæ verò diximus, intelligenda sunt, quòad confectionem Sacramentorum, quandoquidém circà administrationem, huius Sacramenti SS. Eucharistiæ, cum sit in facto esse, poterit Diaconus, si hoc tamén munus eidem à Sacerdote, Parocho, vel Episcopo committeretur, aliqua instante necessitate, & rationabili causa, dispensare, est sẽtentia communis, & colligitur paritér ex Conc. Cartag.

Sèd quæres, an quilibet Sacerdos sit legitimùs SS. Eucharistiæ Minister? Respondetur, peccare mortalitér ex suo genere, quemlibet Sacerdotem iurisdictione ordinaria, vel delegata carentem alijs SS. Eucharistiam administrare, quandoquidém in re magni momenti sibi ius alienum temerê vsurparet.

Diximus *iurisdictionem ordinariam, vel delegatam*, quià vtraque sufficientér est ad licitam dispensationem. ordinaria in Episcopis, & non minùs in Parochis residet. De SS. Pontifice, nil est dicendum, cum equidêm sit omnibus, in omnia supremus, & à Deo solummodò dependens. Séd clariùs de Sacram. pœnit. sect. 15. & 16.

Iurisdictio delegata est illa, quæ ab Episcopis, vel à Parochis, alijs inferioribus Sacerdotibus committitur, ad quam concedendam non est sẽpèr necessaria superioris expressa voluntas: satis igitùr erit interpretatiua, vel saltèm ratihabitio de futuro; quià hæc ad validitatem substantialem huiusmòdi actus interdùm non requiritur, sed tantùm. quoàd modum. Diximus *interdùm*, quià aliquandò erit necessaria licentia expressa, & non sufficit tacita.

Aduertendum tamèn est, omnes Regulares exemptos ad præsens habere delegatam iurisdictionem dispensandi laicis

laicis SS, Euchariſtiam, patet ex ipſorum indultis, in quibus fuit eiſdem huiuſmòdi facultas conceſſa, Excepto tamèn die Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ. qua omnes Parochiani in proprijs Eccleſijs SS. Euchariſtiam ſumere tenentur, habetur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.*

In caſu verò neceſſitatis, deficiente Parocho, Regulares, vel presbyteri ſeculares huiuſmòdi Sacramentum licitè diſpenſare poſſunt, ex præſumpta Parochorum volũtate, eſſent iſti irrationabilitèr inuiti ſupèr his, ſi alitèr ſentirent, & fortiùs, quià vnuſquiſque tenetur loco, tempore, ac ſecundùm genera perſonarum. proximi tàm neceſſitatibus temporalibus, quàm ſpiritualibus prouidere, eſt ſententia communis.

Inſtabis, An liceat, & teneatur Miniſter diſpenſare petenti SS. Euchariſtiam? Reſpondetur. hoc officium ſólùm ad Parochos pertinere, intèr quos numerantur omnes curam animarum habentes, & ſic fatemur Parochos obligari in Paſchate, quia hoc tempore vrget præceptum ſuis ſubditis SS. Euchariſtiam diſpenſare, huiuſmòdi tamèn reſpõtionem non ſemper eſſe admittendam, dicimus, nam Parochi tenẽtur totiès. quotiès adeſt opportuna, & rationabilis cauſa ex parte ſubditorum Sacramentum hoc petentium.

Ratio eſt, quià Parochi à ſuis aluntur ſubditis, vel ſaltèm ex ipſorũ cauſa; ergo non ſolùm tenentur Sacramenta diſpenſare neceſſaria; verùm etiàm præparare omnia alia media vtilia ad æternam ſalutem conſequendam. proportionata, & opportuna intèr quæ eſt aliquandò infra animũ frequens communio, & ſic inſupèr dicimus; quòd adhùc obligantur diebus feſtis ſaltèm, de præcepto in proprijs Eccleſijs ſacras confeſſiones audire.

Petes, an peccatori ſit SS. Euchariſtia diſpenſanda? Reſpondetur, publicis peccatoribus, puta, notorijs vſurarijs, Concubinarijs publicis, excommunicatis, &c. minimè
eſſe

esse hoc Sacramentum dispensandum tàm publicè, quàm priuatè petentibus, nisi priùs ipsi publicam pœnitentiam egerint, & sic sempèr tanquàm indigni ab hac sacra mensa Eucharistica, arceantur, iuxtà illud Matt. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras antè porcos.* Vide hic S. Thom.

Peccatoribus saltèm occultis publicè Sacramenta petētibus, à Parochis minimè sunt deneganda, præsertim in casu nostro SS. Eucharistia si huiusmòdi peccata in Sacramētali confessione fuissent audita, & etiàm paritèr si extra, & sic tenentur quouis tempore hoc Sacramentum dispensare; quicquid sit de contraria sententia, quam conantur defendere Durandus, & alij. Videatur Syluester verb. Euchar. 3. num. 4.

Ratio vtriusque sententiæ est, quià in primo casu, cum peccator sit publicus, & publicè de peccato diffamatus, nulla ei fit iniuria, si SS. Eucharistia denegetur: Secùs verò in secundo; nàm cum peccator sit occultus, & eidem fuisset denegata communio, suam bonam famam, quam apùd alios possidet, vtiquè amitteret; Minùsque minister illius peccati efficitur particeps, quià non communicat in peccato Eucharistiam petentis.

Addimus insupèr, quià, quòd quantum à Ministro fit ex se est per accidens, & indifferens, & ius etiàm habet id faciendi, nè occulta peccatoris fama lædatur; igitùr ex vllo principio argui poterit eius cooperatio in alienum peccatum. Prò quo sit nostri Redemptoris exemplum communicantis Iudam proditorem, peccatorem occultum SS. adstantibus Apostolis.

At si loquamur de occulto peccatore, qui nullam habet animæ suæ curam; Immò nequè admittit monita, & documenta spiritualia à Confessarijs proposita, in perfidia insupèr, & obstinatione perseuerat, in his, & similibus angustijs, & malis existens occultè SS. Eucharistiam petat, est eidem prorsùs deneganda, quià in nullo sua læditur fama

hu-

huiusmòdi sententiam dicimus ab omnibus esse exequendam; quià certa equidém est.

Quæres, quænam sint seruanda, vt dignè SS. Eucharistia administretur? Respondetur, hoc Sacramentum administrandum esse sub vna tantùm specie, alias peccatum lethale committeretur, & vltrà superiùs firmata; addimus insupèr, quòd dispensans SS. Eucharistiam, constitutus in gratia debet esse: alias reus efficeretur alterùs lethalis culpæ, licét nonnulli recentiores asserant huiusmódi peccatum non committi.

SECTIO XIV.

De præcepto sumendi SS. Eucharistiam.

CVm hæc propositio dupliciter intelligi possit, nimirùm, de præcepto diuino, & ecclesiastico; ideò dicimus, quod Syluester. & Armilla senserunt, non adesse tempore obitus præceptum sumendi Eucharistiam; Alij verò huiusmòdi obligationem ad consuetudinem, vel saltèm ad præceptum Ecclesiæ extendunt. His nihilominùs omissis sententijs, firmamus, quòd vnusquisque fidelis in articulo mortis, præcepto diuino, communicare tenetur. Immò pluriés, atqué pluriés extrá talem articulum, colligitur ex varijs Concilijs, séd præsertim ex sequenti.

De his verò, qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obseruabitur etiam nùnc, itàut, si fortè quis recedit ex corpore, necessariò vita sua Viatico, non defraudetur. Quòd si desperatus aliquis, recepta communione superuixerit, sit intèr eos, qui sola oratione communicant. De omnibus enim his, qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionem, cura, & probatio sit Episcopi.

Asserimus paritèr, quòd, qui paulò antequám in articulo mortis constituatur communicauit, tenetur deindè communicare

municare ex præcepto diuino, si morti proximus fiat, quiá per primam communionem huiusmodi præcepto minimè satisfecit, quià non instabat. Alij verò dicunt, non teneri communicare ex præcepto diuino, qui pauló antè recepta communione, videtur satis fecisse abundè moralitèr loquendo, per quandam iuris fictionem, iuxtà vulgat. reg. iuris, &c.

Quòd verò spectat ad præceptum ecclesiasticum; sciendum est, quòd licèt antiquitùs tèr in anno, fideles tenebantur communicare, postmodùm huiusmodi præceptum redactum fuit ad vnicam annuam communionem. Colligitur ex cap. omnis vtriusque sexus ibi intèr cætera.

Semèl saltèm in anno confiteatur, suscipiens reuerentèr ad minùs in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tẽpus ab huiusmòdi perceptiòne duxerit abstinendum; aliòquin, & viuus arceatur ab Ecclesiæ ingressu, & moriens Christiana careat sepultura.

Quoàd praxim eiusdem Canonis dicimus, quòd *nomine Paschatis*, intelligi debet, non solùm esse tale præceptum communicandi die præfinito SS. Resurrectionis, eó, quià tali die Christus resurrexit; verùm etiàm, quià adhùc numerantur alij quindecim dies, incipiendo á Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè. ita omnes.

Asserunt verò Aliqui Authores, quòd si quis dicto tẽpore non communicauit, ad dictum pręceptũ ampliùs minimè teneatur, quià est affixum tempori Paschali, quo semél elapso, adhùc eius obligatio expirat; ad instar alteriùs præcepti Ecclesiastici dicendæ Missæ, & horas Canonicas persoluendi.

Alij tamen distingunt, scilicèt, duplex esse præceptum communicandi, vnum intrà tempus Paschale; alterum in reliqua anni parte. Qui in Pascha commnnicat vtrumque simùl adimplet. Qui verò in Paschate non commu-

nicat, cum possit, peccat mortalitèr contrà præceptum speciale, eo tempore communicandi, & adhuc tenetur aliud annuæ communionis præceptum adimplere.

Qui, tempore Paschali non communicauit, si nulla adsit rationabilis causa vlteriùs dilationis, tamdiù peccabit contrà præceptum annuæ communionis; quamdiù impletio ab ipso differatur. Sicùti dici potest de eo, qui retinet rem alienam, & cum possit non restituit, semper actu peccabit toto sequenti tempore, quo restitutio differtur.

Sed quid dicendum de eo, qui scientèr in peccato mortali, & consequentèr sacrilegè communicauit, satisfecit præcepto, vel iterùm illud adimplere tenetur? Respondetur extare super hoc Decretum habitum feria 5. die 2. Martij 1679. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ coràm SS. D. N. Innocentio Papa XI. Quòd huiusmodi propositionem, inter cæteras, damnat tanquàm scandalosam, & in praxi perniciosam, sub §.55. ibi: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini mãducationem*.

SECTIO XV.

De Sanctissima Eucharistia, quatenùs sacrificium est.

PROEMIVM.

ANtequàm de ijs, quæ in præsenti sectione continentur agamus, inter alia necessariò præmittimus. *Sacrificium esse propriè externam, & sensibilem actionem, qua res aliqua Deo offertur, vt legitimo, & solemni ritu à publico Ministro, in honorem Dei, aliquo modo, immutetur, & consumentur*. Vel saltém, vt loquitur Layman de Sacrificio Missæ cap. 1. *Est oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei*

rei sensibilis in signum supremi super res omnes dominij ex publica, & legitima institutione.

SS. Eucharistia dicitur hic *Sacrificium*, quiá per illud Domino offertur Passio. Dicitur paritèr *Missa*, à verbo latino mitto, vel quiá est oblatio sacrificij Deo missa. Vel saltèm, quiá in ea dimittatur populus, quando dicitur. *Ite Missa est*. Et sic Missa á sacrificio quoad definitionem essentialitèr minimè differt, quiá tàm sacrificium; quàm Missa significat sacrificium incruentum, quod Dominus noster Iesus Christus in vltima Cæna suo Æterno Patri obtulit, & consequentèr Missa fuit à Christo instituta, vt infrà.

Missa autem, quatenùs multas continet cæremonias, tàm antecedentes, quàm subsequentes consecrationem, oblationem, & consummationem, aucta fuit quoád introitum à Celestino, Gelasio, & Gregorio Pontificibus; diuersis tamen temporibus, proùt decentiùs eisdem benè visum fuit, crescente cultu Christianæ Religionis, vt eruditè probat Gulielmus Durandus in suo rationali diuinorum officiorum lib. 4. c. 1. de Missa.

Post Christum Redemptorem nostrum, nullum legitur celebrasse Missam, nisi Iacobum Alphei, & hoc ob eius excellentiam sanctitatis, *Qui postquàm Iesus locutus est eis*, vt habetur Marci cap. 16. *Assumptus est in Cælum, & sedet à dexteris Dei*. Primus inter Apostolos Hierosolymis Missam celebrauit, antequàm in Episcopum fuisset ordinatus. Vel fortè, quià, primus ille fuit, qui Pontificalia exercuit; sicùt paritèr legitur de Principe Apostolorum in Antiochia Missam celebrante, & de Marco Euangelista in Alexandria. Quòd verò Christus fuerit primus Sacerdos colligitur ex Trid. sess. 22. c. 2. ibi. *Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semèl seipsum cruentè obtulit &c.*

Ex præmissis igitur ad præsens, dubium oriri poterit

nimirùm, quòd cum Missa duas intèr cæteras præcipuas contineat partes, consecrationem, scilicét, & consummationem: modò petitur, an vtraque sit de essentia sacrificij Missæ. Respondetur esse solam consecrationem. Consumationem esse partem integralem, vt ex dicendis clariùs patebit.

Primò ex authoritate Sanctorum Patrum, asserentium Christum sacrificasse, quià veré consecrauit. Secundó, quia Sacerdotes potestatem recipiunt offerendi, & talis potestas est consecrandi. Tertió, denique, quià in sexta feria Parasceues sacrificium minimé offertur, eó quod non consecratur. Immò si in eandem diem festum Annuntiationis B. V. Mariæ incideret, fideles Missam non audire tenentur; quiá cum careat consecretione non est proprié Missa, quæ audienda est diebus festiuis de præcepto Ecclesiastico.

Alijs veró diebus festiuis de pręcepto, Sacerdotes celebrare, & consummare obligantur, non solùm, quiá hoc sacrificium primó, & principalitér ad cultum diuinum ordinatur; Verùm etiam, quià est veré cibus fidelium, & consequentér Ministri Domini, vt populus de eorum sacrificij participent, sacrificare debent, & fortiùs, quià sacrificium incruentum Missæ, est perfecta mortis, & passionis Christi reprę sentatio, & sic vtriusque speciei, scilicét, panis, & vini requiritur consecratio, ità Angelicus Doctor in præsenti.

Quoniam veró ea, quæ ad sacrificium incruentum Missæ pertinent multa sunt, & diuersa, & vnica sectione minimé complecti possunt; Idcircó ad remouenda superflua, & confusionem euitandam, maioris dilucidationis gratia, huiusmodi sectionem, omni breuitate nostrum, vt moris est, sequendo institutum, in decem diuidemus capita, siué quæsita, siuè tandem lineas in longum protensas, sit igitur prima.

De offerentibus Sacrificium Missæ.

QVæres, quæ nám sint personæ offerentes? Respondetur, primum, & principalem offerentem in sacrificio Missæ esse Christum, & simùl Sacerdotem, hostiam, & rem oblatam, ità S. Thom. q. 83. ar. 1. ad 2. Dicimus paritér esse Sacerdotem legitimé ordinatum, triplicem sustinentem personam colligitur ex Canone Missæ *in memento*, ibi. *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, prò quibus tibi offerimus hoc sacrificium laudis &c.* In hoc tamen minimé satis erit sola interna deuotio, & esse Ecclesiæ membrum; sed saltém necessaria erit virtualis intentio offerendi; vel externa cooperatio, vt est dare Sacerdoti celebranti stipendium, aùt eleemosynam, vt sacrificet, aùt assistat ipsi sacrificio. Laym. lib. 5. tract. 5. c. 1. n. 2.

De effectibus Sacrificij Missæ.

QVæres, quænam sint huius sacrificij effectus? Respondetur duplicem esse effectum, seù fructum. Primum *ex opere operato*, qui infallibilitér ab eo sacrificio recipitur, & pro quo offertur. dummodó obex non ponatur, & ad huiusmodi effectum nil concurrit, & confert Ministri dignitas, vel indignitas. omnes &c.

Secundum fructum esse *per modum impetrationis*, prouenientem, tàm ex dignitate Christi, cuius nomine Deo Patri sacrificium offertur, quàm ex dispositione ipsius Ministri offerentis, & totius Ecclesiæ, cuius vices Sacerdos, dùm celebrat, gerit; quiá est apud Deum Legatus, his positis.

Quæstio hic est, an sacrificium Missæ conferat aliquam gratiam? Respondetur *ex opere operato* conferre remissionem peccatorum: hoc tamén minimé intelligendum est,

quód

quód sacrificium directé. & immediaté vim habeat conferendi gratiam iustificantem, aùt augmentum gratiæ; quiá hoc priuilegium est tantùm Sacramentorum, vt diximus.

Sed intelligendum est, eó, quia Missa excitat in illo, pro quo offertur, aliquem pium motum ad gratiam præuenientem, & disponentem ad pœnitentiam: vt meliús, & perfectiùs viuat, ideó hoc sacrificium dicimus operari indirecté, & mediaté remissionem peccatorum: ità hìc S. Tho.

Remittitur insuper per sacrificium Misssæ *ex opere operato*, pęna temporalis fidelibus in gratiam existentibus, si eisdem applicetur, etiamsi ipsi nihil sciant, & nullo actu, nec interno, nequé externo ad huiusmodi effectum cooperarentur, & ideó Missa, vt diximus, à Sacramentis differt, eó, quià ista nequeant in nobis indulgeniiam operari, siné ipsorum susceptione, & aliqua nostra cooperatione, vt probat S. Thom. q. 79. ar. 5. & 6.

Et quamuis nonnulli velint hoc sacrificium, immediaté, & directé remittere peccata venialia ijs, pro quibus offertur, absque vllo corumdem interno motu, nihilominùs, meliùs fatemur asserere sacrificium Missæ, minimé huiusmódi effectum operari, sine aliqua interna animi motione, & virtuali saltém venialium detestatione.

Ratio est, quià, sicuti culpa venialis non contrahitur, nisi voluntate operante, ità minimé debetur, nisi voluntas saltém eam virtualitér detestetur, ex quo infertur, quód, qui curat dici Missam, cum intentione saltém virtuali obtinendi remissionem venialium infallibilitér *per modum impetrationis* eam. Consequetur, ob implicitam auersionem à venialibus Thom. loc. cit.

Asserimus insuper Missam efficaciam habere infinitam impetrandi infidelium conuersionem, fidelium peccatorum iustificationem, iustis autem conferre augmentum gratiæ, & alia temporalia, & spiritualia dona, infinitamque efficaciam satisfaciendi prò pænis, peccatis debitis, tám viuorum, quám mortuorum, & omnia hæc proueniunt tùm

ratione

ratione rei oblatæ tùm etiam ratione primarij effectus, qui est Christus D, N.

Huiusmódi tamén effectus Missæ non applicantur secundùm hanc infinitam virtutem impetrandi, & satisfaciendi; sed semper limitato, ac modo finito, tàm intensiué, quám extensiué, & sic prodest ijs, quibus sacrificium applicatur, vt docet Angelicus Doctor in 4. disp. 45. q. 2. ar. 4. quæstiunc. 2. & alij communitér.

Sacrificium veró, quatenùs nomine Ecclesiæ offertur, vim finitam habet impetrandi, eamdemque independentér á dispositione, & dignitate Ministri, & eó maiorem, quò sanctior est Ecclesia, siuè plures in ea iusti, Deoque gratiores existant: ità omnes communitér.

Quatenùs sacrificium offertur á persona priuata, siué sit ipse Minister, siué alij fideles, habet vim, aliquo modo, infinitam syncategorematicé, idést, quatenùs fructus, qui per modum impetrationis prouenit; tùm ratione deuotionis; tùm ratione multitudinis priuatorum offerentium magis, magisque crescere potest: vt ait híc Suarez, & alij apud Layman.

Probatur adhuc, ex communi fidelium persuasione, si plures Missam audiendo, ei inseruiendo &c. Deo Patri sacrificium offerant, non minorem fructum exindé referre singulos; quám si soli essent. Propter eá, quod priuatæ eiusmodi oblationes distinctæ sint; ideóque eis distincti effectus respondeant, vt ait Paulus Comitolus lib. 1. moral. 99. q. 42. n. 2. & alij communitér.

Immó ex concursu multorum, crescere solet singulorum deuotio, & consequentér fructus, qui eis secundùm eorum dispositionem confertur: Præterquám, quód preces multorum simùl in id vnitorum faciliùs á Deo exaudiuntur, quám si separati essent, iuxtá illud Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint fiet illis.*

Et licét Sacerdos prò certa persona celebret, nihil tamen

men ipsi decedere si in *Memento*, in propria persona, & ex priuata deuotione idem sacrificium pro se ipso, & alijs pluribus personis, distinctis actionibus, offerat; cum enim hæ oblationes diuersæ, & repetitæ sint, quarum nulla alterum impedit; ideó singulis tantùmdém fructus impetrare possunt, quám si vna sola, pro vna sola persona fieret.

Sacrificium Missæ non solùm est *impetratorium, & satisfactorium*, vt hactenùs diximus: Verùm etiam *meritorium* gratiæ, & consequentér gloriæ. Meritum tamen, ità est proprium Sacerdotis offerentis, vt nulli ipse illud alteri applicare possit, sicuti ad suum libitum potest applicare alijs impetrationem, & satisfactionem.

Et sic dicimus, quód sacrificium Missæ oblatum á Sacerdote, vti priuata persona, eó plùs gratiæ, & meriti Sacerdoti offerenti, & eó plùs impetrationis, & satisfactionis, tùm sibi, tùm alijs iuxtà applicationem intentionis confert, quò magis Minister dispositus est, & Deo gratus. ità S. Doctor Angel. relatus á Laym. lib. 5. trac. 5. c. 1. n. 11. de Sacr.

Dicimus insuper, quôd si Minister peccato lethali laboret, & offerat, nullum fructum, nec impetrationis, neque satisfactionis, tùm sibi, tùm alijs, nullumque acquirit meritum quandoquidèm intentio Ministri, quatenùs propriè mala sit, & peccaminosa, nullum apud Deum, nomine priuato, mali offerentis mercedem meretur: iuxtà illud. Cæci nati. Ioan. cap. 19. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*.

Quòd diximus, est intelligendum de peccatore formali, idést, qui orando peccat, siuè cuius oratio execrabilis est. Habetur prouerb. cap. 28. ibi. *Fuit impius nemine persequente. Proptèr peccata terræ multi principes eius. Vir pauper calumnians pauperes. Qui derelinqunt legem, laudant impium. Viri mali non cogitant iudicium. Qui declinant aures, nè audiant legem, oratio eius erit execrabilis &c.*

Ne-

Negandum tamén minimé erit, quin possit Missa mali Sacerdotis, impetrationis effectum operari, non *de condigno*, & ex iustitia; sed solùm ex diuina misericordia, vt firmauit S. Thom. 2.2. q.83. ar. 6. ibi. *Orationem peccatoris Deus audit, non quasi ex iustitia; quià peccator hoc non meretur ex condigno; sed ex pura misericordia; obseruatis tamen quatuor conditionibus, vt scilicèt, pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter.*

Quæres. Pro quibus sacrificium Missæ offerri possit? Respondetur, quód iam in principio primi capitis, seù lineæ, diximus Euangelicum Sacerdotem, triplicem sustinere personam, vt annotauit Adrianus in 4. de Sacram Euch. dub. vlt. Primò, & immediatè ipsius Christi, dùm actù sacrificat. & fructum sacrificij *ex opere operato*, atque etiam *per modum impetrationis*, ex Christi dignitate cuicumque ipse vult, applicat.

Secundò paritér gerit personam Ecclesiæ, cuius legatus est ad Deũ, quòd similitèr dicendum est de alijs publicis officijs, nimirùm, precum Canonicarum &c. Tertiò denique gerit personam priuatam, non solam in *Memento*, in quo priuatim Deo commẽdat quoscumq; voluerit; verũ etiam in publicis orationibus, & tota sacrificij actione.

Nám quemadmodum omnia alia iustorum opera bona, triplicem habent virtutem, nimirùm, *merendi, satisfaciendi, & impetrandi*; ità paritèr, & publicæ orationes, ac sacrificium, cum sint actus virtutis Religionis. In primis enim Minister, si iustus sit, *de condigno* sibi meretur gratiam, & gloriam: habetur ex 2. Tim. 4. ibi.

Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quàm reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solùm autem mihi; sed, & ijs, qui diligunt aduentum eius.

Satisfacit secũdò offerens in gratia cõstitutus, adhùc etiã prò suis peccatis, & prẹsertim, si hunc paritèr fidẽ intendat. Poteſtq; hunc fructũ satisfactionis *ex opere operantis* alteri quoq; applicare. Tertiò tandẽ potest propria intentione, &

affectu à Deo impetrare varia bona,tũ sibi,tũ alijs Lay.cit.

Sacrificium Missæ offerri potest pro omnibus fidelibus iustis viuentibus, tàm adultis, quám paruulis; & quidem pro adultis iustis vtilitèr, tùm *quoàd impetrationem*, tùm etiam paritèr *quoàd satisfactionem*; quandoquidem ipsi sint verè membra Ecclesiæ. Pró paruulis verò ritè baptizatis *solùm secundùm impetrationem*, missa celebratur.

Hisque enim in Missa impetratur perseuerantia in fide, & gratiæ augmentum, non verò *secundùm satisfactionem*; quià cum nullam actu commiserint culpam satisfactione minimé indigent. Adultis non tamen excommunicatis sacrificium Missæ, *impetratoriè* prodesse potest, impetrando, nimirùm, conuersionem, & pęnitentiam. Fructum verò satisfactionis peccatoribus sacrificium non impertitur.

Diximus *non excommunicatis saltèm non toleratis*, quia Missa sinè graui peccatò minimé offerri potest. Est enim hoc ab Ecclesia vetitum in cap. *A nobis de sentent. excom.* Quòd duobus concurrentibus limitatur. Primò si excommunicatus sit iam emendatus, & absolutionem exoptet. Secundò si Sacerdos offerat in persona Christi; nám tunc excommunicato etiam notorio, *impetratoriè, & satisfactoriè* Missa prodesse potest. Laym. citatus.

Et probatur ratione, quia sacrificium Missæ est publicũ ministerium in Ecclesiæ vtilitatem præcipuè institutum: igitur de eius vsu, sicuti, & de cæremonijs, alijsque accidentalibus ad Ecclesiæ potestatem disponere pertinet, & non minùs ad ipsius iurisdictionem, vt obseruauit Bellarminus lib. 2. cap. 6. de Missa.

Immò addimus insuper, quòd potestas consecrandi, & offerendi Missam pro quibuscunque viuentibus, & defunctis. quatenùs tamen ijdem reperiantur capaces, est annexa ordini Sacerdotali, & hoc solummodò ex Christi institutione.

Ex quo licèt Ecclesia prohibere possit, quominùs pro excommunicatis validè, & fructuosè dicantur suffragia, siuè preces publicæ, Missæ, canonica officia &c. in quibus dicen-

dicendis Minister Ecclesiæ vicem gerit: Nihilominùs minimè prohibere potest, quo minùs Sacerdos consecrandò in personam Christi, suè, vt illius Minister fructum principalem sacrificij validè applicet cuicumque ipse voluerit.

Confirmatur tandèm; quia eadem ratione Ecclesia impedire non potest, nè excommunicatus, aut irregularis validè Sacerdos ordinetur, vel saltèm ordinatus validè consecret; licèt impedire possit, quominùs communia Missæ suffragia validè, & fructuosè ab ipso dicantur, quia Ecclesia non vult per illum orare. S. Tho. 3. par. q. 82. ar. 7. ad 3. ex quo tota hæc doctrina desumpta est.

Excusaretur tamen Sacerdos offerens sacrificium pró excommunicato tolerato, licèt non sit contritus, quia, vt loquitur Sayrus de cens. lib. 2. c. 4. n. 6. & alij, in Concilio Constantiensi prohibitum est solùm communicare in Sacris, & Sacramentis, cum excommunicatis denunciatis, & notorijs Clericorum percussoribus; minimè verò cum toleratis. Bonac. de excom. disp. 2. q. 2. par. 1. §. 3. n. 5.

Adhuc etiám Missa dici poterit pro paganis, infidelibus, & Iudex *per modum deprecationis*, idest, vt ad fidem conuertantur. Probatur (licèt multi sint huic opinioni oppositi ex Apost. 1. ad Timoth. 2. ibi. *Obsecro fieri obsecrationes &c. pro omnibus, prò Regibus, & qui in sublimitate sunt* (Quales erant gentiles) *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Quem Apostoli locum, vt sequitur Layman loc. cit. eadem ratione de precibus, quæ Missæ sacrificio annexæ sũt intelligere videntur. S. Io. Chrisost. homil. 6. ad populum Antiochenum, & Concilium Bracarense 1. c. 35. licèt negent pro cathecumenis, sacrificium esse offerendum, & hoc auctoritate S. Augustini lib. 1. de origine animæ cap. 9. tom. 11. ibi. *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt membra Christi.*

De paganis, & Iudæis, vt diximus, confirmatur ex eo-

dem S. Augustino. Epist. 59. ad 5. quæst. Prospero lib. 1. de vocat. gentium c. 12. & clariùs ex Clemente lib. 8. constit. cap. 12. Quibus adhùc additur Tertullianus in libro *ad scapulam*, ibi. *Nos sacrificamus prò salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius. Sed quomodò præcepit Deus, pura prece, & non vti gentiles solent, odore aliquo, aut sanguine. Hæc enim demoniorum pabula sunt.*

Confirmatur insuper ex eo, quod etiam in veteri lege Iudæi pro gentilibus sacrificare soliti fuerant lib. 1. Esdræ c. 6. *pro salute Darij, & filiorum eius*. lib. 2. Machab. c. 12. *pro Spartiatis*, & lib. 2. c. 3. *pro salute Heliodori*, vt ingenuissimè refert eruditus Layman loc. cit. in fine.

Animabus existentibus in Purgatorio, adhùc sacrificium Missæ prodesse potest. patet ex ipso vsu S. M. Ecclesiæ, quæ illud pro defunctis semper offerre consueuit, ac de eisdem assiduè memoriam facere. Habetur insuper ex Trid. supra citato, ibi. *Sed, & prò defunctis in Christo nondùm ad plenũ purgatis &c.* ac denique ex ordinatione Sacerdotali, vbi dicitur *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis*.

Hìc verò spectaret, de indulgentijs nonnulla adnotari, quomodò nimirùm, fuerint eisdem animabus applicandæ, contra Græcos, Armenos, Nestorianus, & Iacobitas, inquientes, sed temerè, quòd animæ à corporibus exutæ antè extremum iudicij diem, nec beatitudine, neque pænarum remissione frui, & luere: ex falsissimo fundamento, dixerunt nullum post obitum adesse Purgatorium.

Quàm infaustam, & deplorabilem miseriam, ni dicam hæresim prosequuti sũt Vualdenses, Rutheni, Albanenses. Immò ipse informis, & excommunicatus Lutherus, prorsùs ex Sacris Scripturis negans Purgatorium, quod est contra Euangelistam Ioannem in Apocalipsi 6. 7. & 11. & 14. Contra Apostolum ad Ephes. 4. Philip. 1. Corint. 5. Lucam 13. & 16. contra Iob. 21. Isaiam 5. Ecclesiast. 9. & Numeri 16. vt optimè discurrit Rundericus tit. 18. ar. 1.

No-

Nobis autem Catholicam veritatem profitentibus satis est hic firmare, quód ex sacris literis habeatur, & á SS. PP. fuerit stabilitum, & á Tridentina Synodo ordinatum non solùm superiùs insinuata; Verùm etiam inferiùs demostrandum. Deum esse Iudicem iustum, & consequentér cuique iuxtá opera sua redditurum, vt aperté colligitur ex Symbolo Sancti Athanasij Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ.

Nec hic omittamus. quód Creator omnium Deus, requirere debeat satisfactionem prò æterna pæna, iàm per pænitentiæ Sacramentum in re, vel saltém in voto in temporali commutata, quam, vel hic, vel in futuro sæculo soluere quis tenetur, vt habetur ex Apocalipsi 12. ibi. *Nullum coinquinatum intrabit in Regnū Cælorum*. Concludimus igitur, quód animæ in Purgatorij flammis purgantes, *per modum suffragij: non verò iudicij, & authoritatis* coadiuuari possunt, vt exactissimè seruat S. M. Ecclesia á Spiritu Sancto optimé edocta, vt bené colligitur ex Trid. sess. 6. can. 30. & sess. 25. in principio, ibi.

Si quis, post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pænitenti, ità culpam remitti, & reatum æternæ pænæ deleri, dixerit, vt nullùs remaneat reatus pænæ temporalis exoluenda, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequàm ad regna Cælorum aditus potere possit, anathema sit.

Decretum de Purgatorio.

CVM Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in Sacris Concilijs, & nouissimè in hac œcumenica Synodo, docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi damnatas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuuari. Præcipit S. Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam à SS. Patribus, & Sacris Concilijs traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter studeant &c.

Ha-

Hactenùs, sed pauca de Animabus in Purgatorio existentibus diximus, ad præsens adhùc restat de Beatis nonnulla paritèr esse fatendum, sed breuiter; An nimirùm, pro eisdem Sacrificium Missæ offerri possit? Resp. affirmatiuè, quatenùs tamèn est laudis, quiá *vti impetratorium*, nequaquám offerendum erit; quandoquidèm Beati sicut ab omni culpa, & pœna liberi, & immunes, ac minimè orationibus fidelium indigeant.

Immò, vt ait Innocentius in cap. Marthæ in sess. 4. de aqua vino miscenda alias descripto, *Iniuriam infert Martyri, qui orat pro Martyre*; habetur ex S. Augustino serm. 17. de verbis Apostoli, & in S. Ioan. tract. 84 ibi. *Non sic Sanctos commemoramus, quemadmodùm alios, qui in pace requiescunt; vt etiàm prò eis oremus; sed magis, vt ipsi orent pro nobis.*

Sacrificium verò pro Beatis offerri potest; *quatenùs est laudis, & gratiarum actionis*, eòquòd cum Deo sacrificamus, illum laudamus, & non minùs eidem gratias referimus pro Sanctorum victoria, meritis, & gloria, illorumque depræcatione nostras preces exaudiri petimus, vt dicit S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei c. 27. & lib. 22. c. 10. & docet Trid. sess. 22. c. 3. ibi.

Et quamuis in honorem, & memoriam Sanctorum, nonnullas interdùm Missas Ecclesia celebrare consueuerit, non tamèn illis Sacrificium offerri docet; sed Deo soli, qui illos coronauit; Vndè nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, & Paule: sed Deo de illorum Victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cęlis, quorum memoriam facimus in terris.

Quæres. Quomodò sit Sacrificium Missæ applicandum? Resp. Si loquamur de valore Missę speciali *ex opere operato*, eius applicatio pendet ab intentione Ministri sacrificantis, itaùt illi soli prosit, prò quo Minister intēdit celebrare, & non alteri. Ratio est, quiá Sacerdos ex vi suæ ordinationis constitutus est á Christo Minister, & dispensator ministeriorum, ac donorum Dei. Colligitur ex forma verborum,

rum, quibus Sacerdos ordinatur, ibi. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium prò viuis, & defunctis.*

Ex quo fundamento, colligitur primò, quod Sacerdos celebrans, nulli tamèn applicando valorem specialem, nec explicitè, nequè virtualitér, vel incapaci applicando, huiusmòdi fructum in thesauro Ecclesiæ fore remansurum: Vel potiùs, quià vnusquisque Sacerdos habet saltèm intentionem virtualem, & generalem voluntatem, qua celebrando intendit sibi prodesse; quantum potest huiusmòdi valor, ex vi talis intentionis.

Vndè multi Authores asserunt consultum esse, vt Sacerdos celebraturus sempèr habeat intentionem conditionatam hoc modo, vt fatetur Layman. *Offero Sacrificium prò Patre meo defuncto, si is non indigeat, pro fratribus, & cognatis, vel alijs indigentibus. Itèm offero sacrificium pro Ioanne, e.g. & si is fructus satisfactionis capax non sit, vt mihi proueniat.*

Colligitur secundò, quòd hæc intentio applicandi valorem *operis operati* ex persona Christi, debet immediatè antecedere ipsam consecrationem, vel saltèm ante absolutam consecrationem habere, cum intentio subsequens consecrationem nihil efficeret; quià eatenùs potest Sacerdos huiusmòdi fructum *ex opere operato* dispensare; quatenùs personam Christi repræsentat; sed hoc facit Sacerdos, dùm actu consecrat; ergò si tùnc nulli applicaret hunc valorem, illum ampliùs minimé præstare potest.

Colligitur tertiò, quòd cum satisfactio *ex opere operantis* ipsius Sacerdotis correspondeat singulis actionibus Missæ, quæ intér celebrandum ab ipsomet Sacerdote exercentur, necesse est, quòd tota hæc satisfactio prosit ei, pro quo Missa celebratur, & sic Sacerdos, antequám celebrare incipiat, tali personæ valorem Missæ applicare tenetur. Alioquin si hæc applicatio fieret ab Euangelio, solùm circá reliquum Missæ prodesset, exclusiuè, quoád partes anteriores.

Sed

Sed clariùs. Satisfactio enim *ex opere operantis* prodesset quidèm ei, prò quo Missa offertur; sed ab Euangelio tantùm, & deinceps non illa, quæ antè Euangelium alijs partibus celebrantis Sacerdotis correspondet, quæ nimirùm, satisfactio, cum succeſsiuè proueniat, ex actionibus, quas succeſsiuè Sacerdos exercet, non potest suspensa manere quoad vllam sui partem, & sic necessarió sequitur, quód, vel in thesauro Ecclesiæ reponi debeat, vel, vt suprá diximus, ex implicita celebrantis voluntate ipsimet applicatur.

Colligitur quarto, quód si Sacerdos contrá obligationem iustitiæ, & superioris præceptum applicet Missam vni personæ, vel prò suo aliquo fine cùm ex iustitia, vel obedientia deberet applicare alteri, vel pro alio fine, illicité quidém faceret, sed applicatio sortiretur effectum iuxtá intentionem Sacerdotis applicantis, minimè veró secundùm intentionem dantis eleemosynam, vel Prælati præcipientis.

Ratio est, quia hæc applicatio, cum sit actus potestatis ordinis á Christo immediatè communicatæ, igitùr non ab alieno arbitrio, & imperio pendet quoad validum vsum, vt liquidó patet in confectione omnium Sacramentorum, quæ á Ministro contrá quamcumque prohibitionem, & Ecclesiasticam censuram validè conficiuntur (excepto tamèn Sacramento pœnitentiæ.) Idemque dicendum est de fructu *ex opere operantis*, cum vtraque applicatio celebrantis potestati, & non alienæ subiacere videatur.

Colligitur quintó, minimè esse applicandam alteri Missam validè sub conditione de futuro, puta, si Sacerdos diceret, ego hanc Missam applico, quam modò sum celebraturus illi, quem nunc Deus præuidet, quod mihi priùs sequenti hebdomada pro Missa celebranda, dabit eleemosynam.

Ratio est, quia, cum hæc applicatio dependeat á conditione futura posita in illius libertate dantis eleemosynam, & to-

& toto hoc tempore possit dare, vel non dare, igitùr valori Missæ suspensus remaneret, quandoquidèm esset apposita, vel non apposita ipsa applicatio, quod neutrum dici possit, quià magnum esset absurdum, vt diximus, de Sacramentis, quæ confici debent per absolutam intentionem, non tamén dependentem á conditione de futuro; itá firmamus de valore Missæ ex Christi institutione. Layman. loc. cit.

Nequé secundum dici potest, alioquin applicare existenti in culpa lethali valorem Missæ, ipse valor post hebdomadam eidem prodesset, quandò fuisset in gratia constitutus, & sic dici adhùc posset Missa pro infante, vel alio non indigente, vt eisdem prodesset, quando post lapsum in peccatum iustificarentur, quæ omnia sunt absurda, cum tali modo, nequaquàm Missa applicari validè possit. Et fortiùs, quià fuit hoc vetitum á S. Congreg. Conc. vt refert Cenado q. 28. n. 9. ibi.

Superioribus diebus significatum fuit SS. D. N. paucis ab hinc annis in Hispania, nouam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinionem mixtam, seù cum receptam, in diem magis inualuisse, vt Sacerdotes Missæ celebrantes eius valorem generalem applicent ijs, qui post Missas celebrationem postulaturi, ac prò ea eleemosynam præbituri sunt, tamètsi antequàm Missæ sacrificium perageretur, nequè à Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa eleemosynam præstitissent, quàm rem cum Sanctitas Sua ad S. Cong. Card. Conc. Trid. interpretum pro materiæ grauitate examinandam remisisset in ipsa Congregatione de ea actum fuit diligentissimè, ac deindè relatum ad Sanctitatem Suam, quæ in eius Congregationis sententia huiusmòdi consuetudinē tanquàm multis nominibus periculosam fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto more Ecclesiæ nimiùm abhorrentem explosit, & improbauit.

Diximus *sub conditione de futuro*, quià secùs dicendum est, si Missæ Sacrificium sub conditione de præterito, vel de præsenti offeratur; quià valida equidèm erit oblatio, &

illi personæ proficua, pro qua offertur, & fortiùs, quià si hoc modo conferantur Sacramenta, vt diximus. valida erit collatio, nimirùm, *Baptizo te si homo es, si baptizatus non es. Absoluo te à peccatis, si capax es*, & ita dici potest. *Offero secundum eam intentionem, quam hodie in sacrificio Prælatus meus habuit*, aut *quam ipse me habere cupit*. Vel *offero pro illo, qui hodie plurimum pecuniæ in gazophilacium emisit*. Præterea, *offero Sacrificium pro ea persona, quæ præterito tempore, ex tali Communitate*, vel *Benefactorum numero mortua est*. Ità Layman. &c.

De fructibus, ex Missa prouenientibus, & de eorum maiori explicatione.

PRo maiori explicatione fructuum ex Missa prouenientium, notandum est. quòd Missa dupliciter considerari potest. Primò, quatenùs formalitèr est sacrificium, sicut diximus in principio huius tractatus, & essentialitèr consistit in sola consecratione, vt paritèr firmauimus de SS. Eucharistia. Secundo adhùc Missa considerari potest, vt est quoddam aggregatum, ex multis precibus, & orationibus, quæ ex Ecclesiastico præcepto in ea recitari, & legi debent, his præmissis.

Dicimus, Missæ (quatenùs Sacrificium formalitèr est) triplex correspondet fructus, & quilibet *ex opere operato*. Primus dicitur generalis. Secundus specialis. Tertius medius. Fructus generalis *ex opere operato* ille est, quem Ecclesia vult, vt Sacerdos nomine ipsius offerat pro Papa, Imperatore, Regibus, Episcopis, & tota Ecclesia militante. Quem fructum Sacerdos, alijs particularibus minimè applicare potest. Angelus verò Miss. n. 52.

Fructus specialis *ex opere operato* ille est, qui applicatur Sacerdoti offerenti Missam, vti personæ priuatæ, & cæteris cooffentibus, vt sunt, qui Missæ inseruiunt, Cappellam instituunt, & eleemosynam dederunt, vt Missa pro eisdem offe-

offeratur, ità cum alijs Scortia lib. 11. c. 9. q. 3. de Missa. Scotus autèm quodlib. 20. ar. 29. asserit huiusmòdi fructum specialem ità esse proprium celebrantis, vt ipse nequeat etiamsi velit, alteri applicare.

Sed rectiùs dicendum est, Sacerdotem posse de hoc fructu speciali pro suo libito disponere, eumque alijs applicare, ità cum alijs Sotus in 4. sent. dist. 13. q. 2. ar. 1. ibi. Alij verò sunt pro quibus specialissimè offertur, nàm præter illam generalem applicationem Ecclesiæ, relicta esset Sacerdoti facultas, vt dum alio obligationis vinculo non tenetur, scilicèt, animarum cura, liberæ possit sacrificium specialiter prò hoc, aut illo offerre.

Fructus deniq; medius *ex opere operato* ille dicitur, quem Sacrificium Missæ habet, tanquàm oblatum á Sacerdote nomine Christi, vt notat Henriquez hìc lib. 9. c. 17. Alij verò huiusmòdi fructum appellant specialem, qui ijs competit, pro quibus intendit Sacerdos sacrificium specialitèr offerre, & applicare iuxtá praxim Ecclesiæ, quæ sacrificium modò pro vno, & modò altero specialitèr offerri, & applicari consueuit.

Si verò consideretur Missa, non, vt formalitèr sacrificium est, sed, vt quoddam conflatum ex multis sacris precibus ab Ecclesia institutis, & vt vnum omnia simùl constituunt opus religiosum, & pium, tùnc enim sicùti quodlibet pium opus exercitum in gratia, habet, vt sit meritorium, impetratorium, & satisfactorium, itá etiam Missæ á Sacerdote existente in gratia, celebratæ correspondebit triplex fructus, meriti scilicèt, impetrationis, & satisfactionis. Qui omnes adhùc proueniunt tám ex Missa, quàm ex recitatione Diuini Officij, ieiunio &c.

Intèr huiusmòdi triplices descriptos fructus, illud est discrimen, quod meritum nulli alteri potest applicari, quiá proprium est solius Sacerdotis celebrantis. Impetratio verò, & satisfactio, qui dicuntur fructus *ex opere operantis*, possunt prò libito Sacerdotis, vel sibi, vel alijs applicari, si-

cuti pariter docent Doctores de alio quocunque opere pio; vt innuimus in 2. §. & clariùs in 4.

11 Ex dictis igitùr asserere possumus, quòd Missa accepta sub ratione veri Sacrificij, non confert formalitèr, & directè gratiam iustificantem, nequè *ex opere operato* eius augmentum. Poterit nihilominùs æquè benè vtrumque effectum conferre, quatenùs est Sacramentum iuxtá superiùs deducta, & cum alijs eruditè obseruat Card. Delugo in præsenti disp. 19. n. 24. ibi.

Suppono enim non conferri gratiam *ex opere operato* immediatè per hoc Sacrificium, vt Sacrificium est; sed solùm, quatenùs Sacramentum, ex qua sententia benè inferri poterit, consummationem Corporis, & sumptionem Sanguinis in Missa oblati, non pertinere ad hoc Sacrificium, tanquám partem essentialem, vt aliàs diximus. Aliòqui falsum esset, quòd Sacrificium Missæ, vt tale minimè *ex opere operato* conferat gratiam, quòd licèt aliqui id concedant, parùm tamèn coherentèr asserunt consummationem speciei oblatæ, pertinere ad essentiam Sacrificij Missæ.

12 Pro complemento deniquè præsentis capitis, & corroboratione prænotatæ sententiæ Card. Delugo, affertur auctoritas Leonardi Lessij de Sacrificio, & Adoratione, lib. 2. c. 38. dubit. 2. n. 16. ibi. Hinc patet, in mysterio Eucharistiæ frustrá rationem sacrificij quæri in alia actione, quám in consecratione: Hæc enim abundè sufficiant ad Sacrificij valorem, siuè sumptio dicenda sit pars illius sacrificij, vt á Christo est institutum, siuè non &c.

Varia resoluuntur dubia circà obligationem applicandi Sacrificium Missæ, ratione ob id accepta eleemosyna.

Ntequám ad huiusmodi dubia finienda deueniamus; priùs dilucidanda videtur illa scitu necessaria diffi-

cultas,& aurea quæstio : An nimirùm liceat aliquid pacisci,& exigi possit prò labore intrinseco sacræ actioni annexo, puta, de labore in celebrando sacro, administrandis Sacramentis, vel saltèm faciendis sacris functionibus, scilicèt, in consecrandis Ecclesijs, orando, & sic de alijs &c.

Indubitatum est, quòd quamplurimi censuerunt Doctores id licere, intèr quos primus fuit Adrianus quodlib. 9.ar.1.litt.D. idemque expresse docuit Altisiodorensis 3.p. q.penult.de Simonia. S.Bonauentura dist.25.q.vlt.ibi. *Prò labore, qui est in celebratione Missarum, & similibus, posse pretium exigi.* Ricchardus ead.dist.ar.3.q.2.ait *Episcopum recipere posse procurationem dùm consecrat Ecclesias, tanquàm debitam prò labore, & Clericos dicentes officium prò defunctis, posse accipere mercedem pro suo labore.*

Armacanus lib.10.quæstionum Armen.c.10.ex Scripturis Sacris probat, laboranti in ministrandis Sacramentis, in officio prædicationis, & similibus, licitum esse pro labore huiusmòdi per annuum censum, oblationes, aliosque modos honestos necessaria vitæ sumere, imò exigère, si aliundè non habeat; quià Numer. 18. legitur. *Filijs Leui dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis*, & inferiùs, *Comedetis eas in omnibus locis vestris &c. quià pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij.*

Glossa in cap. *Significatum est de præbendis* dicit, *Sacerdotem posse recipere mercedem pro suo labore, si alias ratione Beneficij ad illum non teneatur*. Confirmatur idem 1.q.2. cap. finali, ex Concilio Agathensi, vbi dicitur. *Clerici stipendia sanctis laboribus debita secundùm seruitij sui meritum à Sacerdotibus consequantur.*

Néc minùs defuerunt alij contrarium sentientes, ac docentes esse Simoniam si pecunia pro huiusmòdi labore exigatur, ità S.Tho.in 4.dist.25.q.3. ar.2. Durandus ibidem q.3.n.10. Paludanus ibidem q. 3. ar. 3. Syluester verbo Simonia q.9. Caietanus art. 3. q.100. Sotus lib.9. c.6. ar.1.

idem

idem tenet Innocentius, & Hostiensis in cit. *cap. significatum de praebendis*, & passim Canonistae.

Huiusmòdi sententiam probant; quiá hic labor, itá sacrae rationi coniunctus est, vt ipsa absque eo, nullo modo fieri possit: Est enim actio materialis, in qua consideratur inesse Sanctitas, nimirùm, locutio, motioque membrorum promanans ab intellectu, & voluntate. Vndè nihil est aliud, quàm ipsa sacra. Ergò non potest vendi sine iniuria Sanctitatis intimé coniunctae.

Rursùs probatur, quià hic labor nullam habet aestimationem in mortales, nisi ex ipsa santitate actionis. Labor enim, qui sustinetur á Sacerdote in muneribus sacris minimé aestimari poterit, nisi ob gratiam spiritualem coniunctam, vel indé manantem, hisque tamèn hinc, inde dispositis.

Ad conciliandam vtranque sententiam deuenimus, & consequentér dicimús rectè ambos intellectas, veras videri posse. Si enim loquamur de pretio, vel mercede sustentationis, vera quidém est prior sententia; nec minùs Doctores defendentes secundam, illam impugnare intendunt, eò, quòd solùm loquuntur de mercede, quae praecisè labori respondet, tanquàm rei vendibili, non autém habita ratione sustentationis, vt occurrit in rebus temporalibus.

Quòd igitùr veré, & proprié pro labore, molestia, & temporis impendio, quae in functionibus spiritualibus subeuntur, liceat exigere mercedem ad vitae sustentationem, & sui status, patet ex Matth. 10. ibi. *Dignus est operarius cibo suo*, & Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*; ac eadem Apostolus 1. ad Timoth. 5. repetit. Sed quarè dignus, nisi ratione laboris, molestiarum, defatigationum, & temporis impensarum, quae ipse subit in aliorum vtilitatem, & commodum?

Confirmatur insupèr, quià non est dignus mercede sustentationis temporalis, ratione bonorum spiritualium,

quae

quæ ipse alijs confert, neque ratione actionis Sacræ, quam confert. Si enim hæc omnia conferre posset sine labore, & temporis iactura, minimè sustentationis stipendium posset exigere. Immò esset vera simonia, quandoquidèm esset rem temporalem, nimirùm, sumptus alimentorum exigere, pro re purè spirituali.

Ex quo perspicum est, adesse magnum discrimen intèr actionem Sacram, qua parte Sacra est, & qua parte est laboriosa, requirens tempus, & impediens alias functiones lucrosas, quibus alioquin incumbere quis posset. Quatenùs enim Sacra est, non efficit dignum mercede temporali, vel illum ius tribuit compensationis. Quatenùs autèm laboriosa, & diuturna, & consequentèr aliorum lucrorum impeditiua, efficit propriè dignum prætio, necessariò ad sustentationem, & ad illud ius tribuit, non minùs quàm labor in re temporali.

Si enim ei, qui in commodum alterius, in negotio temporali vires suas impendit, labores, & fatigationes sustinet, tempusque consumit, ex iustitia debetur merces, cur non etiam ei, qui eadem facit in negotio spiritualis salutis? Quòd si operarius mercede dignus est, certum ipsum quoque opus, modo prædicto, spectatum, dignum est pretio ad sustentationem necessariò. Nàm operarius proptèr opus dignus est.

Hac igitùr ratione, discurrit Lessius de simon. lib. 2. cap. 25. dub. 8. qui facit Sacrum in gratiam alterius, qui concionatur, confessiones audit. &c. potest exigere aliquid temporale ad se alendum pro suo labore, & tempore impenso absquè vitio simoniæ. Verùm, quià non omnis labor, qui in singulis actionibus ponitur, meretur integram illius diei sustentationem; Seruandum est id, quòd vsu receptum est, & à Prælatis approbatum, vèl constitutum.

E'contrà verò supponimus, Sacerdotem licitè, & ex iustitia ad dicendam Missam pro petente, & vicissim petentem similitèr ex iustitia, posse obligari ad dandum ob id sti-

stipendium, nequé in huiusmodi mutua conuentione simoniæ crimen committitur, vt suprà firmauimus, cum minimè temporale pro re spirituali detur, sed temporale, pró temporali. Delugo hic disp. 21. sect. 1. 13. & seqq.

Diximus, *Seruandum est id, quod vsu receptum est, & à Prelatis approbatum*. Ad præsens insupér supponendum est, illud dici iustum stipendium prò Missa celebranda non solùm quod, vel lege Prælati Ecclesiastici, vel consuetudine taxatum est, verùm etiám id, quod adhúc intér partes fuit conuentum, vt sané colligitur ex Decretis Sacræ Congregationis, vi infrà.

Sed hìc dubitari potest. An si Sacerdos stipendium accipiat minús iusto, puta, medium Iulium ab vno, deindè alio medio iulio accepto ab alia persona, possit posteà vtrique vnam Missam applicare? Respondetur quòd licèt multi Doctores affirmatiuam sustinuerint sententiam. Ad præsens in praxim minimé deduci potest, quià, quòd sequitur absolutê obstat.

Decretum de celebratione Missarum, editum cum auctoritate SS. D. N. PP. Vrbani VIII. anno 1625. vbi ad propositum dubium: An Sacerdotes recipientes stipendium minùs congruo, teneantur Missas, illis ab offerente præscriptas celebrare? Respondetur teneri.

Hoc tamén; vt existimamus, intelligendum est, quandò Sacerdos offerenti stipendium minùs iusto, non manifestauit se minimê posse totam Missam pro ea exigua stipe ipsi applicare: sed ea accepta siluit. Secùs tamèn si hoc manifestato, petens Missam consensisset, quandquidèm tùnc in hoc ipse, non esset, nisi irrationabilitér inuitus; immò potiùs illa dimidiata Missa contentus censeretur circà huiusmodi applicationem.

Alterum dubium esse potest, nimirùm; An Sacerdos pró Missis celebrandis, recipiens stipendium longè maiùs taxato, vel consueto, possit alteri Sacerdoti Missarum celebrationem demandare assignando eidem iustum stipendium,

dium, excessum tamen sibi ipsi retinendo? Respondetur licèt fuerit affirmatiua sententia. Hodiè verò negatiua est in praxi obseruanda, ex Decreto Sacræ Congregationis ibi. *Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti &c.*

Nihilominùs in duplici casu hoc limitandum videtur: Primò, quandò dans elemosynam, cui immediatè committitur Missa celebranda spontè condonaret illum excessum Sacerdoti, vel alteri cuicunque à se Missam petenti, & solùm contentus esset iusto stipendio. Ioan. de Crux, & Homobonus de exam. Ecc. par. 1. tract. 4. cap. 14. q. 191.

Ratio est, quià túnc nulli fieret iniuria, non ipsi celebraturo, & hoc certum est (supponimus enim hunc spontè, & liberè dare) Nequè ei, qui primò. Missam petit; nàm illi fructus Missæ ità proueniret in tali casu; ac si totum eius stipendium prò huiusmòdi Sacrificio fuisset applicatum, & hoc verum est; nàm tùnc idem prorsùs esset, ac si Sacerdos celebraturus accepisset totam pecuniam, & posteà eius partem donasset immediatè offerenti.

Immò ob eamdem rationem idem omninò dicendum est de Sacerdote, qui spontè prò stipendio nimis congruo celebrare vellet, puta, prò medio iulio, quandoquidèm nulla lege, aùt consuetudine prohiberi potest, nè Sacerdotes liberè recipere possint stipendium minùs iusto pro celebratione Missæ, vt firmauit Villalob. par. 1. sum. tract. 8. diff. 15. num. 4.

Secundus casus est, qnandò, qui dat eleemosynam minimè inuitus esset, si mediator sibi partem pretij retineret iuxtà celebraturo attributa, quià tùnc nulli fieret iniuria, vt legenti patet: Hac tamèn conditione existente, nimirùm, vt huiusmòdi voluntas ipsi mediatori clarè, & euidentér sit nota, adhoc, vt omnia euitentur inconuenientia, scilicèt vtriusque partis præiudicium.

Dubitari adhùc poterit de Parochis, & alijs locorum piorum Administratoribus; An sit eisdem licitum, vt possint

 sint

ſint partem pretij retinere pro compenſatione expenſarum, quas ipſi faciunt in manutentione omnium rerum, quæ Miſſis celebrandis ſunt neceſſariæ? De Parochis id quidèm expreſsè concedit Sotus lib. 9. de iuſt. qu. 3. sèd hoc fuit reſolutum ab EE. DD. Card. Congr. Conc. ibi.

Ad ſeptimum. Reſpondet permittendum, non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeù illorum Adminiſtratores, vt eleemoſynarum Miſſarum celebrandarum, nullam vteunque minimam portionem retineant, ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca pia ipſa alios non habeant redditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tùnc, quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expenſarum, quæ prò ipſomet tantùm Miſsæ Sacrificio ſunt ſubeundæ, & nihilominùs etiàm in eo caſu, curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt expenſis, vt ſuprà deductis abſolutè tòt Miſſæ celebrentur, quòt præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynam.

Diximus, *Valorem particularem prouenientem, ex Sacrificio Miſsæ, ex opere operato, poſse à Sacerdote pro ſuo libito alteri applicari.* Ad præſens quæritur; Vtrum poſſit Sacerdos prò applicatione huius valoris particularis, ſibi debiti, recipere congruum ſtipendium?

Et quidèm, prima facie, videtur affirmatiuè reſpondendum, eò, quià hic valor particularis, cum adhùc Sacerdos celebret prò ſtipe accepta, non applicatur ei, qui ſtipem dedit. Huic ènim ſolùm ex iuſtitia valor medius eſt applicandus: Non verò valor particularis, qui, vt aliqui volunt, non poteſt ab ipſo celebrante ſeparari, & ex contraria ſententia valdè probabili, adhùc ètiam habetur, quòd ipſe particularis valor, ſit alteri applicabilis, & ſit eiuſdem rationis cum valore medio. Henriquez lib. 19. cap. 21. num. 7.

Si igitùr celebrans Miſſam, cui applicaret medium valorem; alteri verò particularem (firma tamèn remanente ſententia P. Henriq.) neutrum defraudaret, eò, quià vterque in Miſſæ celebratione tantam fructus portionem haberet;

ret; quantam habuisset si vtrique sigillàtim in duabus Missis valor medius applicatus fuisset.

Ex quo sequeretur, quòd cum hìc nulla interuenerit iniustitia, posset Sacerdos, hoc modo, applicare vni valorem medium; alteri verò valorem eiusdem Sacrificij particularem, & sic duplex stipendium prò vna Missa accipere, vt cum Peierino tenet Bartholomæus à S. Fausto in tract. de Euch. lib. 2. q. 158. qui ambo scripserunt pòst editum nocitatum Decretum, cui hanc opinionem minimè obstare existimant.

Huiusmòdi tamèn sententia in Missis ex iustitia celebrandis communitèr reijcitur; quià incertum est, an ille valor particularis æqualitèr valori medio correspondeat, adeòut ex Nauarro tract. 15. num. 151. habetur minimè æquari valorem medium à valore particulari cuiuslibet Missæ; sed ad eum æquandum in vna Missa videri valorem particularem, requiri trium Missarum.

Tùm etiàm, quià est in opinione, an valor particularis possit à Sacerdote alijs applicari. Multi enim id negant. præsertim Bonacina cum alijs hìc, ac deniquè, quià expressè Decretum Sacræ Congregationis, in cuius declaratione ad quartum habetur. *Non posse Sacerdotes eadem Missa duabus obligationibus satisfacere.*

Et coràm Alexandro VII. sub die 14. Septembris 1665. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Vniuersalis Inquisitionis fuit damnatum, quòd sequitur ad §. 8. 9. & 10. ibi. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos prò eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiã specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.*

De obligatione celebrandi Missas, tàm ratione Capellæ, quàm Beneficij.

PRæmittendum est, Capellaniam (proùt facit ad rem præsentem) dupliccm esse. Primam temporalem, &

& non collatiuam, & illa dicitur, quæ instituta est sinè Episcopi auctoritate, licét sit perpetua, & ab Episcopo minimè conferatur, sed ab ipso Fundatore, vel saltèm ab eius Hæredibus.

Huiusmòdi Capellania, non est Beneficium, vel de illa prouisus Capellanus Beneficiarius dici potest, ità Doctores communitèr. Ex quo sequitur, quòd talis Capellanus, non dicitur percipere fructus Ecclesiasticos, sed tantùmmodò temporale stipendium, ratione præstiti temporalis laboris. Vide Layman lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 6.

Alterius generis Capellaniæ (quæ auctoritate Episcopi instituitur) est collatiua, & dicitur propriè Beneficium Ecclesiasticum, licét ad nutum Episcopi, vel Patroni auferri possit, contrà Nauarr. cons. 8. asserentem de iure patronatus n. 10. Beneficia Ecclesiastica per voluntatem Papæ, vel consuetudinem immemorabilem, posse fieri manualia, seù ad nutum amouibilia, his præmissis.

Dubitatur, an Capellanus per se ipsum, vel per alium Missas celebrare teneatur? Respondetur, quòd in hoc debemus inspicere tenorem testamenti, seù institutionis Capellaniæ, nàm si in ea expresse dicatur, quòd Sacerdos per se, vel per alium celebret, nulla extat difficultas, sicùti è contrà dicatur, quòd tantùm celebret per se ipsum.

At verò si hæc, & similia in huiusmòdi institutione habeantur, puta, eligatur Capellanus, qui quotidiè celebret Missam; tùnc equidèm per se ipsum celebrare teneretur. Ità Nauarrus de præbendis cons. 6. num. 2. cum multis alijs.

Petes, an quãdò potest Capellanus per alios celebrare teneatur celebraturo totũ assignare stipẽdiũ correspõdens illi celebrationi, etiàmsi fortè sit valdè pingue, ac possit sibi excessum retinere, dato Sacerdoti celebranti congruum, vel etiàm minùs congruo? Respondetur, quòd circà hoc dubium exstat S. Congr. Decretum ibi.

Ad octauum, non habere locum, sed satis esse, vt Rector bene-

neficij, qui potest Missas per alios celebrare, si det Sacerdoti celebraturo congruam eleemosynam secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud sit cautum.

Ex qua declaratione deduci potest, Capellanum minimè teneri ad dandum stipendium iuxtà rationem redditus beneficij correspondentis cuilibet Missæ in particulari, sed posse sibi retento excessu, congruam alteri dare stipem. ità hic Delugo, & dictam declarationem habere locum etiàm in Capellano, qui per alium satisfacit oneri Missarum, cum eadem sit ratio de ipso.

Nos verò hac vtimur distinctione, nimirùm, si Capellania sit Ecclesiasticum beneficium, & in beneficij titulum Capellano collata. Adducta declaratio, quæ in terminis loquitur de beneficij redditibus, tùnc benè procedit. At si Capellania sit merè temporalis, & non collatiua, nèc in titulum beneficij sit erecta, & ità Capellanus solùm recipiat stipendium sui laboris, & non fructus beneficij iuxtà positam distinctionem.

In tali casu, si stipendium correspondens cuilibet Missæ congruam stipem puta, vnius iulij excedat, censemus, Capellanum teneri ad dandum Sacerdoti celebraturo illum excessum, quo inuito, illum sibi retinere minimè poterit, vt diximus, quià præfata declaratio solùm procedit in beneficiorum redditibus, qui non recipiuntur ob solam obligationem celebrandi Missas, sèd alios ob titulos.

Addimus insupèr, quòd obligatio celebrandi Missas, ratione eleemosynæ, & stipendij manualis substantialitèr non differt. Idem enim est deputari Capellanum ad celebrandum, tèr, vel quatèr, qualibet hebdomada, quàm si testator suos grauaret hæredes, nulla erecta Capellania, vt qualibet, hebdomada tèr, vel quatèr Missas celebrare facerent in perpetuum, iusto dato stipendio, prò qualibet Missa.

Confirmatur quià, Capellaniarum stipendia, regulariter

ſequimur ſententiam Patris Suarez, his ſequentibus verbis loquentis.

Nullam in hoc certam regulam dari poſſe; sèd conſulendam eſſe conſuetudinem, àt ſi de ea nihil certi conſtet, Epiſcopum in hoc debere certum aliquid ſtatuere; quòd ſi hoc,non faciat,prudenti arbitrio Parochi relinquendum eſt.

Nunquàm tamèn credo ad hoc obligatum fore ſub mortali, cum nō conſtet de tali obligatione,vel per tabulas Eccleſiæ, vel per præceptum Epiſcopi; quià in præiuditium tertij, non eſt inducenda obligatio,niſi per claras probationes, quales non ſunt hìc; ſèd potiùs coniecturæ, licèt rationabiles.

Quæres, an quandò ex fundatione Capellaniæ dicenda eſt Miſſa in altari deſignato, ſatisfaciat Capellanus alibi celebrando? Nauarrus in manuali cap. 25. num. 135. firmat,peccare mortalitèr Capellanum non dicentem tòt, & tales Miſſas, quòt, & quales, & quo in loco ipſe tenetur abſquè rationabili cauſa, & iuſto impedimento, & quas omiſit, vt debet, non complet.

In eadem perſiſtit ſententia Facundez lib. 3. in primum ecc. præceptum cap. 9. nu. 2. ſic inquiens. Si Capellaniæ fundator dixerit. Volo, vt res diuinæ fiant in tali templo, Oratorio, Sacello, vel altari; in ijſdem locis tenetur de iuſtitia Sacerdos Capellanus eaſdem Miſſas dicere per ſe, quandò perſonalitèr tenetur in eo loco ſacrificare, &c.

Ratio eſt, quià tùnc à fundatore eligitur ipſius Capellæ locus particularis ad ſacrificandum, & ideó de iuſtitia tenetur Sacerdos in eodem loco celebrare proptèr ſtipendium acceptum, & pactum implicitum intèr partes, & tenetur ad reſtitutionem ſi abſquè impedimento in alio loco celebret. Voluit enim Inſtitutor Capellæ, vt huiuſmòdi locus à ſe deſignatus magis frequentaretur, & coleretur, citat ipſe Author multos Doctores.

Verùm nos hac vtimur diſtinctione: aùt Capellanus abſquè legitima cauſa in altari deſignato, poteſt celebrare, & in

&in alio celebrat, in tali casu si sæpius id faceret, mortalitèr peccaret; Si verò alibi ex rationabili causa celebret, tùnc ex præsumpta Institutoris voluntate, nullius culpæ reus erit censendus.

Séd quid dicendum si fortè Ecclesia, in qua erat fundata Capella sit diruta: nùm Sacerdos alibi celebrare teneatur? Respondetur cum distinctione: nàm, vel finis fundatoris fuit solùm illiùs erectæ Capellæ, puta, in titulum alicuius Sancti, vel eam instituit tantummodò prò populi commoditate, vel saltèm ob suæ familiæ memoriam.

Et sìc ad omnes huiusmòdi fines, secundario, & minùs principalitèr, ac accessoriè ordinauit celebrationem Missæ, & consequentèr dicendum videtur Capellanum minimè teneri alibi celebrare, vbì institutoris finis non obtineretur vbi Delugo dicit, quòd Capellanus in tali casu, quando, scilicèt, Capella extaret, non posset sinè graui culpa alibi sacrificium celebrare, quià in re graui Institutoris intentionem defraudaret.

At si finis principalis, vèl æquè principalis testatoris fuit, vt Missæ celebrentur, tùnc consequentèr dicendum foret, teneri Capellanum alibi celebrando intenrioni testatoris satisfacere, sicùti ob eamdem rationem id Card. Delugo in præsenti, & alij asserunt, si non adesset Capella, Capellanum minimè commissurum culpam lethalem alibi Missas celebrando.

Nos verò, nè à veritate abberremus, dicimus, vniuersalitèr loquendo, Capellanum sempèr alibi teneri celebrare; quando Capella est legitimè impedita, quià fundatores, estò, quòd possint habere pro fine principali populi commodum, altaris cultum, Sancti deuotionem, &c. adhùc cum huiusmòdi fine, est alius coniùnctus saltèm æquè principalis, qui est Missarum celebratio, de quo fine sempèr datur præsumptio, & per consequens etiàmsi cesset primus nempè, impedita præscripta Capella, non tamèn cessare videtur Missarum celebratio.

idem tenet Innocentius, & Hostiensis in cit. cap. *significatum de prabendis*, & passim Canonistæ.

Huiusmòdi sententiam probant; quiá hic labor, itá sacræ rationi coniunctus est, vt ipsa absque eo, nullo modo fieri possit: Est enim actio materialis, in qua consideratur inesse Sanctitas, nimirùm, locutio, motioque membrorum promanans ab intellectu, & voluntate. Vndè nihil est aliud, quàm ipsa sacra. Ergò non potest vendi sine iniuria Sanctitatis intimé coniunctæ.

Rursùs probatur, quià hic labor nullam habet æstimationem in mortales, nisi ex ipsa santitate actionis. Labor enim, qui sustinetur á Sacerdote in muneribus sacris minimé æstimari poterit, nisi ob gratiam spiritualem coniunctam, vel indé manantem, hisque tamèn hinc, inde dispositis.

Ad conciliandam vtranque sententiam deuenimus, & consequentér dicimús recté ambos intellectas, veras videri posse. Si enim loquamur de pretio, vel mercede sustentationis, vera quidém est prior sententia; nec minùs Doctores defendentes secundam, illam impugnare intendunt, cò, quòd solùm loquuntur de mercede, quæ præcisè labori respondet, tanquàm rei vendibili, non autém habita ratione sustentationis, vt occurrit in rebus temporalibus.

Quòd igitùr veré, & proprié pro labore, molestia, & temporis impendio, quæ in functionibus spiritualibus subeuntur, liceat exigere mercedem ad vitæ sustentationem, & sui status, patet ex Matth. 10. ibi. *Dignus est operarius cibo suo*, & Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*; ac eadem Apostolus 1. ad Timoth. 5. repetit. Sed quarè dignus, nisi ratione laboris, molestiarum, defatigationum. & temporis impensarum, quæ ipse subit in aliorum vtilitatem, & commodum?

Confirmatur insupèr, quià non est dignus mercede sustentationis temporalis, ratione bonorum spiritualium,

quæ

quæ ipse alijs confert, neque ratione actionis Sacræ, quam confert. Si enim hæc omnia conferre posset sine labore, & temporis iactura, minimè sustentationis stipendium posset exigere. Immò esset vera simonia, quandoquidèm esset rem temporalem, nimirùm, sumptus alimentorum exigere, pro re purè spirituali.

Ex quo perspicum est, adesse magnum discrimen intèr actionem Sacram, qua parte Sacra est, & qua parte est laboriosa, requirens tempus, & impediens alias functiones lucrosas, quibus alioquin incumbere quis posset. Quatenùs enim Sacra est, non efficit dignum mercede temporali, vel illum ius tribuit compensationis. Quatenùs autèm laboriosa, & diuturna, & consequentèr aliorum lucrorum impeditiua, efficit propriè dignum prætio, necessariò ad sustentationem, & ad illud ius tribuit, non minùs quàm labor in re temporali.

Si enim ei, qui in commodum alterius, in negotio temporali vires suas impendit, labores, & fatigationes sustinet, tempusque consumit, ex iustitia debetur merces, cur non etiam ei, qui eadem facit in negotio spiritualis salutis? Quòd si operarius mercede dignus est, certum ipsum quoque opus, modo prædicto, spectatum, dignum est pretio ad sustentationem necessariò. Nàm operarius proptèr opus dignus est.

Hac igitùr ratione, discurrit Lessius de simon. lib. 2. cap. 25. dub. 8. qui facit Sacrum in gratiam alterius, qui concionatur, confessiones audit. &c. potest exigere aliquid temporale ad se alendum pro suo labore, & tempore impenso absquè vitio simoniæ. Verùm, quià non omnis labor, qui in singulis actionibus ponitur, meretur integram illius diei sustentationem; Seruandum est id, quòd vsu receptum est, & à Prælatis approbatum, vèl constitutum.

E'contrà verò supponimus, Sacerdotem licitè, & ex iustitia ad dicendam Missam pro petente, & vicissim petentem similitèr ex iustitia, posse obligari ad dandum ob id

sti-

stipendium, nequè in huiusmodi mutua conuentione simoniæ crimen committitur, vt suprà firmauimus, cum minimè temporale pro re spirituali detur, sed temporale, prò temporali. Delugo hic disp. 21. sect. 1. 13. & seqq.

Diximus, *Seruandum est id, quod vsu receptum est, & à Prelatis approbatum*. Ad præsens insupér supponendum est, illud dici iustum stipendium prò Missa celebranda non solùm quod, vel lege Prælati Ecclesiastici, vel consuetudine taxatum est, verùm etiám id, quod adhúc intér partes fuit conuentum, vt lané colligitur ex Decretis Sacræ Congregationis, vt infrà.

Sed hìc dubitari potest. An si Sacerdos stipendium accipiat minús iusto, puta, medium Iulium ab vno, deindè alio medio iulio accepto ab alia persona, possit posteà vtrique vnam Missam applicare? Respondetur quòd licèt multi Doctores affirmatiuam sustinuerint sententiam. Ad præsens in praxim minimé deduci potest, quià, quòd sequitur absolutê obstat.

Decretum de celebratione Missarum, editum cum auctoritate SS. D. N. PP. Vrbani VIII. anno 1625. vbi ad propositum dubium: An Sacerdotes recipientes stipendium minùs congruo, teneantur Missas, illis ab offerente præscriptas celebrare? Re*spondetur teneri.*

Hoc tamén; vt existimamus, intelligendum est, quandò Sacerdos offerenti stipendium minùs iusto, non manifestauit se minimê posse totam Missam pro ea exigua stipe ipsi applicare: sed ea accepta siluit. Secùs tamèn si hoc manifestato, petens Missam consensisset, quandquidèm tùnc in hoc ipse, non esset, nisi irrationabilitér inuitus, immò potiùs illa dimidiata Missa contentus censeretur circà huiusmodi applicationem.

Alterum dubium esse potest, nimirùm; An Sacerdos prò Missis celebrandis, recipiens stipendium longè maiùs taxato, vel consueto, possit alteri Sacerdoti Missarum celebrationem demandare assignando eidem iustum stipendium,

dium, excessum tamèn sibi ipsi retinendo? Respondetur, licèt fuerit affirmatiua sententia. Hodiè verò negatiua est in praxi obseruanda, ex Decreto Sacræ Congregationis ibi. *Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti &c.*

Nihilominùs in duplici casu hoc limitandum videtur. Primò, quandò dans eleemosynam, cui immediatè committitur Missa celebranda spontè condonaret illum excessum Sacerdoti, vel alteri cuicunque à se Missam petenti, & solùm contentus esset iusto stipendio. Ioan. de Crux, & Homobonus de exam. Ecc. par. 1. tract. 4. cap. 14. q. 191.

Ratio est, quià tùnc nulli fieret iniuria, non ipsi celebraturo, & hoc certum est (supponimus enim hunc spontè, & liberè dare) Nequè ei, qui primò. Missam petit; nàm illi fructus Missæ ità proueniret in tali casu; ac si totum eius stipendium prò huiusmòdi Sacrificio fuisset applicatum, & hoc verum est; nàm tùnc idem prorsùs esset, ac si Sacerdos celebraturus accepisset totam pecuniam, & posteà eius partem donasset immediatè offerenti.

Immò ob eamdem rationem idem omninò dicendum est de Sacerdote, qui spontè prò stipendio nimis congruo celebrare vellet, puta, prò medio iulio, quandoquidèm nulla lege, aùt consuetudine prohiberi potest, nè Sacerdotes liberè recipere possint stipendium minùs iusto pro celebratione Missæ, vt firmauit Villalob. par. 1. sum. tract. 8. diff. 15. num. 4.

Secundus casus est, qnandò, qui dat eleemosynam minimè inuitus esset, si mediator sibi partem pretij retineret iuxtà celebraturo attributa, quià tùnc nulli fieret iniuria, vt legenti patet: Hac tamèn conditione existente, nimirùm, vt huiusmòdi voluntas ipsi mediatori clarè, & euidentèr sit nota, adhoc, vt omnia euitentur inconuenientia, scilicèt vtriusque partis præiudicium.

Dubitari adhùc poterit de Parochis, & alijs locorum piorum Administratoribus; An sit eisdem licitum, vt possint

sint

sint partem pretij retinere pro compensatione expensarum, quas ipsi faciunt in manutentione omnium rerum, quæ Missis celebrandis sunt necessariæ? De Parochis id quidèm expresse concedit Sotus lib. 9. de iust. qu. 3. sèd hoc fuit resolutum ab EE. DD. Card. Congr. Conc. ibi.

Ad septimum. Respondet permittendum, non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seù illorum Administratores, vt eleemosynarum Missarum celebrandarum, nullam vtcunque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia ipsa alios non habeant redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tùnc, quam portionem retinebant, nullatenùs debere excedere valorem expensarum, quæ prò ipsomet tantùm Missæ Sacrificio sunt subeundæ, & nihilominùs etiàm in eo casu, curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt expensis, vt suprà deductis absolutè tòt Missæ celebrentur, quòt præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam.

Diximus, *Valorem particularem prouenientem, ex Sacrificio Missæ, ex opere operato, posse à Sacerdote pro suo libito alteri applicari.* Ad præsens quæritur; Vtrum possit Sacerdos prò applicatione huius valoris particularis, sibi debiti, recipere congruum stipendium?

Et quidèm, prima facie, videtur affirmatiuè respondendum, eò, quià hic valor particularis, cum adhùc Sacerdos celebret prò stipe accepta, non applicatur ei, qui stipem dedit. Huic ènim solùm ex iustitia valor medius est applicandus: Non verò valor particularis, qui, vt aliqui volunt, non poteſt ab ipso celebrante separari, & ex contraria sententia valdè probabili, adhùc ètiam habetur, quòd ipse particularis valor, sit alteri applicabilis, & sit eiusdem rationis cum valore medio. Henriquez lib. 19. cap. 21. num. 7.

Si igitùr celebrans Missam, cui applicaret medium valorem; alteri verò particularem (firma tamèn remanente sententia P. Henriq.) neutrum defraudaret, eò, quià vterque in Missæ celebratione tantam fructus portionem haberet;

ret; quantam habuisset si vtrique sigillàtim in duabus Missis valor medius applicatus fuisset.

Ex quo sequeretur, quòd cum hìc nulla interuenerit iniustitia, posset Sacerdos, hoc modo, applicare vni valorem medium; alteri verò valorem eiusdem Sacrificij particularem, & sic duplex stipendium prò vna Missa accipere, vt cum Pelerino tenet Bartholomæus à S. Fausto in tract. de Euch. lib. 2. q. 158. qui ambo scripserunt pòst editum notatum Decretum, cui hanc opinionem minimè obstare existimant.

Huiusmòdi tamèn sententia in Missis ex iustitia celebrandis communitèr reijcitur; quià incertum est, an ille valor particularis æqualitèr valori medio correspondeat, adeòut ex Nauarro tract. 15. num. 151. habetur minimè æquari valorem medium à valore particulari cuiuslibet Missæ; sèd ad eum æquandum in vna Missa videri valorem particularem, requiri trium Missarum.

Tùm etiàm, quià est in opinione, an valor particularis possit à Sacerdote alijs applicari. Multi enim id negant. præsertim Bonacina cum alijs hìc, ac deniquè, quià expressè Decretum Sacræ Congregationis, in cuius declaratione ad quartum habetur. *Non posse Sacerdotes eadem Missa duabus obligationibus satisfacere.*

Et coràm Alexandro VII. sub die 14. Septembris 1665. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Vniuersalis Inquisitionis fuit damnatum, quòd sequitur ad §. 8. 9. & 10. ibi. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos prò eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiā specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.*

De obligatione celebrandi Missas, tàm ratione Capellæ, quàm Beneficij.

PRæmittendum est, Capellaniam (proùt facit ad rem præsentem) duplicem esse. Primam temporalem,

& non collatiuam, & illa dicitur, quæ instituta est sinè Episcopi auctoritate, licèt sit perpetua, & ab Episcopo minimè conferatur, sed ab ipso Fundatore, vel saltèm ab eius Hæredibus.

Huiusmòdi Capellania, non est Beneficium, vel de illa prouisus Capellanus Beneficiarius dici potest, ità Doctores communitèr. Ex quo sequitur, quòd talis Capellanus, non dicitur percipere fructus Ecclesiasticos, sed tantùmmodò temporale stipendium, ratione præstiti temporalis laboris. Vide Layman lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 6.

Alterius generis Capellaniæ (quæ auctoritate Episcopi instituitur) est collatiua, & dicitur propriè Beneficium Ecclesiasticum, licèt ad nutum Episcopi, vel Patroni auferri possit, contrà Nauarr. cons. 8. asserentem de iure patronatus n. 10. Beneficia Ecclesiastica per voluntatem Papæ, vel consuetudinem immemorabilem, posse fieri manualia, seù ad nutum amouibilia, his præmissis.

Dubitatur, an Capellanus per se ipsum, vel per alium Missas celebrare teneatur? Respondetur, quòd in hoc debemus inspicere tenorem testamenti, seù institutionis Capellaniæ, nàm si in ea expresè dicatur, quòd Sacerdos per se, vel per alium celebret, nulla extat difficultas, sicùti è contrà dicatur, quòd tantùm celebret per se ipsum.

At verò si hæc, & similia in huiusmòdi institutione habeantur, puta, eligatur Capellanus, qui quotidiè celebret Missam; tùnc equidèm per se ipsum celebrare teneretur. Ità Nauarrus de præbendis cons. 6. num. 2. cum multis alijs.

Petes, an quādò potest Capellanus per alios celebrare teneatur celebraturo totū assignare stipēdiū correspōdens illi celebrationi, etiàmsi fortè sit valdè pingue, ac possit sibi excessum retinere, dato Sacerdoti celebranti congruum, vel etiàm minùs congruo? Respondetur, quòd circà hoc dubium exstat S. Congr. Decretum ibi.

Ad attandum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector be-

ne-

neficij, qui potest Missas per alios celebrare, si det Sacerdoti celebraturo congruam Eleemosynam secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud sit cautum.

Ex qua declaratione deduci potest, Capellanum minimè teneri ad dandum stipendium iuxtà rationem redditus beneficij correspondentis cuilibet Missæ in particulari, sed posse sibi retento excessu, congruam alteri dare stipem. ità hìc Delugo, & dictam declarationem habere locum etiàm in Capellano, qui per alium satisfacit oneri Missarum, cum eadem sit ratio de ipso.

Nos verò hac vtimur distinctione, nimirùm, si Capellania sit Ecclesiasticum beneficium, & in beneficij titulum Capellano collata. Adducta declaratio, quæ in terminis loquitur de beneficij redditibus, tùnc benè procedit. At si Capellania sit merè temporalis, & non collatiua, nèc in titulum beneficij sit erecta, & ità Capellanus solùm recipiat stipendium sui laboris, & non fructus beneficij iuxtà positam distinctionem.

In tali casu, si stipendium correspondens cuilibet Missæ congruam stipem puta, vnius iulij excedat, censemus, Capellanum teneri ad dandum Sacerdoti celebraturo illum excessum, quo inuito, illum sibi retinere minimè poterit, vt diximus, quià præfata declaratio solùm procedit in beneficiorum redditibus, qui non recipiuntur ob solam obligationem celebrandi Missas, sèd alios ob titulos.

Addimus insupèr, quòd obligatio celebrandi Missas, ratione eleemosynæ, & stipendij manualis substantialitèr non differt. Idem enim est deputari Capellanum ad celebrandum, tèr, vel quatèr, qualibet hebdomada, quàm si testator suos grauaret hæredes, nulla erecta Capellania, vt qualibet, hebdomada tèr, vel quatèr Missas celebrare facerent in perpetuum, iusto dato stipendio, prò qualibet Missa.

Confirmatur quià, Capellaniarum stipendia, regularitèr

riter loquendo, ità ſunt inſtituta, vt in ſingulas Miſſas diſtributa, ſtipendio conſueto, minimè ſint vberiora, vt patet ex multis Capellanijs. Sèd iàm ex Sacra Congregatione, firmauimus totam eleemoſynam, quantumùis exceſſiuam Sacerdoti celebraturo dandam eſsè, ergò idem dicendum eſt de huiuſmòdi Capellanijs, firmo remanente Sacræ Congregationis decreto, alias verò rationes, quibus hoc probari poteſt, cauſa breuitatis omittimus.

Sèd aliud ad præſens dubium inſurgit. An, nimirùm, Capellani beneficiarij, & Parochi quandò ratione capellæ, vel beneficij celebrare tenentur, poſſint prò illis Miſſis ſtipendium accipere, & videtur negatiuè reſpondendum ex alio decreto Sacræ Congregationis ibi.

Ad quartam. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione beneficij, ſeù Capellæ (intellige collatiuę, non temporalis) legati, aùt ſalarij, ſi eleemoſynas prò alijs etiàm Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ex alia parte, omnes Doctores huiuſmòdi obligationem, in his, & ſimilibus beneficijs, & Capellanis minimè cognoſcunt (de collatiuis loquimur) nàm de temporalibus eorum ſententia, non procedit, quià, vt ait Vaſquez hic diſp. 234. c. 4. num. 25. Nemo etiàm dubitat, alios Beneficiarios, qui curam animarum non habent ad celebrandum prò aliquo, ratione beneficij, nunquàm teneri: Cum quàmvis aliqua eiuſmòdi Beneficia ſint inſtituta prò adminiſtratione Sacramentorum, atquè aliorum diuinorum celebratione in populi vtilitatem; tamén nullum eorum eſt inſtitutum ad celebrandum prò aliquo, & fructum beneficij ei applicandum.

Sèd màgis explicitè, & clariùs loquitur Suarez de Sacr. tom. 3. diſp. 86. ſect. 1. Reliqua verò beneficia ſimplici proptèr alios fines inſtituta, quæ huiuſmòdi onus ex vi ſuæ inſtitutionis expreſsè non imponunt, néc de illo ſufficientèr conſtat ex conſuetudine, aùt alia lege, vel ſtatuto,

tuto, inducere huiusmòdi obligationem.

Ratio est, quià beneficium datur proptér officium solùm; ergò obligat ad illud officium proptér quod datur. Sèd hæc beneficia, nòn dantur proptér hoc officium dicendi Missam prò hac, vel illa intentione, sèd proptér officium psalendi, aùt alio modo inseruiendi Ecclesiæ, ergò non obligat hoc officium offerendi Missam prò hac, vel illa intentione particulari.

Huiusmòdi autèm sunt multę dignitates Ecclesiasticæ, Canonicatus, Portiones, Præstimonia, & alia similia beneficia simplicia, quià potiùs quàm, cum officio, seù munere horum beneficiorum sit interdùm coniunctum onus cantandi, vel dicendi Missam in tali Ecclesia, nihilominùs per se, & ex vi eorum, non oritur obligatio illam Missam applicandi prò hac, vel illa intentione, nisi aliundè ex particulari consuetudine, aùt statuto, talis Ecclesiæ constet, quià illa duo sunt valdè diuersa, & vnum per se, & directè non sequitur ex alio, hactenùs Suarez.

Petes, An Parochus, vel Capitulum, quo loco Parochi extat, teneantur applicare Missam suis Parochianis, quandò de huiusmòdi obligatione minimè constat? Sotus de iustitia lib. 9. q. 3. ar. 1. firmat, teneri ad celebrandum quotidiè si redditus ad illos alendos sint sufficientes, sin minùs tèr, vel quatèr in hebdomada, pro qualitate redditúum, iuxtà Episcopi iudicium.

Toletus lib. 5. cap. 5. num. 3. in fine dicit. Crediderim tamèn sufficere celebrare Dominicis, & diebus festiuis, & aliquòt etiàm ex diebus alijs, licèt, non omnibus celebret. In hoc tamèn multùm consuetudo attendenda, & obseruanda est. Cum tamèn impeditus est, debet suis expensis alium substituere, quì pro eo celebret.

Posseuinus de officio Curati, de Sacrificio Missæ cap. 2, num. 4. asserit. Sèd quià est aliud teneri ad dicendum Missam, vt eam audiant Parochiani: Aliud verò teneri ad offerendum prò ipsis, & ex vno aliud non infertur. Nos verò

sequi-

ſequimur ſententiam Patris Suarez, his ſequentibus verbis loquentis.

Nullam in hoc certam regulam dari poſſe; sèd conſulendam eſſe conſuetudinem, àt ſi de ea nihil certi conſtet, Epiſcopum in hoc debere certum aliquid ſtatuere; quòd ſi hoc, non faciat, prudenti arbitrio Parochi relinquendum eſt.

Nunquàm tamèn credo ad hoc obligatum fore ſub mortali, cum nõ conſtet de tali obligatione, vel per tabulas Eccleſiæ, vel per præceptum Epiſcopi; quià in præiuditium tertij, non eſt inducenda obligatio, niſi per claras probationes, quales non ſunt hìc; ſèd potiùs coniecturæ, licèt rationabiles.

Quæres, an quandò ex fundatione Capellaniæ dicenda eſt Miſſa in altari deſignato, ſatisfaciat Capellanus alibi celebrando? Nauarrus in manuali cap. 25. num. 135. firmat, peccare mortalitèr Capellanum non dicentem tòt, & tales Miſſas, quòt, & quales, & quo in loco ipſe tenetur abſquè rationabili cauſa, & iuſto impedimento, & quas omiſit, vt debet, non complet.

In eadem perſiſtit ſententia Facundez lib. 3. in primum ecc. præceptum cap. 9. nu. 2. ſic inquiens. Si Capellaniæ fundator dixerit. Volo, vt res diuinæ fiant in tali templo, Oratorio, Sacello, vel altari; in iiſdem locis tenetur de iuſtitia Sacerdos Capellanus eaſdem Miſſas dicere per ſe, quandò perſonalitèr tenetur in eo loco ſacrificare, &c.

Ratio eſt, quià tùnc à fundatore eligitur ipſius Capellæ locus particularis ad ſacrificandum, & ideò de iuſtitia tenetur Sacerdos in eodem loco celebrare proptèr ſtipendium acceptum, & pactum implicitum initum intèr partes, & tenetur ad reſtitutionem ſi abſquè impedimento in alio loco celebret. Voluit enim Inſtitutor Capellæ, vt huiuſmòdi locus à ſe deſignatus magis frequentaretur, & coleretur, citat ipſe Author multos Doctores.

Verùm nos hac vtimur diſtinctione: aùt Capellanus abſquè legitima cauſa in altari deſignato, poteſt celebrare,

& in

& in alio celebrat, in tali casu si sæpius id faceret, mortalitèr peccaret; Si verò alibi ex rationabili causa celebret, tùnc ex præsumpta Institutoris voluntate, nullius culpæ reus erit censendus.

Séd quid dicendum si fortè Ecclesia, in qua erat fundata Capella sit diruta: nùm Sacerdos alibi celebrare teneatur? Respondetur cum distinctione: nàm, vel finis fundatoris fuit solùm illiùs erectæ Capellæ, puta, in titulum alicuius Sancti, vel eam instituit tantummodò prò populi commoditate, vel saltèm ob suæ familiæ memoriam.

Et sìc ad omnes huiusmòdi fines, secundario, & minùs principalitèr, ac accessoriè ordinauit celebrationem Missæ, & consequentèr dicendum videtur Capellanum minimè teneri alibi celebrare, vbì institutoris finis non obtineretur vbi Delugo dicit, quòd Capellanus in tali casu, quando, scilicèt, Capella extaret, non posset sinè graui culpa alibi sacrificium celebrare, quià in re graui Institutoris intentionem defraudaret.

At si finis principalis, vèl æquè principalis testatoris fuit, vt Missæ celebrentur, tùnc consequentèr dicendum foret, teneri Capellanum alibi celebrando intentioni testatoris satisfacere, sicùti ob eamdem rationem id Card. Delugo in præsenti, & alij asserunt, si non adesset Capella, Capellanum minimè commissurum culpam lethalem alibi Missas celebrando.

Nos verò, nè à veritate abberremus, dicimus, vniuersalitèr loquendo, Capellanum sempèr alibi teneri celebrare; quando Capella est legitimè impedita, quiá fundatores, estò, quòd possint habere pro fine principali populi commodum, altaris cultum, Sancti deuotionem, &c. adhùc cum huiusmòdi fine, est alius coniùnctus saltèm æquè principalis, qui est Missarum celebratio, de quo fine sempèr datur præsumptio, & per consequens etiàmsi cesset primus nempè, impedita præscripta Capella, non tamèn cessare videtur Missarum celebratio.

Statuimus igitùr, in hac præsenti materia, vniuersalem regulam, nimirùm, in Capellanijs, quæ solùm habent onus celebrandi Missas, fundatorum intentionem sempèr esse seruandam, quià, primò, & principalitèr sibi præscribunt Missas, vt celebrentur, minùs verò principalitèr, vel ad summum aequè principalitèr, vt in tali altari, Capella, Oratorio, Ecclesia, &c. dicantur.

Et licèt aliquandò possit cessare finis hic secundus, nihilominùs adhuc vrgebit sempèr, & ad sempèr primus, scilicèt, quoàd Missæ celebrationem, & sic, vt diximus, Capellanum prouentum recipientem suæ obligationi satisfacere debere, iuxtà vulgatam regulam *Iuris in sexto. Qui sentit commodum, debet sentire incommodum*, & fortiùs, quià hoc absolutè dependet saltèm ex præsumpta voluntate testatoris.

Sèd quid, si Capellania fuerit instituta ad celebrandam Missam de Requie, qualibet feria secunda cuiuscumque hebdomadæ, vèl de B. Maria Virgine quocunque die Saturni; satisfacit né Capellanus, in huiusmòdi diebus, Missam celebrando de occurrentibus festis?

Respondetur regularitèr loquendo, teneri Capellanum Missam in fundatione præscriptam celebrare, quià ad id obligat testatoris intentio, quæ omninò sempèr seruanda est, & insupèr, quià talis præscripta Missa meliùs conducit ad finem ab ipso intentum, puta, liberationis animæ in Purgatorio existentis, eò, quòd ob specialem offerentis intentionem, & speciales Missæ orationes maior fructus tàm impetrationis, quàm satisfactionis, colligatur.

Ex quo inferri potest, licitum esse celebrare Missam votiuam, vèl prò defunctis, etiàmsi secundum Missalis ordinationem de simplici, vèl semiduplici Missa esset dicenda, quòd equidèm nullam patitur difficultatem, quandò celebranda est Missa, vèl de feria, vèl de simplici, &c. Patet ex Cap. *Quidem de celeb. Miss.* ibi.

Quidam Laicorum habent in consuetudine, vt per singulos dies audiant Euangelium. In Principio erat Verbum; & Missas peculiares: hoc est, de Sancta Trinitate, & de S. Michaele; & ideò Sancitum est in eodem Concilio, vt vlterius hoc non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit proptèr reuerentiam SS. *Trinitatis, non prò alia deuotione audire. Sèd si voluerint, vt sibi Missa cantentur, de eodem die Missas audiant, & etiàm defunctorum.*

Verùm maxima difficultas est, quandò in diem Lunæ, vèl saturni, occurrerit festum duplex, & aliundè institutor præcipit, vt his eisdem diebus omninò prò defunctis, vèl de B. Maria Virgine Sacrificium Missæ celebretur. Nonnulli respondent, quòd cum quælibet Missa sit æqualis valoris principalis, benè persolueretur obligatio, si dicatur occurrens Missa in eadem die, siuè sit de feria, siuè de Sancto Simplici, vel semiduplici, ac si Missa iàm petita celebretur.

Alij verò, & meliùs solummodò exigunt, posse Missam applicare occurrentem, quandò est dies Dominicus, vèl est festum duplex, quòd si occurrat in diem Lunæ, vél saturni, vtiquè Sacerdos satisfaciet, si loco Missæ defunctorum, vèl de B. Virgine Maria, dicat Missam festi duplicis, eò quòd talis præsumatur petentis intentio, nimirùm, quòd velit se conformare Ecclesiæ ordinationi. Secùs tamèn quandò iuxtà Missalis rubricas potest Missa celebrari aliàs præscripta.

Quòd si festò duplici, vèl semiduplici occurrente, dicatur Missa principalis de festo, vèl etiàm de Dominica, poterit eadem die, in eadem Ecclesia alia dici Missa, vèl votiua, vèl prò defunctis, cum hoc minimè sit contrà rubricas Missalis B. Pij V. ibi. Quando fit officium duplex, vel semiduplex, Missa principalis oportet, vt sit ea die.

Ex quo infert Layman hic, Alteram Missam minùs principalem etiàm in festò duplici, posse esse votiuam, vèl pro

defunctis, sèd omninò est seruanda consuetudo loci; Præsente tamèn Cadauere in Ecclesia, in quà vnus tantùm esset Sacerdos adhùc, etiàm die Dominico, vt aliàs diximus Missa de requie posset celebrari.

Petes, An obligatus, qualibet feria quinta, sexta, & Sabbato celebrare, huiusmòdi Missas in hebdomada maiori, vèl antè, vèl pòst, sacrificare teneatur? Respondetur quòd cum feria sexta celebratio Missæ omninò sit ab Ecclesia interdicta; præsumitur fundatoris voluntas pró ea die se voluisse huic ecclesiastico iuri conformare, & consequentèr minimè teneri nèc ea die, nqué anté, minùsque pòst, illam omissam, celebrare.

Quòad feriam quintam, & sabbatũ possumus vti hac distinctione. Nàm, vèl Capellanus vult his diebus celebrare, vèl non, si primùm tenetur applicare iuxtà finem Institutoris; Si verò secundùm licité, his diebus à celebratione cessare potest, nequè ad hoc tenetur licentiam petere, minùsque alias subrogare Missas hebdomada sequenti. Ratio secundi est, quià testator præsumitur se noluisse consuetudini opponere, quàm ipse his diebus non celebrandi supponit adesse.

Hìc magnum, sèd frequens occurrit dubium, An nimirùm, Capellanus prò tempore, quo ægrotat, ad celebrandum, in suum locum, alium sustituere teneatur? Riccius in sua praxi p. 1. resol. 340. num. 5. & cum Fraxinello Molfesius, & alij cum Barbosa de potestate Episcopi p. 2. alleg. 24. num. 21. asserunt non teneri prò aliquo breui tempore, quòd tale breue tempus, putant esse octo, vel decèm dies.

Tabiena verb Missa n. 45 Syluester verb. Missa 1. quæsito 7. n. 7. ad finem Azorius p. 1. lib. 10. cap. 24. 9. 7. col. 1. litt. B. Rodriquez in summa cap. 252. conclus. 3. fol. 306. Henriquez lib. 6. de Missa. cap. 24. num. 4. fol. 550. & alij ferê communitèr respondent teneri per alium supplere, vèl te-

stitu-

stituere hæredibus capellæ institutoris stipendiam conrespondens Missis non celebratis.

Bonacina disp.4.q.vlt.p.8.n.17.sic loquitur. Sicùt Conc. Trid.concedit Parochis facultatem,qua possint spatio duorum mensium ex legitima causa, singulis annis abesse, existimans hoc non esse longum, & sufficiens spatium, ad inducendam illis obligationem restituendi ratione absentiæ, ità modicum, & breue spatium eg. quindècim dierum non videtur sufficiens ad obligandum Sacerdotem ad restitutionem, vel ad celebrationem per alium, dato infirmitatis casu.

Petrus Nauarra, cum alijs quàmplurimis adhùc extendit huiusmòdi tempus ad vnum, vèl duos menses, hisque paritèr consentire videtur Card. Delugo, qui in præsenti multos adducit Authores, intèr quos insinuat Rodriquez, & Stephanum Auilam, & ipse testatur ità sensisse in quodam manuscripto à se bené viso; & nè longum progrediamur sermonem, multos, & multos alios Doctores omittimus citandos.

In tot, tantisque diuersorum scribentium sententijs, pro praxi minimè opinio nostra erit obliuioni demandanda, nimirúm, cum institutore Capellæ, vel eiusdem hæredibus esse concordandum, quoniàm si isti reclamant in tanta Missarum intercapedine, quas in tali casu exigunt, vt per alium Missæ celebrentur, nihil obstante Capellani infirmitate, parùm, aùt nihil Capellano prodesset Petri Nauarræ, & aliorum sententia.

Et fortiùs, quià in eo casu, in quo Capellania fuerit instituta, vt Missæ celebrentur, vèl per Capellanum, vèl per sustitutum, quòd si solummodò diceretur, vt Capellanus per se ipsum celebret, tùnc posset habere locum opinio præfata, cui tamèn resistit Genuensis in praxi Neapolitana. Cap.47. num. 2. & fortassé etiàm, vèl loci consuetudo, vèl saltèm executores testamentarij.

Peres,

defunctis, sèd omninò est seruanda consuetudo loci; Præsente tamèn Cadauere in Ecclesia, in quà vnus tantùm esset Sacerdos adhùc, etiàm die Dominico, vt aliàs diximus Missa de requie posset celebrari.

Petes, An obligatus, qualibet feria quinta, sexta, & Sabbato celebrare, huiusmòdi Missas in hebdomada maiori, vèl antè, vèl pòst, sacrificare teneatur? Respondetur quòd cum feria sexta celebratio Missæ omninò sit ab Ecclesia interdicta; præsumitur fundatoris voluntas prò ea die se voluisse huic ecclesiastico iuri conformare, & consequentèr minimè teneri nèc ea die, nqué anté, minùsque pòst, illam omissam, celebrare.

Quòad feriam quintam, & sabbatũ possumus vti hac distinctione. Nàm, vèl Capellanus vult his diebus celebrare, vèl non, si primùm tenetur applicare iuxtà finem Institutoris; Si verò secundùm licité, his diebus à celebratione cessare potest, nequè ad hoc tenetur licentiam petere, minùsque alias subrogare Missas hebdomada sequenti. Ratio secundi est, quià testator præsumitur se noluisse consuetudini opponere, quàm ipse his diebus non celebrandi supponit adesse.

Hìc magnum, sèd frequens occurrit dubium, An nimirùm, Capellanus prò tempore, quo ægrotat, ad celebrandum, in suum locum, alium sustituere teneatur? Riccius in sua praxi p. 1. resol. 340. num. 5. & cum Fraxinello Molfesius, & alij cum Barbosa de potestate Episcopi p. 2. alleg. 24. num. 21. asserunt non teneri prò aliquo breui tempore, quòd tale breue tempus, putant esse octo, vel decèm dies.

Tabiena verb Missa n. 45. Syluester verb. Missa 1. quæsito 7. n. 7. ad finem Azorius p. 1. lib. 10. cap. 24. q. 7. col. 1. litt. B. Rodriquez in summa cap. 252. conclus. 3. fol. 306. Henriquez lib. 6. de Missa. cap. 24. num. 4. fol. 550. & alij ferè communitèr respondent teneri per alium supplere, vèl te-

stitu-

stituere hæredibus capellæ institutoris stipendium conrespondens Missis non celebratis.

Bonacina disp.4.q.vlt.p.8.n.17.sic loquitur. Sicùt Conc. Trid.concedit Parochis facultatem,qua possint spatio duorum mensium ex legitima causa, singulis annis abesse, existimans hoc non esse longum, & sufficiens spatium, ad inducendam illis obligationem restituendi ratione absentiæ, ità modicum, & breue spatium eg. quindècim dierum non videtur sufficiens ad obligandum Sacerdotem ad restitutionem, vel ad celebrationem per alium, dato infirmitatis casu.

Petrus Nauarra, cum alijs quàmplurimis adhùc extendit huiusmòdi tempus ad vnum, vèl duos menses, hisque paritèr consentire videtur Card. Delugo, qui in præsenti multos adducit Authores, intèr quos insinuat Rodriquez, & Stephanum Auilam, & ipse testatur ità sensisse in quodam manuscripto à se bené viso; & nè longum progrediamur sermonem, multos, & multos alios Doctores omittimus citandos.

In tot, tantisque diuersorum scribentium sententijs, pro praxi minimè opinio nostra erit obliuioni demandanda, nimirúm, cum institutore Capellæ, vel eiusdem hæredibus esse concordandum, quoniàm si isti reclamant in tanta Missarum intercapedine, quas in tali casu exigunt, vt per alium Missæ celebrentur, nihil obstante Capellani infirmitate, parùm, aùt nihil Capellano prodesset Petri Nauarræ, & aliorum sententia.

Et fortiùs, quià in eo casu, in quo Capellania fuerit instituta, vt Missæ celebrentur, vèl per Capellanum, vèl per sustitutum, quòd si solummodò diceretur, vt Capellanus per se ipsum celebret, tùnc posset habere locum opinio præfata, cui tamèn resistit Genuensis in praxi Neapolitana. Cap.47. num. 2. & fortassè etiàm, vèl loci consuetudo, vèl saltèm executores testamentarij

Peres,

Peres, an obligatus Capellanus, quotidiè celebrare, pòssit, semèl in hebdomada á celebratione desistere? Bonac. vbi suprà p.7.§. 2. n.17. & multi ibi citati cum Panormitano, & Nauarro dicunt teneri per alium supplere, si in fundatione Capellaniæ non fuit electa persona, sèd solùm habita fuit ratio loci, aùt missæ celebrandæ, proùt accidit quando in fundatione dicitur. *Volo missam quotidiè celebrari in tali Altari*, vel si dicatur. *Obligo hęredem, vel Sacerdotem ad prouidendum de sacrificiò Missæ*, aùt dicatur Capellanus quotidié celebret per se, vel prouideat per alium.

Cum ènim fundator non habuerit intentionem obligandi Sacerdotem ad missam quotidiè per se ipsum celebrandam, nèc elegerit industriam; sèd intenderit quotidianam Missam absolutè, dicendum est Capellanum quotidiè teneri ad Missam per se, vel per alium sacrificare, quià non accidit impedimentum ex parte loci, ratione cuius Sacerdos eximatur ab obligatione celebrandi, ac etiàm quià non est recedendum á fundatoris voluntate, vt habetur *ex l. non aliter ff. de legatis.*

In casu verò, quo fuerit electa persona, puta, si dicatur *Eligatur Sacerdos, qui quotidiè celebret Missam*, aùt si dicatur, *volo, vt Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidiè celebret*, non tenetur Capellanus, qui semèl in hebdomada, iuxtà de causa Missæ sacrum intermittit per alium illã Missam supplere. Nàm obligatio quotidianæ Missæ (imposita Sacerdoti, intelligitur sempér salua decentia, & honestate, alioquin videretur iniungi obligatio ad faciendam rem illicitam, quòd minimè est admittendum.

Nauarrus aliàs cit. conf.6. de præbendis num.3. hoc intendit, vt interdùm liceat, non solùm ad vnam Missam tantùm; Verùm etiàm ad duas, in qualibet hebdomada, & ipsius ratio est, quiá intentio fundatoris præsumitur obligare Capellanum ad quotidianam Missæ celebrationem, quotiés honestè, & deuoté posset celebrare, & ad huiusmòdi

mòdi effectum, & finem, communitêr à Doctoribus conceditur Capellano vnius Missæ omissio in quacumque hebdomada.

Cuius Missæ omissionē omnes Authores volūt pertinere ad honestatem, & debitam reuerentiam, quæ tantùm decet sacrificium, & consequentér tám dignitate esse idonei, & digni minimé præsumuntur qualibet die celebrare Sacerdotes seculares, temporalibus negotijs intenti, ac multis, multisque curis impliciti, quòd verum est, quandoquidē, vt diximus æque bené hoc ab omnibus conceditur.

Séd nos prædictorum Authorum sententias, in sequentibus casibus limitamus. Primò, nisi quotidiana celebratio expresè, & distinctè in qualibet die, absqué vlla prorsùs intentione esset iniuncta. Secundò, vt hoc minimè fiat causa voluptatis, curiositatis, vel cupiditatis. Tertiò similitêr, quòd pro stipendio eam alteri minimé possit applicare. Quartò vt non sit obligatus celebrare per alium, séd per se ipsum ex vi fundationis Capellæ. Quintò deniqué vt Missa non sit ordinata ad locū determinatum, vél altare designatum, patet ex sequenti cap. de præbendis, ibi.

Significatum est nobis, quòd cuidam Sacerdoti præbendam vnam in Ecclesia vestra communi voluntate dedistis, itá quòd Missa de S. Maria (nisi corporis infirmitate grauatus sit) debeat quotidiè celebrare, & Ecclesiam vestram nonnisi communi tâm præpositi, quàm Capituli consensu possit dimittere, vèl cuiquam præbendæ illius anniuersarium delegare. Quàm siquidèm institutionem eatenùs confirmamus, vt prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentiùs potest (salua honestate sua, & debita deuotione) Missarum solemnia celebrare: Nèc sibi liceat hoc illi subtrahere, siuè causa voluptatis, siuè se ad aliam Ecclesiam transferendo.

De

De communi obligatione, quàm habent Sacerdotes celebrandi.

QVæres, an quilibét Sacerdos saltém aliquotiés in vita celebrare teneatur? Respondetur, duas esse in huiusmodi quæsito opiniones. Prima asserit Sacerdotem nullius lethalis culpæ foré reum. nunquàm in toto vitæ decursu sacrum conficere. Nituntur Doctores hanc assertioné probare eò, quiá circa hoc non extat præceptum, néc diuinum, nequé humanum, quod hoc præcipiat, quiá nullibi habetur.

Probant secundò, quiá potestas collata Sacerdotibus minimé hanc dicit obligationem, cum ex facultate, faciendum, non oriatur obligatio ad eundem actum exercendũ, vt loquuntur multi antiqui, & grauissimi Theologi, cessante tamén scandalo, & contemptu, & dummodò cum laicis tempore Paschatis SS. Eucharistiam ad satisfaciendum, vt moris est, Ecclesiastico præcepto sumant.

Secunda sententia probabilior est, & in praxi tenenda, Sacerdotes peccare mortalitér, nisi aliquotiés in anno, puta, ter. vel quater in festis præsertim solemnioribus sacrificium Missæ celebrent, itá S. Tho. q. 82. art. 10. Richard. in 7. dist. 13. ar. 2. q. 3. Paludanus ibidem q. 2. ar. 1. Nauar. cap. 22. num. 88. & nouissimé Pasqualigus de Sacr. nouæ legis tom. 2. q. 840. n. 12. & 841. n. 3. & alij plures.

Probatur huiusmòdi conclusio, primo ex Christi verbis. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis ait Tridentina Synodus sess. 22. can. 2. Christum Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, vt offerrent præcipesse, patet ibi: *Siquis dixerit, illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi aliÿque sacerdotes offerat corpus, & sanguinem suum, anathema sit,*

Probatur secundò ratione, quiá hæc est differentia intér

tér Sacramenta, & ſacrificium legis Euangelicæ, quod Sacramenta ad fidelium vſum referuntur, & ad eorum adminiſtrationem illi ſolummodò tenentur, qui fidelium curam gerunt. Sacrificium verò pertinet ad offerendum Deo, ad quod, quilibet Sacerdos obligatur; ratione ſuæ ordinationis. in qua poteſtatem, & ſacrificandi munus ſuſcepit.

Colligitur paritér ex Apoſt. ad Hæbr. c. 7. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus prò hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat, dona, & ſacrificia pro peccatis.* Ac proindè Sanctè loquitur Angelicus Doctor in 4. diſt. 3. par. 1. art. 2, quæſt. 2. ad 2. quód deploratur tāta temporis eius infelicitas, itaùt *Sacerdotes iàm non circà altaris officia dediti eſſent; sèd contempto templo, & ſacrificijs neglectis, feſtinarent participes fieri paleſtræ.*

Diximus *Sacerdotes tamèn tèr, vèl quatèr in anno celebrare*, quòd intêr omnes abuſus, hoc vtiqué numerari debet, vt conqueri videatur Innocentius, in ſequenti cap. *de celebratione Miſſarum*, ibi Séd priùs hìc nō omittamus S. Thomam, ex D. Ambroſio in quadam oratione ſic alloquentem *Graue eſt, quòd ad menſam tuam mundo corde. & manibus innocentibus non veniamus; sèd grauiùs eſt, ſi dùm peccata metuimus, etiàm ſacrificium non reddamus.*

Dolentes referimus, quòd non ſolùm quidam minores Clerici; Verùm etiàm aliqui Eccleſiarum Prælati, circà commeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas, (vt de alijs taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes vix ad diurnum concentum auium excitantur, tranſcurrendo vndique, continuò ſyncopa matutina.

Sunt, & alij, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quatèr in anno, & (quòd deteriùs eſt) intereſſe contemnunt: & ſi quandò dùm hæc celebrantur, interſint, ſilentium fugientes intendunt exteriùs collocutionibus laicorum; dùmque auditum ad in debitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina.

Hæc igitùr, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitùs inhibemus

mus districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, paritèr, & diurnum. quantùm eis Deus dederit studiosũ celebrent paritèr; & deuotè.

Nos verò hìc loquimur de ijs, qui ad celebrandum nulla obligatione sunt astricti, quià de obligatis fusiùs in precedenti quæsito composuimus tractatum, de illis nimirùm, fatemur, qui nullo titulo, vt diximus, oneroso celebrare tenentur, de quibus intèr Doctores secundæ sẽtentiæ magnum extat dissidium. Existimant aliqui eos obligari ad celebrandum illis diebus festiuis, in quibus fideles solent communicare. Vndè cum hoc tempore deciès, aùt duodeciès fideles communicent. totiès in anno Sacerdotes celebrare tenentur, vt colligitùr ex S. Thom. Syluestro, Soto, & alijs.

At Nauarrus, quem ex parte Suarez, & sequitur Coninchius asserit Sacerdotes obligari ad celebrandum tèr, aùt quatèr in anno, quòd probat ex capit.notato *Dolentes* ex quo liquidó inferri potest, quòd pluriès, quàm quater in anno sit celebrandum, & fortiùs, quià, vt innuimus, vix scandalum, & occasio liberiùs peccandi euitatur. Quod si hæc minimé contingere possint, & aliqua necessitas spiritualis immineat Sacerdotibus, vtiquè secunda opinio militare poterit, quàm sequitur Azor. lib. 10. c. 24.

Huiusmòdi autèm sententia est multum laudabilis; Immò in praxi sempèr tenenda, non solùm ex allatis rationibus; verùm etiam, quià, vt legenti patet, innititur menti Synodi Tridenrinæ sess. 23. c. 14. ibi *Curet Episcopus, vt ij saltèm Dominicis, & festis diebus solemnibus, si autèm curam habuerint animarum tàm frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Quibus verbis Tridentinum complecti videtur Sacerdotes, & simùl Parochos, vt iàm fuit suprà firmatum.

Circà quotidianam celebrationem, dicimus. quòd cessantibus legitimis impedimentis optimum vtiquè erit consilium quotidiè sacrum celebrare, non tamèn de præcepto,

nisi

nisi aliundé Sacerdotes ex voto, vel regulares ex obseruantia eosdem propria, vèl aliorum necessitas ad id coarctet, & impellat, vt colligitur ex S. Andreæ exemplo, qui de se ipso dicebat. *Ego omnipotenti Deo, qui vnus, & verus est, quotidiè immolo, non tamèn carnes taurorum, nèc hircorum sanguinem; sed inmaculatum Agnum in altari, &c.*

Aliud dubium est; an nimirùm, licitum sit eadem die sæpiùs celebrare? Quòd resolui videtur ex sequenti cap *de consecratione dist.* 1. ibi: *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die celebrare; quià Christus semèl passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est, vnam Missam facere, & valdè fælix est, qui vnam dignam celebrare potest. Quidam tamèn prò defunctis vnam faciunt, & alteram de die si necessè fuerit. Qui verò prò pecunÿs, aùt adulationibus sæcularium vna die præsumunt plures facere Missas, non estimo euadere damnationem.*

Ex quo textu duo equidèm colligi videntur. Vnum, nimirùm, esse lethale, peccatum pluriès in die àbsqne necessitate sacrificium Missæ celebrare. Alterum verò id licere superueniente rationabili causa; & consequentèr fateri possumus quamplurimos recenseri casus communitèr receptos, in quibus Sacerdoti ieiuno tamèn (scilicèt saltèm non accepta ablutione) fas sit eadem die Missam reiterare, & offerre.

Primus igitur est: Natalis Domini Nostri Iesu Christi, in quo vt patet de iure, & consuetudine æquum est tèr celebrare. Secundus est, quando absoluta prima Missa Episcopi, vel alius Principis occurrit aduentus optantium interesse sacro, hodié verò est introducta consuetudo contraria, quod si priùs hoc fuerat concessum, prouenicbat ex penuria Sacerdotum. Tertius est, si die festo Peregrini superueniant, quòd paritèr hodiè recessit ab aula.

Quòd si ingens multitudo fuerit, & exposcerent Missam, tùnc aliud sacrum ab eodem Sacerdote celebrari posset. Quartus, quando finita Missa defunctus sepeliendus

occurrit, & talis consuetudo adsit. Quintus, cum nuptiæ benedici deberent, etiàm cum sacro. Sèd hic duo recensiti casus ob rationem allatam à Doctoribus non admittuntur. Sextus, quando ægrotus ex hac vita decederet absq; SS. Viatico. Vide Layman lib. 5. tract. 5. cap. 4. n. 6. ibi.

Si Sacerdos in Missa pòst consecrationem, vèl saltèm pòst oblationem, moneatur de communicando infirmo, particulam suæ hostiæ in hunc vsum seruare potest. Sin moneatur statim pòst sumptā hostiā, abstineat ab ablutione, & nouam Missam incohet, sicuti in die Natiuitatis fieri solet. Nunquàm tamèn (sicùti aliqui simplices, & indocti existimant) in solo pane, iterùm consecrare licitum est pro infirmo.

Huiusmòdi tamèn opinioni acerrimè obstare videtur Filliucius in præsenti existimans non esse in vsu, iterùm celebrare ob communicandum infirmum. Septimus casus est, quando Sacerdos duas, vel plures parochiales habeat Ecclesias, & commodè coaditorem habere nequeat, quòd admittere testatur Coninchius. Sed ad præsens est vetitum à Trident. sess. 7. c. 2. ibi.

Nemo quacumque etiam dignitate gradu, aut præeminentia præfulgens plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, in titulum, siuè commendam, aut alio quouis nomine, contrà Sacrorum Canonum instituta, recipere, & simùl retinere præsumat; Cum valdè fœlix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiam benè, ac fructuosè & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit.

Qui autem plures Ecclesias contrà præsentis decreti tenorem nunc detinent, vna, quàm maluerint retenta, reliquas infrà sex menses, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur. Alioquin Ecclesia ipsa vltimò obtenta dumtaxat excepta eo ipso vacare censeatur.

Octauus casus est, si eadem die officium occurrat de festo, nimirùm, & de Vigilia, ac de Rogationibus. Verùm

neque

neque hoc est vsu receptum. Nonus si euenerit aliqua alia necessitas quæ iuditio prudentis viri grauis reputetur. Decimus, quando in aliqua magna festiuitate tantus conueniat populus, vt simùl omnes in Ecclesia præsertim parua audire sacrum minimè possent.

Vndecimus nonnulli addunt Sacerdotis paupertatem, quòd ad præsens non admittitur, cum minimè sit in vsu, & concludimus tandém, quòd nunquàm erit licitum Sacerdoti non ieiuno, ieiunio, scilicét; naturali, sacrificium Missæ celebrare, vt in principio diximus, saltèm non accepta ablutione, omnes Doctores communitér.

Quo tempore, & quo loco sit Missa celebranda.

DEscendimus modò ad peragendum de nunnullis casibus particularibus, sed prætermisso hic loco, de quo infrà, de tempore loqui debemus, & pro nostro fundamento adducimus Tridentinum sess. 22. ibi *Postremo nè superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caueant Episcopi nè Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, &c.*

Dubitatur igitùr, qua diei hora sacrificium Missæ sit celebrandum Bonacina de Sacramento Euch. disp. 4. qu. vlt. p. 9. n. 1. asserit; Debitæ autém horæ iuxtà consuetudinē, & rubricas Missalis, sunt ab Aurora vsqué ad meridiem. Aurora dicitur, quando aer incipit illuminari per primam solis irradiationem, vel paulò ante per quadrantem, aùt per dimidiam horam, nàm *in moralibus parùm pro nihilo reputatur.*

Ab initio Auroræ licitum est celebrare primò quià regularitér loquendo, vix anté huiusmòdi tempus Sacerdotes ad celebrandum sufficientér sunt dispositi. Secùndò, quià in Missa offertur Christus, qui candor lucis æternæ nuncupatur. Tertiò, quia hæc est vniuersalis, & approbata Ecclesiæ consuetudo, ità in præsenti S. Thomas. Immò

ad-

adsunt nonnulli dicentes posse antè Auroram Missam inchoari, dummodò eius finis incidat in auroræ principium.

Dicimus insupér Missas celebrari posse, vsque ad meridiem inclusiué. Probatur tàm ex rubricis Missalis, quàm ex Tridentino loco citato, & quòd sit talis vsus, testatur in præsenti Sotus, & alij. Propterea nonnulli firmanr posse Missam inchoari, non multùm pòst transactam meridiē. Alij verò dicunt, Missæ celebrationē differri minimé posse, vsquè ad tertiam partem horæ post meridiem, quandoquidém hoc esset peccatum mortale.

Layman lib.5.tract.5.cap.4.n.2.in fine dicit. Probabilis, & in praxi tuta est Suarez sententia disp.80. sect.4.& Henriquez lib.9.c.24.n.5. Rodriquez tom.1.regul. 99. qu.43: art. 1.nimirùm satis fore ad culpam euitandam, si Missa priuata ad initium Auroræ terminetur ' ac proindè duabus circitèr horis antè solis ortum Missam inchoare illicitum minimè sit. & eò. quià tempus sacrificandi non potest mathematicè definiri, idcircò Paludanus dist.13.q.2. ar.2. & Victoria n.96.de Euch. in præsenti adducuntur.

Syluius hoc extendit ad spatium vnius horæ. Azorius ad tertiam horæ partem, & asserit, neque videri reum lethalis culpæ, qui per spatium tertiæ horæ vltra meridiē Missæ celebrationem differt. Nauarrus cap.25.n.87.quem citat, & sequitur Viualdus in Candelabro cap.penult. de Eucharistia n.50. putat Missam absqué vllo priuilegio celebrari posse; vsque ad horam nonam, quæ per tres horas durat pòst meridiem, quàm sententiam adhùc sequitur Pitignanus dist.13.q.2.art.4.

Eorum ratio est, quià in Tridentina Synodo supracitata, non extat præceptum, sèd solummodó decernitur. vt Episcopi iubeant, neque videntur obstare Missalis rubricæ, minùsque consuetudo, quia non fuerunt sub peccato mortali receptæ: Vel potiùs cum citato Nauarro dici potest, Concilium Tridentinum intelligendum esse de horis antè lucem, vel saltem pòst nonam, qua Christi oblatio consummata fuit.

Immò

Immò verò Rodriquez in sum.cap.29. n.1. concl.3. aduertit eum, qui per audaciam, & præsumptionem hora tertia pòst meridiem celebrat perpetuò remanere suspensum à Diuinis, quià B. Pius V. in Bulla 4. quæ incipit. *Sanctissimus in Christo Pater*. Prohibet in virtute sanctæ obedientiæ, né quis sub pœna perpetuæ suspesionis à diuinis, præsumat, quouis prætextu, etiam licentiarum in Vespere celebrare. Huiusmòdi pœna non videtur incurri. quia comminatoria, & non est lata sententia.

Bonacina loc.cit. n.7. prædictam referens Bullam, media vtitur via, & asserit, quòd ad mortale peccatum requiri videtur spatium trium quadrantium, vél etiam horæ, & ratio ipsius est, quià sicùti spatium horæ sufficit ad contrahendum peccatum mortale, quotiés in die festo opera seruilia exercentur; ità si quis per horam pòst meridiem non perficiat Missam, non videtur à culpa lethali excusandus præcisa tamén iustà, & rationabili causa, quæ prudenti Episcopo, relinquitur.

Alterum frequens explicandum remanet dubium: An nimirùm, peccet mortalitér, qui nondùm persolutis horis canonicis, sacrum conficiat? quamplurimi Doctores pro affirmatiua sententia resoluunt, illamque confirmant, eò, quia Missæ sacrificium cum officio conformari debet. Sèd Bonacina loc.cit. n.8.cum alijs negotium defendunt, quià nulla videtur connexio intèr horas Canonicas, & Missam, & sic peruertens hunc ordinem non erit reus lethalis culpæ.

Et multò magis, quiá vbi non est lex, néc illius præuaricatio reperitur. Nulla autem lege sancitum est sub mortali celebrantē Missam antè matutinas horas grauitér peccare, quicquid sit de veniali ob defectum debitæ intentionis, vt si recitet matutinum tardiùs, nequè obstare videntur rubricæ; nàm vèl loquntur de Missis Conuentualibus, & sunt illæ, quæ à Canonicis seruari debent, vel saltém dicendum esse, rubricas in hac parte, cum tanto rigore non videri vsu receptas. Ha-

Hucusque locuti fuimus de tempore, & breuitèr ad praesens dicendum potest de locis, in quibus sacrificium Missae est celebrandum, & sic respondemus supér hoc sequentem habere textum dist. 1. ibi: *Missarum solēnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda esse censemus, & eadem distinctione. Nullus Presbyter Missas celebrare praesumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de caetero voluerit esse Sacerdotij.*

Limitanda nihilominus est firmata conclusio in sequentibus casibus. Primò, quando aliqui peregrinantur, & ea multi occasione diu sacro carere deberent, nullaque reperiantur loca sacra, in quibus Missam audire possent, tùnc enim permissum erit sacerdotibus in locis priuatis celebrare, secundò quando esset magnus populi concursus, nèc totum Ecclesia parua capere posset. Tertiò denique, quandò Ecclesia esset diruta, vt ex sequenti cap. *de consecratione dist. 1.* ibi.

Concedimus etiam, vt sicubi, quod (peccatis nostris exigentibus per plurimum est factum) à Normanis, & Sclauis, ab Vngaris, & à malis Christianis, seù alio qualicumque modo, Ecclesiae fuerint incensae, & combustae in Capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donèc Ecclesiae ipsae restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit sub Dio, seù in tentorijs, si tabula altaris, consecrata, caeteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus, alitèr omninò interdicimus.

Addimus insupèr Missas extrà Ecclesiam celebrari posse (concurrentibus, tamén de vsu Ecclesiae necessarijs) tempore pestis, vt accidit in hac Alma Vrbe anno 1656. quòd nè hoc morbo fideles inficerentur templum petentes EE. DD. Card. Congreg. sanitatis in altari S. Confessori Roccho, dicato, & publicè exposito in via omnes audiebant ex proprijs fenestris Missam, vt patet, ex libro á nobis typis demandato p. 1. c. 1, fol. 9. sub titulo, *Descrittione*

della

della Ven. Chiesa Parocchiale del SS. Saluatore della Corte di Roma nel Rione di Trasteuere. Quæ verò hactenùs firmauimus, quando fieri poteſt, ſemper intelligenda erunt de licentia S.Sedis Apoſtolicæ.

Quæres, an in mari Miſſa celebrari poſſit; & an ſaltém pro nauigantibus ad Indos hoc priuilegiũ fuerit conceſsũ, quod anteá ob effuſionis periculum ab Authoribus omninò negabatur, vt videre eſt apud S. Antoninum p. 3. t. 16. cap.6.§.4. Nauarrum c.25. num.83. Suarez diſp.81.ſect.3. Reſpondetur ſicùti in nonnullis Galliæ partibus, Belgio, & ſuperiori Germania conſuetudo introducta eſt, vt in ipſis Ciuitatibus hyemali tempore tribus, vel quatuor horis antè ortum ſolis; Miſſa inchoetur, & reprehendi minimè debet quia vrget rationabilis cauſa, puta, quod ſol ſerò oritur, & operarij Miſſam audire debent priùs quám ad ſimilia opera ſe accingant.

Itá ſimili modo Miſſa celebrari poteſt in mari, vt ad praxim deduxerunt (ceſſante ſempèr periculo ſanguinis effuſionis) Luſitani Sacerdotes, & in dies faciunt. Durandus in ſuo rationali lib.4.c.1.n.41.ibi. Poteſt autèm eſſe neceſſitas, vt Miſſa dicatur in naui, vel in exercitu ſub papilione, ſub dio &c. ſi illud haberi non poſſit. Sed tùnc cum tabula, ſeu altari Viatico, & ſic fateri poſſumus olim moris fuiſſe, vt nauigantes in mari SS. Euchariſtiam ſecum deferrent, patet ex S. Ambroſ. in orat. funebri fratris Satyri, S. Gregor. lib.3. Dialog. c.36. & alij apud Baron.an.584. n.17. itá Layman. loc.cit.n.6.

Dicimus paritèr minimè licere in Eccleſia conſecrata, vel ſaltèm benedicta Miſsam celebrare, ſi fuerit polluta, antequàm purificetur quandoquidèm in huiuſmódi Eccleſia diuina officia fieri prohibentur ob indigna ibi perpetrata. Si verò occultum fuerit delictum, reconciliari non eſt neceſsè, quia cum Eccleſia ſancta ſit, coinquinari non poteſt reconciliatio fit ad terrorem, & exemplum, vt videlicèt, Eccleſiam videntes, quæ in nullo peccauit proptèr al-

terius peccatum, lauari, & purificari, existiment quantum propter suorum delictorum expiationem sit laborandum. Durand.cit.c.6.n.44.

Omnes nihilominùs conueniunt, quòd delictum debet esse notorium iuris, & facti, & præterea iniuria procedere debet ex culpa lethali, & insupèr addunt mortiferum minimè esse peccatum in huiusmòdi loco Missam celebrare, minùsque ob id Sacerdotem irregularitatem, vel suspensionem incurrere. Immò Episcopum posse licentiam concedere celebrandi in Ecclesia etiàm polluta, dummodò concurrat grauis, vel saltém rationabilis causa, vt colligitur ex Soto in 4.sent.dist.13.q.2.ar.5.§.Circà hoc ergó &c.

Sicùti Cæmeterium pollui potest, si in eo humata fuerint corpora paganorum, infidelium, & excommunicatorum, itá paritèr Ecclesia, sex modis polluitur. Primo, quãdo in ipsamet Ecclesia, & in ambitu interiori sanguis humanus iniuriosè effunditur, vt patet ex cap. *Si Ecclesia de consecratione Ecclesiæ, vel altaris*, ibi. *Si Ecclesia non consecrata cuiuscunque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinùs exorcizata lauetur, nè diuinæ laudis organa suspendantur &c.*

Ex quibus verbis sanè colligitur primò, quòd sanguis polluens Ecclesiam, emitti debet in magna quantitate; quiá effusio plus aliquid significare videtur, quàm aliquantulum guttulę, puta, ex naribus elicitę, vt adnotauit Panormitanus in sequenti cap. *de consecr.cit.* ibi. *Proposuisti, quòd venientibus ad Ecclesiam S.Iacobi ex diuersis regionibus peregrinis, & volentibus alijs, ab alijs per contentiones, & rixas, altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia contingunt fieri interdùm, & aliquandò vulnera inferuntur &c. Respondemus, quòd manente Ecclesia, & altari, ipsa poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam reconciliare.*

Colligitur secundò, quòd Ecclesia, non solùm sanguinis contactu polluitur, verùm etiàm actione iniuriosa in ipsa Ecclesia exercita. Vndè si quis vulneratus est intrà Eccle-

siam, & extrà illam exierit, antequàm sanguis effluat, adhùc polluitur; quià, vt supponimus, vulnus intrà ipsam Ecclesiam fuit inflictum. Secùs verò si extrà Ecclesiam fuerit vulnus inflictum, & ad eam vulneratus confugiat, ibiq; sanguinem effundat, & sic dicimus ob id minimè fore Ecclesiam pollutam, quia in præsenti casu potiùs locum, quam effusum sanguinem considerare debemus.

Colligitur tertiò, quòd non sufficit, vt læsio fiat suprà tectum, aut in spelunca ipsiusmet Ecclesiæ, vt loquitur Nauarrus cap. 27. n. 56. in suo man. Ratio est, quiá licèt hìc dicatur simplicitèr Ecclesia, nihilominùs hoc verbum *Ecclesia* in odiosis strictè est accipiendum, vt, nimirùm, solùm significet ambitum interioris Ecclesiæ consecratum, aut saltèm benedictum. E contrà verò nil refert, si vulneratus sit intrà Ecclesiam, dummodò vulneret hostem in Ecclesia existentem, ità Syluester.

Colligitur quartò, quòd læsio debet esse iniuriosa, & quidèm talis, quòd secundùm se considerata, sit apta, vt suprà diximus, constituere peccatum mortale: Vndè si læsio casu fieret, puta, non plenè voluntariè ab amente, semidormiente, aut ob sui necessariam defensionem &c. Ecclesia minimè pollueretur. Idemque dicendum de pueris intèr se pugnantibus, & ex eorum ore, naribus, cicatrice, menstruis, vel alio modo naturalitèr cruor effluxerit; ludo, casu fortuito &c. ob materiæ leuitatem, & libertatis defectum. Immò Victoria hìc extendit ad adultos: quem alij sequuntur.

Secundo modo polluitur Ecclesia, homicidio voluntario iniurioso, quod, vel cuius causa intrà Ecclesiam perpetratum est, licèt sine sanguinis effusione. Colligitur ex Canonibus citatis, *& de consecratione distinctione prima*, ibi. *Si motum fuerit altare denuò consecretur Ecclesia, si parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur, si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuò consecretur.*

Tertio modo, polluitur Ecclesia, etiàm per humani seminis voluntariam pollutionem, dummodò notoriam, & adhùc etiám per copulam coniugalem, vt ex citatis iuribus liquidò legenti patet. Dicitur notoria, quià occulta minimè Ecclesiam polluit, & hoc etiàm militat in reliquis casibus. Notoria effusio seminis efficitur, vel per euidentiam iuris, vel facti, excepta tamèn vrgente causa, puta, si adsit incontinentiæ periculum, & longo tempore intrà Ecclesiam cohabitare cogantur, quòd non dici potest de alia carnali copula, & voluntaria pollutione, vt etiàm habetur *de consecratione distinct.* 1. ibi.

Ecclesijs semèl Deo consecratis, non debet iterùm consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunq; semine pollutæ fuerint, quià sicùt infans à qualicunque Sacerdote. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, semèl baptizatus, non debet iterùm baptizari, ità nec locus Deo dedicatus iterùm consecrandus est, nisi proptèr eas causas, quas superiùs nominamus: Si tamèn fidem Trinitatis tenuerint, qui eam consecrauerunt.

Quarto modo, polluitur Ecclesia, si in ea excommunicatus nominatìm denunciatus, vel publicus Clerici percussor sepeliatur, vt aliàs diximus, in casu tamèn, quo talis percussor nullo iuris beneficio, aut tergiuersatione suum crimen celare potuisset, vt colligitur ex Conc. Constantiensi. Vbi rectè Doctores admonent sepulturam hæretici non denunciati locum sacrum minimè violari. Idemque dicimus de interdictis, & sic Ecclesiam non esse reconciliandam, quià id nullo iure contrarium reperitur decretum. Corpora verò erunt omninò exhumanda, patet ex cap. 1. *de Sepulturis.* ibi.

Eos, qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora, non sinè contemptu clauium Ecclesiæ: in Cameterijs interdicti tempore, in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos scientèr sepelire præsumunt: Decernimus ipso facto excommunica-

nicationis sententiæ subiacere, à qua nullatenùs absoluantur, nisi priùs ad arbitrium Diæcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem &c.

Et eodem tit. *de sepulturis* cap. 12. *Sacris est Canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis, &, vt careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab Ecclesiastica vnitate præcisi, nèc in articulo mortis Ecclesię reconciliati fuerint.*

Vndè si contingat interdùm, quod, vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cæmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt exhumari debent, & procùl ab Ecclesiastica sepultura iactari.

Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excommunicatorum ossibus, corpora extumulentur fidelium: cum licèt non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impijs tamèn celebris, & vel speciosa non prosit.

Quinto modo, polluitur Ecclesia per sepulturam infidelis, & hominis nondùm baptizati, idemque dicimus si in ea sepeliatur infans antè susceptum Baptismum. Secùs veró si in vtero materno existat, & vna cum matris corpore sepeliatur, posito tamèn, quod mater sit fidelis, quandoquidèm ipsa cum suo fætu, quasi vnum censeatur corpus, vt aduertit Paludanus in 4. dist. 18. q. 8. n. 4.

Layman hìc notat magnum esse discrimen intèr priores tres casus, siuè modos violandi Ecclesiam, & duos posteriores, quiá illi priores contrahuntur per actionem culpabilem. Ad posteriores verò non requiritur culpa, sed sufficit factum, corpus, nimirùm, excommunicati denunciati, vel non baptizati in Ecclesia esse sepultum, ità ipse lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 8. in fine.

Sexto modo, polluitur Ecclesia, quando parietes illius combusti fuerint, vel saltèm destructi, ità vt integrè sint reædificandi *sicùt in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit,*

uit, vt habetur ex cap. *Consuluisti de Consecratione Eccl. vel. alt.* supra cit.

Immò addit Nauarrus, quòd polluta Ecclesia, adhùc etiàm polluitur Cæmeterium, illi contiguum, quòd non dici potest, si non esset coniunctum ipsi Ecclesiæ. E contrà verò, polluto Cæmeterio licèt Ecclesiæ vnito, Ecclesia minimè polluitur. Ratio est, quia *odiosa sunt restringenda, & fauorabilia amplianda.*

Vnùm tamèn in præsenti praxi est aduertendum, scilicèt, quòd si aliquando contingat, vt polluatur Ecclesia, dùm actu Sacerdos consecrat, vel incępto Canone, vel post, Missam persoluere debet. Si verò antè Canonem omninó ab ea desistat; nec vlteriùs progrediatur quousquè Ecclesia reconcilietur.

Quòd si Ecclesia solummodò fuerit benedicta, poterit per ipsummet Sacerdotem reconciliari, illam lauando aqua exorcizata, seù benedicta. Si verò fuerit consecrata, nonnisi per Episcopum, vel per habentem priuilegium obtentum à Sancta Sede Apostolica; patet ex Sacris Canonibus insinuatis.

Insupèr restat dicendum, Missam celebrandam esse in altari lapideo ab Episcopo consecrato, & hoc sub culpa lethali, quiá esset contrà Ecclesię vsum, institutum à S. Syluestro Papa, vt habetur ex antiquissima traditione, nec potest esse alterius materiæ sine Summi Pontificis dispensatione.

Nomen autem Altaris solùm intelligendum esse lapidem illum consecratum supèr quem mediaté ponitur Christi Corpus, & Sanguis, & hunc debere esse lapideum, non tamèn cæteræ aliæ altaris partes debent esse lapideæ, cum ex alia materia decenti equidèm construi poterit.

Aduertimus tamèn, quòd Altaria, siuè lapides consecrati, sunt duplicis generis, nonnulla sunt stabilia, quæ sunt parieti coniuncta, & consecrata, & hæc altaria consecrationem ámittunt, si à basi separentur, idemque dicendum erit

si ex

si ex magna parte frangantur; si verò secùs fuerit fractio, adhùc consecrationem retinent, vt ex sequentibus cap. *Quod in dubijs*, & cap. *ligneis de consecr. Eccl.* ibi

Altare verò, in quo tabula: cui consecrationis benedictio sanctificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormis fracta fuerit, debet non immeritò consecrari. Nèc negamus, quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri.

Ligneis ædificijs Ecclesię vestra, casu consumptis, parietibus tamèn illæsis, ac mensa principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam &c. Inquisitioni tuæ talitèr duximus respondendum, quòd cum parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormitèr læsa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari.

Alij verò sunt lapides, siuè altaria nullibi affixa, vt in diuersa possint transferri loca, ac per se consecrantur, non tamèn cum basi vnita hæc solùm consecrationem deperdunt, quando ità franguntur, vt in parte maiori, non possit collocari Calix cum Patena, & Hostia, non verò si ab aliquo altari separentur.

Supèr huiusmòdi altare, siué lapides consecratos, duæ debent sterni, & accommodari mappæ, & vna non duplicata, cum corporali ab Episcopo benedicto; posunt ipsæ mappæ duplicari in casu necessitatis, sicúti adhiberi possunt mappæ laicorum non benedictæ, quæ posteà ipsis restituantur, itá Bonacina hìc, & Syluester verb. benened. quæsito 5. & verb. Missa 1. q. 2.

Necessarij quoquè ad celebrandum sunt Calix, & patena ab Episcopo consecrati, sine quibus Missa minimé offerri potest, confecti ex auro, aut argento, vel saltèm ex stamno ob paupertatem, non ex auricalco, vel ære, nè vomitum ob rubiginem prouocent, nequè ferro, aut plumbo ob materiæ vilitatem. Ex ligno nequaquàm fiant, quiá obstat cap. *Vt Calix de consecratione dist.* 1. ibi.

Vt Calix Domini cum patena, si non ex auro omninò ex argen-

gen-

gento fiant &c. Si quis autèm tàm pauper eſt, ſaltèm, vel ſtamneum calicem habeat, de ære autèm, aut auricbalco non fiat calix, quià ob vini virtutem eruginem parit, quæ vomitum prouocat. Nullus autèm in ligneo, aut vitreo calice præſumat Miſſam celebrare.

Quæres hìc, quibus cōtingat modis, vt Calix conſecrationē amittat? Reſp. Calicem conſecrationē amittere; quādò ità frangitur, vt ad vſum ſacrificij ſit prorsùs inutilis. Ratio eſt, quiá Calix per modum totius conſecrationem recepit, nèc conſecrationem deperdit ſi tota deauratio interioris partis cuppæ amittatur, quandoquidèm tota materia per modum vnius, cui vnitum eſt aurum, conſecratur.

Sèd difficultas eſt; An ſaltèm amittatur conſecratio, quandò interior pars Calicis; iterùm inauratur? Sylueſter docet amitti. Sed Fillucius dicit, quòd ſi inauretur iterùm in ea parte, quæ corpus, & Sanguinem Chriſti continet eſſe denuò conſecrandum. Secùs verò ſi in alijs partibus, ità Emmanuel Sà, cuius ſententiam quidā Doctor probabiliorem exiſtimat. Coninchus aſserit etiàmſi totus inauretur Calix, adhùc conſecrationem retineat.

Ratio eſt, quià cū reuerá, etiàm poſt inaurationē maneat idem Calix, qui priùs erat, vt ſenſui communi patet, non poteſt conſecrationem amittere. Sèd dices. An ſaltém Calix conſecrationem deperdat, ſi cum intentione eumdem execrandi ictu clauis, vel mallei, e.g. à Sacriſta percutiatur? Reſp. Vulgarem opinionem ità affirmare, vt fortaſſis apùd aliquos hoc ipſum in praxi ſoleat deduci.

Sèd magna difficultas eſt in aſſignanda huius praxis ratione, ex eò, quòd antiquitùs, & nouitér, idéſt, in primitiua Eccleſia, & ad præſens, non exſtabat huiuſmòdi conſuetudo. Tabiena verb. Calix. §. 2. in fine ſic ait. An autém Calix execretur per aliquos ictus datos á fabro, ſicùti in iure, non probato fit, eodem modo, loquitur Armilla ibidem n.4. & clariùs ex doctrina S. Thomæ 2.2.q.39. art.3. in corpore,

con-

confirmatur, vbi n. 11. ait. *Non potest aliquis Ecclesiæ Prælatus facere, vt Calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Omnes consecrationes Ecclesiæ esse immobiles, manente re, quæ consecratur, sicuti etiàm patet in rebus inanimatis, aut altare semèl consecratum, non iterùm consecratur, nisi fuerit dissipatum, & in terminis q. 88. in corpore.*

Conciliari nihilominùs poterit communis praxis, ex eò, quòd antiquitùs per huiusmòdi ictus non excutiebatur superficies aurea intrinseca, multùm astricta, vt consecrationē amitteret, quandoquidém tota Calicis forma infringebatur, quòd in huiusmòdi casu certum est eum perdere consecrationem. Ex quo deindé introducta est consuetudo, vt hodié cernitur, quòd infringatur aliquo ictu in Calice, qui ob id bona fide adhùc etiàm non mutata forma execrari censetur; vt loquitur Azor. tom. 2. lib. 9. c. 7. q. 6. Persicus de offic. Sacerd. lib. 1. dub. 5. n. 42. & alij.

Petes. An possint à laicis tractari vasa sacra, & alia sacri altaris ornamenta? Resp. quoàd Calicem, Patenam, aliaq; ornamenta immediaté Christi Corpus, tangentia, quæ sunt corporalia, palla, & purificatoria, nullo modo, posse absque peccato á laicis tangi, vt sanciuit S. Soter Papa, & præcepit omnibus Italiæ Episcopis epist. 12. & habetur ex cap. *Sacratas dist.* 23. ibi.

Sacratas Deo fæminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circà altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem, quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli rectè sapientum dubium est. Quamobrèm huius Sanctę Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditùs, quantò citiùs poteritis censemus, & nè pestis hæc latiùs diuulgetur, per omnes Prouincias abstergi citissimè mandamus.

Addimus insupèr, nequé Clericos huiusmòdi vasa tangere posse, nisi tantùm priuilegium habentes. Circá verò hæc vasa tractantes per se loquendo, minimé peccatum læthale, sed veniale esse; præcisis tamén scandalo, & con-

temptu, quandoquidèm in leui materia verſemur, licét Bartholomæus ab Angelo §.321. præciſo contemptu, nullum putet eſſe peccatum; alij verò exiſtimant eſſe culpam lethalem ſaltém dùm tangitur vas Corpus, & Sanguinem Chriſti continens. Sed quid de ijs, quæ lotione indigent? videatur textus ſequens *de conſecratione diſt.* 1.

Nemo per ignorantiam &c. Pallas verò, & vela Sanctuarij, ſi ſordida fuerint, miniſterio Diaconi cum humilibus miniſtris intrà Sanctuarium lauent, non eijcientes foràs à Sacrario, & velamina Dominicę menſę abluent, nè fortè puluis Dominici corporis malè decidat Sindonem verò non foris abluant, & erit hac operanti peccatum. Idcircò intrà Sacrarium miniſtris præcipimus hac Sancta cum diligentia cuſtodire.

Sanè peluis noua comparetur, & pratèr hoc nihil aliud tangat. Sèd nec ipſa peluis velis apponatur lauandis, niſi, qua ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris ſolæ in ea lauentur, & in alia vela ianuarum. De velis autèm ianuarum cura ſit oſtiarius ex admonitione maiorem, nè quis negligens, aut ignarus ad velum ianuæ domus Domini manus incognitè tergat; ſed ſtatim coercitus diſcat omnis homo, quià velum atrij Domus Domini Sanctum eſt.

Quòd autém hactenùs deſcripſimus, intelligendum eſt de prima lotione; nám quoàd ſecundam, probabile eſt, adhùc etiàm fieri poſſe á fœminis, præſertim monialibus, ac alijs virginibus, & inſupér ab vtriſque, & alijs fęminis refici poſſe. Idemque procedere videtur in purificatorijs, licét non ſint benedicta. Bonacina diſp.4.q.vlt.p.9.n.22.

Pro terminando deniqué huiuſmòdi nono diſcurſu, dicimus. Pyxidem ſiué vaſculum, in quo SS. Euchariſtia aſſeruatur, opus minimé eſſe conſecrata, quiá id nullo iure cautum eſt, dummodò tamén alicùbi non ſit conſuetudo contraria: licét oppoſitum ſuſtineat Durandus apud Suarez diſp.87.ſect.3. ad finem. Nec minùs fiſtula, qua Summus Pontifex ſanguinem attrahit conſecrata eſſe debet, vt videri poteſt apud Sotum, Durandum, & alios in præſenti.

De

De alijs ad sacrificium Missæ peragendum necessarijs.

VLtrá firmata, addimus insupér ad Missam celebrandam necessariò requiri. Primò Corporale. Secundò Palla, quæ Calici superimponitur, debet esse benedicta, & linea, non serica, aut auro elaborata, in parte saltèm interiori. S.Tho.q.85.ar.3. & 7. Tertiò, Purificatorium similitér lineum, & benedictum. Vestes verò, quibus Sacerdos indui debet. Sunt sex, scilicét, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, & casula, siue planeta.

Oportét autém, vt hæ vestes etiàm sint benedictæ, & mundæ, vt diximus, præsertim illæ, quæ immediaté tangunt Corpus, & Sanguinem Christi, vt habetur ex cap. *Relinqui de custodia Ecclesiæ*. ibi. *Relinqui nolumus incorrectum, quod quidam Clerici Ecclesias sic exponunt supellectibilibus proprijs, & etiàm alienis, vt potiùs domus laicæ; quàm Dei Basilicæ videantur. Non considerantes, quòd Dominus non sinebat, vt vas transferretur per Templum.*

Sunt, & alij, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas; Verùm etiàm vasa ministerij, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, necnòn, & ipsa corporalia tàm immunda relinquunt, quòd interdùm aliquibus sunt horrori. Quià verò zelus Nos comedit domus suæ, firmitèr prohibemus, nè huiusmòdi supellectilia in Ecclesijs admittantur, nisi proptèr hostiles incursus, aut incendia repentina, seù alias necessitates vrgentes ad eas oporteat habere refugium sic tamèn, vt necessitate cessante, res in loca pristina reportentur.

Præcipimus quoquè, vt oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta munda, & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiàm in prophanis. Vbi Abbas notat, quòd necessitas facit licitum, quòd aliás esset illicitum; quià cessante causa, cessat effectus. Vide Toletum in præsenti.

Rursùs conueniens est, vt Sacerdos sacrum faciens, sit

calceatus ob decentiam, quód si omittatur minimè lethale erit. At verò caput prorsùs in toto sacrificio sit denudatum. Colligitur ex cap. *Nullus de consecratione dist.* 1. ibi. *Nullus Episcopus, Præsbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere, quoniàm, & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temerè præsumpserit communicare, priuetur &c.*

Asserebant nonnulli potuisse Episcopum licentiam concedere celebrandi capite, amictu, vel pileolo cooperto, saltèm vsqué ad consecrationem. Nauarrus lib. 3. cons. 9. de celebrat. Miss. idem firmauit, & hoc ampliùs sinè licentia Episcopi, existente causa manifesta, & remoto scandalo, ad præsens huiusmòdi opinio nullatenùs in praxim deduci potest, quià Sacra Congregatio Rituum sic sanciuit. *Nemo audeat vti pileolo in celebratione Missarum sinè expressa licentia S. Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque consuetudine.*

Descendamus modò ad alia, & casum ponamus. An si aliquid ex requisitis enumeratis, occurrente aliqua necessitate, haberi minimé possit ad sacrificandum, sit Missa intermittenda? Resp. iuxtà gradum magnæ, vel non magnæ necessitatis, & rerum qualitatem, aliquandò licere, & aliquandò non, sinè illis celebrare, nisi mortis intentato periculo aliquis ad sacrificandum cogat Sacerdotem (excepto nostræ Sanctæ Fidei contemptu) cum in huiusmòdi casu potiùs sit mors subeunda, quàm tyranno obtemperare, omnes communiter.

Nec minùs sine Missali est conficiendum sacrificium, licét nonnulli Doctores hac vtantur limitatione. Primò, si Sacerdos constantissima polleat memoria, & certus sit saltém moralitèr se non erraturum. Vasquez vero 3. p. tom. 4. disp. 237. n. 26. sic ait. Sacerdotem habentem debilem visum, & bené scientem Missam, posse sinè Missali celebrare.

Se-

Secundò, si magni sit populi frequentia, & dies esset festus, nec Sacrum omitti possit sinè murmure, & scandalo, posse tùnc Missam celebrari sinè stola, manipulo, aut cingulo benedictis; & subdunt Doctores, quòd si ex præcepto regulæ, vel etiàm ex præcepto ecclesiastico, Missa minimè dici possit sinè aliquo ex dictis, tùnc Missam fore omittendam.

Ratio est, quià præceptum minimè obligat, nisi in eo casu, quo Missa ritè, & decentèr celebrari potest; quod intelligendum est, si absit scandalum, & populus non sit frequens. Aduertendum tamèn est, posse pro stola, si necessitas id exposcerit, adhibere manipulum, & non minùs pro manipulo solam, vt omnes Doctores loquuntur.

Similitèr si cingulum sit fractum, inseruire poterit illa pars, quæ adiungendum sufficiens erit; At si neutra sufficeret, vtrumque simùl connecti poterit, & adhiberi, nec desunt, qui dicant in magna necessitate defectum ministri fœminam posse supplere; sed meliùs alij asserentes Missam in tali casu sinè ministro celebrare, quam fœminam, respondere, & vrceolos porrigere.

Quòd hucùsque diximus, confirmatur ex cap. 1. *de cohabitatione Clericorum, & mulierum*, ibi. *Inhibendum est, &c. & infrà: Prohibendum quoquè est, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Præsbytero ministrare, aut infrà cancellos stare, aut sedere*. Non tamèn huiusmòdi Canoni obstare videtur, quò minùs fœminæ præsertim Sanctimoniales ex loco saltèm remoto, sacrificanti respondere possint, vt firmat Paludanus in 4. disp. 13. q. 2. art. 1. conclus. 2. & alij.

Quòd vèrò spectat ad Missæ interruptionem; dicimus, numquàm licere, etiàm vrgente mortis periculo, vnam solam consecrare hostiam, cum positiua intentione, non consecrandi vinum, siuè cum positiua voluntate species consecratas non sumendi. Ratio primi est, quià consecratio hostiæ & vini simùl essentialitèr pertinet ad sacrificium Missæ, prout à Christo Domino fuit institutum.

Se-

Secundi est, quiá licèt sumptio minimè sit de essentia sacrificij, nihilominùs est de ipsius integritate etiàm pariter ex Christi Domini institutione. Hinc igitùr est, quód in vtroque casu potiùs est mors præferenda, quàm positiuè, atquè directè velle mutilum sacrificium Missæ relinquere.

Diximus *positiua voluntate*, quiá permissiua aliquandò esset licitum, vt si consecrata hostia, templum ruinam minaretur, vel hostes irruerent, quiá tùnc fas erit, si vinum consecrari minimè posset, absque certo mortis periculo, hostiam, vel sumere, vel aliò transportare, sacrificio imperfecto relicto, & à fortiori species consecratas sumere, & per accidens esset, si non perficeretur sacrificium.

Et quamuis nunquám fas sit Missam sinè graui causa abrumpere, & vsquè ad finem prosequi, vt habetur ex cap. illud, vbi in fine Canonis dicitur. *Nullus absquè patentis prouentu molestiæ ministret, vel Sacerdos cum cæperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere, si quis hæc temerariè præsumpserit excommunicationis pœnam sustinebit*, & cap. Nihil 7. q. 1. ibi.

Censuimus ergò conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore Sācta Mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet euentus, quo captum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Præsbytero alteri consecrationem officij capti.

Nihilominùs iustæ causæ incæptum Sacrificium relinquendi, vel interrumpendi sunt sequentes. Prima, si Sacerdos recordetur se esse excommunicatum, vel irregularem, & possit sinè scandalo, & sua infamia á celebratione, desistere tenetur, non tamén Hostia consecrata. Secunda, si Missæ adsit excommunicatus non toleratus, séd vitandus, qui adhùc monitus exire recusat, dummodò Canon non fuerit inchoatus.

Alij verò resoluunt, quòd si Sacerdos peruenerit ad illa verba. *Qui pridiè, quàm pateretur* nullo modo potest discedere;

dere; sed prosequi obligatur vsquè ad consumptionem Calicis, & nolente adhùc excommunicato exire, reliquum Missæ omittatur, & interim astantes illicò antè consecrationem egrediantur.

Tertia, si Sacerdos recordetur minimè esse ieiunum, de quo suprà fusiùs egimus. Quarta, si mortuus, vel alia grauis necessitas progredi non permittat, & tùnc si Sacerdos redire non possit, & peracta fuerit consecratio, aliùs ieiunus succedere debet, vt reliquum Missæ perficiat, quòd si ieiunus non adsit, non ieiunus supplere debebit, ità Angelicus Doctor q. 83. art. 6. ad 1.

Quinta, si facta consecratione, sit aliquis proximus morti, & Sacramenta petat, nec vis morbi dilationem patiatur; itàut reliquum Sacrificij absoluere possit, tùnc iuxtà qualitatem periculi mortis imminentis se gerat celebrans, & vel Missam abrumpat, etiàm post consecrationem, vel Corpus, & Sanguinem in tabernaculum reponat.

Et intèrim, sumpta particula, oleo Sancto, etiàm vestibus sacris non exutis, si periculum sit in mora, ad moribundum accedat illum (si dignus sit) absoluat, communicet, & oleo Sancto inungat. Quibus peractis, redeat, sacrificium perficiat. Vel si necessitas non sit vrgens, facta consecratione, & sumptione, reliquo Missæ omisso, infirmo Sacramenta administret præsertim pœnitentiæ.

Confirmatur ex doctrina Zambrani cap. 4. dub. 6. n. 5. asserentis, & primò (sunt verba ipsius) quidèm si infirmo morituro Sacramentum pœnitentiæ sit administrandum, potest Sacerdos Missam inchoatam, etiàm post consecrationem relinquere, seruante interim aliquo SS. Eucharistiam, & secum deferat aliquam formam consecratam, & extremam Vnctionem ad infirmum, & audita eius confessione, & data Eucharistia, & extrema vnctione, &c. reuertatur ad perficiendum sacrificium.

Si tamèn aliquis in ipsa Ecclesia existat, & Sacro indigeat Viatico, quià statim morbo correptus, mox moritu-

rus

rus timetur, tùnc debet Sacerdos etiàm post consecrationem ab altari discedere, & Sacramentum administrare, sicùti in simili docet Glossa in cap. *Nullus*. suprà adnotato, ibi. *Nisi in casu, cum videret puerum sinè baptismo morientem, dùm est etiàm ad altare consulo, vt baptizet.*

Aliæ causæ interrumpendi Missam antè factam oblationem sunt sequentes, si post Euangelium fiat prædicatio ad populum. Si suscipiendi sint ordines, si Episcopus, Dux, vel processio populi adueniat, quos integram Missam audire deceat; si alius Sacerdos minimè adsit, fas erit Missam á capite inchoare, si oblatio tamén non facta fuerit.

Nauarrus in suo manuali cap. 25. n. 86. his sequitur verbis. Ad nouum autèm quæsitum de Præsbytero, non potente finire Missam cæptam. Respondeo primò; quòd potest relinqui imperfecta, si non erat facta consecratio, quiá cap. *Nihil*, quod habet officium diuinum, non debere relinqui imperfectum, intelligitur sinè iusta in id causa, nàm infrà dicetur Missam cæptam esse relinquendam etiàm superueniente excommunicato, qui nolit abesse.

Secundò, si facta sit consecratio, est perficienda Missa per alium ieiunum, qui eam prosequatur à loco, in quo alter reliquit, dicto cap. *Nihil*, vel per non ieiunum, si desit ieiunus, quiá maioris momenti est præceptum de Missa perficienda, quod est diuinum, quám de communicando ieiuno, quod est Ecclesiasticum, vt suprà firmauimus, & patet ex Canonibus infrà citandis.

Tertió, quòd quamuis, nec prædictum cap. *Nihil*, nequè alia concordantia præcipiant, vt alius Presbyter huiusmòdi casui præsens, teneatur illam perficere, nihilominùs arbitramur teneri, etiàmsi non esset ieiunus. Immò deberet se sacris induere vestibus, contritionem concipere, & confiteri, si opus foret, & copia confessarij habeatur.

Hoc tamèn intelligendum est, tùm ad euitandum scandalum, quod ex ea Missa imperfecta oriri posset, tùm etiàm ad conseruandum tanti augustissimi Sacramenti honorem

ad

ad quem longè magis tenemur, quàm ad proximi fortunas seruandas, quas tamén si notabiles sint seruare præcipimur, saltèm cum commodè possimus.

Quarto deniqué, quòd non perficiatur per laicum, neq; per Clericum Presbyteris minores, vt loquitur Nauarrus vbi suprà citatus, quæ omnia diximus confirmantur, ex cap. *Relatum de consecratione dist.* 2. ex cap. *Comperimus eadem dist.* ex cap. *Liquidò* aliàs adnotatis.

Quòd verò spectat ad orationes, siué Collectas, eorum numerum, & ordinem, quo sunt dicendæ, videantur rubricæ Missalis, & intereà his adnotamus, orationem, dici ab orando, eò, quòd per eam populo bona, tàm corporis, quám animæ orando petuntur, & licét Deus recté sciat, quibus egeamus auxilijs, nihilominùs orare debemus, vt á malis liberari mereamur, quandoquidém militia sit vita hominis supér terram, & spiritu fortitudinis obtento præmium æternum obtinere possimus.

Sed quià, ait S. August. *Ascendit ad Cælum oratio, & descendit in terram miseratio*, ideò Sacerdos orat ad Deum Patrem, vt per eius Filium, qui Dominus noster est, & æqualis Patri secundùm diuinitatem, oratio perficiatur. Hinc igitùr est, quòd omnis generalis oratio ad Patrem dirigitur, & in nomine Filij terminatur iuxtà illud Ioan. 14. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

Orationes, quæ anté Epistolam dicuntur, adhùc collectæ nuncupantur, quià Sacerdos legatione fungens ad Deum pro populo omnium petitiones in vnum colligit, vt eas ad æternum Patrem referat. Vel dicuntur collectæ, quià supér populum collectum dicuntur, puta, dùm Missæ solemnes celebrantur, vel in Processionibus publicé Litaniæ cantantur, vel saltèm dùm populus congregatur ad stationem faciendam, vt de vna ad aliam procedant Ecclesiam.

Orationum varij fuerunt Authores, quorum numerus, & diuersitas, in tantùm excrescebat, quòd VIII. Africanum Concilium constituit, vt nullæ preces, vel orationes,

vel Missæ, vel præfationes, vel commendationes, vel manuum impositiones dicerentur, nisi in Concilio fuissent approbatæ, & Gelasius Papa, tàm à se, quàm ab alijs appositas preces ordinasse dicitur, S. Gregorius, his seclusis, quæ nimia, vel incongrua videbantur, rationabilia coadunauit, & congrua multa per se nihilominùs necessaria superaddidit.

DISPVTATIO QVINTA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

EST de fide. Tridentinum sess. 6. cap. 1. In præuaricatione Adæ, omnes homines innocentiam perdidisse, & immundos factos esse, vt paritèr ad Roman. 5. alloquitur Apostolus. Natura filij iræ, hoc est, per originale peccatum. Quò factum est, vt Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Iesum Filium suum, iàm Sanctis Patribus promissum miserit, vt Iudæos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum Dei reciperent; & ideò de Sacramento Baptismi egimus: Verùm, quià hunc Deus proposuit per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, propitiatorem; idcircò de Sacramento pœnitentiæ hìc agendum erit.

S. Thomas 3. p. q. 84. 85. 89. & omnes ipsum sequentes, duplicem profitentur esse pœnitentiam. Vnam nimirùm, quæ dicitur Virtus: Alteram verò, quæ nuncupatur Sacramentum. De vtraque erit tractatus, sed primò quatenùs est Virtus, & secundo prout est Sacramentum, juxtà nostrum decens institutum, idèst, resecando, quæstiones Scolasticas, & ex practicis eligendo vtiliores, vt solidiora fundamenta habeantur.

SE-

SECTIO I.

Quid sit Virtus pœnitentiæ, & quæ eius necessitas?

SVpponimus cum Doctore Angelico loc. cit. & alijs. *Pœnitentiam esse virtutem*, & sic cum S. Isidoro Hispalensi lib. 6. ethym. cap. vlt. dicimus, quòd pœnitentia appellata est, quasi punientia, eò, quòd ipsemet homo, se puniat pœnitendo, quod malé admisit. Vel secundùm aliquos. *Pœnitentia dicta est pæna, vt sit dolor animi seipsum affligentis, vel punientis ob mala commissa, vel bona omissa*. Vndè Ausonius in Epigrammate hac occasione, dixit.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pænas:
Nempè, vt pæniteat, sic Metanea vocor.

Quæres, quid sit pœnitentia. Resp. cum S. Thoma. q. 85. ar. 3. & ar. 1. ad 3. quòd *Pœnitentia est detestatio, ac dolor animi de peccato; quatenùs est offensa, & iniuria Dei, cum intentione eam abolendi, & compensandi.*

Huiusmòdi definitio infrá explicabitur, cum de contritione agendum erit; proùt est pars Sacramenti pœnitentiæ. Hìc verò nos intelligimus perfectum dolorem de peccatis (quatenùs sunt iniuria, & offensa Dei) prouenientem ex motiuo charitatis, & amoris erga Deum supèr omnia dilectum.

Vel paritèr prouenientem ex motiuo aliarum virtutum, puta, pœnitentiæ, religionis, obedientiæ, &c. cui quidèm actui infallibilitér est annexa infusio gratiæ, nimirùm, iustificantis, etiàm extrà Sacramentum. His igitùr positis.

Præmittimus, duplicitér distingui pœnitentiam, siuè contritionem (proùt enim ista duo in præsenti accipimus.)

Vna est pœnitentia, siuè contritio virtualis; altera verò est pœnitentia, siué contritio formalis.

Pœnitentia, siuè contritio virtualis, continetur in actu amoris Dei supèr omnia dilecti; nàm, qui Deum, tanquám summum bonum diligit; magis eum diligit, quàm cætera omnia; & sic virtualitèr, & implicitè detestatur, & odio habet totum id, quod Deo displicet, eique contrarium est, quòd solùm est peccatum.

Ac pari modo virtualitèr, & implicitè habet propositum se abstinendi à peccato, per quod Deus contemnitur, & odio habetur, atque itá in hoc actu charitatis perfectæ, & amoris Dei supér omnia, continetur virtualitèr detestatio, dolor de peccato; & propositum non peccandi, qui sunt duo actus necessarij simplicitèr ad pœnitentiam, siuè contritionem.

Præmittimus insupèr, pœnitentiam, siué contritionem sempèr fuisse necessariam necessitate medij, cuicunque adulto tám in lege naturæ, quám Mosayca. Ratio est, quia in vtroque statu, nullum aliud fuit medium, per quod possent adulti saluari, eò, quòd in vtroque statu Sacramenta instituta à Deo, non erant sufficientia ad conferendam gratiam iustificantem *ex opere operato*.

Concludendum igitùr est, quòd in vtroque statu, pœnitentia, vel contritio fuit necessaria ad consequendam gratiam iustificantem, necessitate medij, itá S. Tho. q. 86. art. 6. est communis Theologorum sententia, ac de fide, vt ex Trid. sess. 14. can. 4. ibi.

Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicèt, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit duas tantùm esse pœnitentiæ partes, terrores, scilicèt, incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam, ex Euangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

Præ-

Præmittimus deniquè, quòd in statu Euangelicæ legis, existenti in culpa lethali extrà Sacramenta, & Martyrium adhùc esse necessariam pœnitentiam, siué contritionem necessitate medij, ad consequendam gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

Nàm præscindendo à Sacramentis, & Martyrio, peccatum mortale solùm remittitur per pœnitentiam, vel contritionem, quæ vel est formalitèr, vt volunt nonnulli recentiores, vel saltèm dispositiuè, requisita vt alij sentiunt; est sententia communior, & delet culpam lethalem.

Consequentèr igitùr firmamus, quòd pœnitentia, & contritio etiám in statu gratiæ est necessaria, necessitate medij, habenti mortale, vel originale in adultis extrá Sacramenta, & martyrium, vt suprà firmauimus.

Quamuìs Petrus Sotus lectione 4. de pœnitentia cum Cano, velit has duas conclusiones solùm procedere de pœnitentia, & formali contritione; Secùs de virtuali, quam ipse dicit non delere peccatum mortale, nec formalitèr; nequè dispositiué; nihilomimùs huiusmòdi opinio ab omnibus reijcitur.

Ratio nostra est, quiá per actum amoris Dei supèr omnia dilecti, & per pœnitentiam, & virtualem contritionem, poterit impius iustificari etiàmsi tùnc peccatorum memoriam minimé habeat, vt habetur 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & Prouerb.8. *Diligentes me diligo.*

Probatur primò auctoritate Medinæ C. de pœnit. tract. 1.q.2.ibi. Verùm his non obstantibus, tenenda est opposita sententia, tanquám Catholica, quòd scilicèt, necessaria est peccatori, saltém de lege ordinaria cordis pœnitentia, vt remissionem peccatorum mereatur, & consequatur.

Non enim legitur Deum salutem, & veniam peccatoribus promisisse, nisi pœnitentibus, & contritis. Dixit enim per Ioel.2. *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu,*

& plan-

& planctu, *& scindite corda vestra*. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pænitentiam*; & Isai. 56. *Quem respiciam*, *nisi ad pauperculum contritum corde*, *&c.*

Probatur secundò, doctrina Nauarri in manual. cap. 1. num. 5. ibi. Dixi *actuali*, *vel virtuali*, quià sufficit actus, qui licèt non sit pœnitentialis formalitèr, est tamèn virtualitér secundùm Scotum communitèr rèceptum. Qualis est actus peccatoris, qui amore Dei vult subire martyrium, sibi repenté oblatum absquè peccatorum memoria.

Immò quilibet amor Dei, quò plùs, quám omnia alia diligitur, videtur virtualis pœnitentia, secundùm communem, quàm sequitur ille doctissimus, & perspicacis ingenij Vir Ioannes Medina.

Probatur deniquè (sed alijs omissis) sententia Layman in præsenti, ibi. Pœnitentia sempèr in omni lege fuit necessarium medium ad salutem hominibus lapsis in peccatum mortale, citat Tertullianum lib. de pœnit. cap. 4. S. Augustinum epist. 48. ad Vincentium, S. Tho. q. 86. art. 2. & desumitur ex illo Lucæ 14. *Nisi pænitentiam egeritis omnes simùl peribitis*.

Diximus, *si tùnc peccatorum memoriam non habeat*. Per quæ verba nollet quis existimare, quòd ad obtinendam remissionem peccatorum, media contritione, extrà Sacramenta sit necessarium habere memoriam singulorum peccatorum in particulari, & singula detestari, tàm quoàd speciem, quàm quoàd numerum, vt cum S. Thoma ait Filluccius in addit. ad 3. p. q. 2. art. 6. conclus. 1.

Nàm hoc necessarium minimè est, cum sufficiat dolere de omnibus peccatis generatìm, & confusé apprehensis, vel etiám de vno peccato tantùm, sub vniuersali tamèn ratione offensæ, vt regularitèr accidit. quam opinionem cum S. Bonauentura, Caietano, & alijs sustinet Layman in præsenti.

Quæres secundo. An, & quandò Pœnitentia, vel contritio

tritio

tritio sit necessaria,necessitate medij? Resp. Quód existenti in culpa lethali, necessaria etiàm est pœnitentia.necessitate præcepti; itàut, si aliquis hoc transgrediatur certè reus noui peccati efficiatur. Habetur Ser.8.Isai.65.Ezech. 18. Verùm cum pœnitendi præceptum sit affirmatiuum, obligat solùm peccatorem, cum adest opportunitas, & vrget necessitas. Sèd clariùs infrá.

Dices. An pòst commissum peccatum mortale, teneatur impius immediatè pòst conteri, & pœnitere, eliciendo actum contritionis, & secùs faciendo lethalitèr peccet? Petrus de Soto lect.13. de pœnit. vnà cum Villelmo Parisiense,Maiore, Syluestro verb.contr.n.4.& S.Antonino 3.p. tit.14.cap.18.affirmatiuè respondent.

Séd verior sententia est, peccatorem minimè teneri ad hunc actum contritionis toties, quotiès mortalitèr Deũ offenderit, dummodò tùnc non vrgeat mortis periculum, quiá natura præcepti affirmatiui est, vt non obliget, nisi existente necessitate, & præsente opportunitate. Séd pòst peccatum mortale, istà duo non existunt, vti supponimus, ergò ex reatu peccati mortalis præcisè, non oritur hæc obligatio. Vide Hurtadum de pœnit. disp.3. difficul.4.

Patet igitùr ex dictis, minimé, adesse obligatonem eliciendi actum contritionis diebus festis, vt cum Viguerio ait Petrus Sotus, nèc quandò periculum imminet obliuionis admissi peccati; séd contrarium veriùs, minùsque est obligatio, quandò memoria occurrit,peccati commissi, & aliàs dimissi,contrà Riccardum, Paludanum,Syluestr.verb. contr.q 2. Sotum in 4.dist. 14.q.1.ar.9.&c.

Petes, an saltém huiusmòdi obligatio adsit tempore mortis, itá vt sola attritio cognita cum Sacramento non sufficiat, nisi eliciatur actus contritionis, & pœnitentiæ? multi affirmatiué respondent, intèr quos Præpositus in 3.p. qu.2. de contr.dubit. 5.nu.57. ait. Aduerte tamèn hominem in fine vitæ videri ergà se ex charitate teneri ad perfectam contritionem procurandam, licèt enim

alię

aliæ sententiæ non appareant improbabiles.

Nihilominùs si prima ex quocunque capite fortè demũ á parte rei fuerit vera, malum vtiquè irreparabile ex eius neglectu sequeretur, quià charitas ergà se videtur hominẽ obligare, vt omne malum, quantum in se est euitet; ad quod vitandum per se loquendo, ac extrà huiusmòdi circumstantiam, minimé obligaretur. Vide Zambranum cap. 4. dubit. 1. num. 4.

Oppositã enimuerò sententiam defendunt alij asserentes eo tempore etiàm attritionem cognitam cum Sacramento pœnitentiæ satis esse, minûsque aliam adesse obligationem tùnc actum contritionis eliciendi. Colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 4. ibi.

Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniàm, vel ex turpitudinis consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communitèr concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ: Declarat S. Synodus non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiàm donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum; non adhùc quidèm inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, & quamuis sinè Sacramento pœnitentiæ per se iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamèn eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit, &c.

Sèd cessare videtur omnis difficultas, quandoquidèm hoc iàm modo dicto Viator minimé se exponit periculo æternæ damnationis, & consequentèr ipse non deficit in charitate sibi debita, secundùm quam, non tenetur sub culpa lethali, pro sua salute media certissima adhibere, cum sit certa, & æquè satis, vt in casu præsenti attritio cum Sacramento pœnitentiæ. Becanus de Sacram. c. 35. n. 3.

Huiusmòdi conclusio adhùc paritèr confirmatur ex authoritate Fagundez 2. Ecclesiæ præcep. lib. 2. cap. 4. nu. 13. ibi Nihilominùs dura sempér mihi visa fuit hæc opinio, & eam probare non possum, inprimis, quià homo non tenetur

tur sub mortali ex vi alicuius præcepti suam salutem de fide certam facere, quiá id esset impossibile in hac vita.

In opinionem autém Suarij tom.4.de pœnit.disput. 15. sect.4. n.17. sequitur teneri homines sub mortali suam salutem de fide facere certam, si non omnes, saltém doctos, vt ex illius doctrina colligitur. Nàm certum de fide est, homines saluari in vtraque lege per veram contritionem, vèl per actum amoris Dei super omnia dilecti.

Vndè si teneremur ex vi præcepti naturalis prætér Sacramentũ pœnitentiæ, & attritionem, teneremur profectò in articulo saltèm mortis sub mortali certam de fide facere nostrã salutèm, quod nullus doctor hactenùs dixit, nèc Concilium, cum id sit impossibile in hac vita, nemo autèm ad impossibile tenetur.

Corroboratur insupér nostra sententia ex Layman in præsenti. ibi. Quaproptèr rectius dicitur attritio re ipsa sempér esse sufficientem dispositionem iustificationis in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ. Attamén talem pœnitentiã in morituro, non conante in se excitare perfectum amorem de peccatis ob amorem Dei, valdé incertam, & suspectam esse, né forté vera supernaturalis attritio nõ sit.

Atque non tàm ipse homo peccata deserat, quàm á peccatis deseratur, cum ijs tamén secundùm actualem affectũ inhæreat, quiá legimus apud D. Augustinum serm. 7. de tempore: *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur infirma est, quæ autem à moriente petitur; timeo nè, & ipsa moriatur*, talis sententia magis locum habet, si ipsemet moriturus pœnitentiam infirmam agnoscat, ac tepidam esse nequè maiorem in se excitare conetur.

Verùm primam nos sequimur sententiam (licèt secunda sit probabilis) non solùm, quia vrget obligatio sub mortali præcepti charitatis in se ipsum, quæ culpa facilé tollitur in eo, qui contrariam sequeretur opinionem; Verum etiàm quia sine nouo peccato, periculum aliundè imminet mortis æternæ: Vèl saltèm, quiá posset esse vera pri-

ma sententia ; vel quòd magis placet, quia ille attritionis dolor posset esse imperfectus, & non talis qualis à Tridentino requiritur, & sic non valeret moribundus saluari, etiám Sacramento pœnitentiæ suscepto.

Sed hìc magis vrget dubium, nimirùm, An Confessarius de huiusmòdi periculo teneatur ægrotum admonere, & sic eum hortari ad eliciendum actum perfectæ contritionis in mortis articulo? Respondetur, Confessariorum communem praxim esse, vt nihil de tali obligatione, & periculo significent moribundis, quos absque alia diligenti inquisitione, & monitione, de adhibenda contritione, solùm merè attritos de peccatis scientér absoluant.

Praxis hæc, nullo modo est admittenda, alioquin grauissimi scrupuli infirmis inijcerentur, & non minùs ipsismet Confessarijs, quiá vel ægrotus veram habet attritionem cum Sacramento, & tùnc dicere, quòd adhùc probabile sit eum non fore saluandum sine contritione, esset propositio nimis temeraria, ac non minùs digna, & meritó, omni censura, & fortiùs, quia est de fide pòst Tridentinum, attritionem cum Sacramento pœnitentiæ ad peccatoris iustificationem absolutè sufficere.

Vél esset id necessarium ad euitandum periculum non veræ attritionis, vt loquitur Layman in præsenti: sed hoc regularitér loquendo, euenire minimè poterit, quandoquidèm huiusmòdi casus sit valdè rarus, & consequentèr nulla apparet conuincens ratio imponendi Confessario talem obligationem cum isti tãtummodò secundùm communia accidentia in hoc casu, & foro, se gerere, & iudicare debent. Vidè hìc Delugo.

Optimum quidém erit Confessarijs Consilium, si ad actũ perfectę contritionis, & amoris ergá Deum solicitè, & diligentèr procurent suos excitare infirmos; nihil interim eisdem manifestando huiusmòdi obligationem, & euidentissimum æternæ damnationis periculum, vt diximus, quòd profectó in talibus contingentijs prudentię requisitæ Confessariorum, relinquimus.

Dices

Dices estò, quód in dictis casibus præceptū pœnitentiæ, siuè contritionis, minimé obliget; An saltém obligabit ad eam non differendam vsque ad tempus mortis, puta extat Catholicus intér Turcas detentus lapsusque sit in mortiferam culpam, néc habuerit confessarij copiam, neque aliud potuerit suscipere Sacramentum, atque ità non valuerit iustificari à mortali, nisi per pœnitentiam vel contritionem, siuè formalem, siuè virtualem, teneatur ex præcepto diuino actum contritionis elicere aliquando dùm est sanus, & non expectare tempus sui obitus, nimirum, vsque ad aliud tempus pœnitentiam differre possit?

Non equidem desunt Doctores asserentes huiusmòdi fidelem actum pœnitentiæ, & contritionis, vsque ad mortis tempus differentem nouum admissurum peccatum mortale, duplici ratione hoc defendentes. Prima ex parte Dei, cui pro illata iniuria satisfacere nollet, ac tàm longo tempore in eius inimicitia perdurare vellet, & sic nouum committeret peccatum, quiá in hoc contemptus Dei contineri videtur.

Secunda ratio est, ex parte ipsius peccatoris, tùm quià carere velle Dei gratia, auxilijs, & beneficijs vsque ad illud tempus, esset simùl velle inferre damnum, & notabilem iacturam donorum spiritualium, tùm etiam quia non permanere in tali proposito pœnitendi, vsque ad mortem contineretur virtualis intentio, & propositum relabendi in eadem, & alia maiora peccata, vt explicat S. Gregorius homil. 11. in Ezechiel. ibi. *Peccatore diù expectat Deus, vt redeat, non redeunti, atque contemnenti ponit offendiculum, vbi grauiùs impingat* Vide S. Tho. q. 84. ar. 5. ad 2. Apostolum ad Rom. 2. & Ecclesiast. 30.

SECTIO II.

De effectibus virtutis Pœnitentiæ.

QVæres; An dari possit aliquod peccatum, adeò graue, & enorme, quod per pœnitentiam minimè deleatur? Respondetur, quòd licèt habeatur Matt. 12. & Marc.3. ibi. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, ei remittetur, qui autèm dixerit contrà Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Nihilominus de fide tenendum est, nullum de facto dari peccatum, etsi grauissimum, quòd per veram pœnitentiam tolli nequeat. Colligitur ex Ezech. cap. 18. ibi. *Nolo mortem morientis dicit Dominus, reuertimini, & viuite;* & supponitur à Tridentino sess. 6. cap. 14. ibi. *Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merita Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.*

Pro peccato in Spiritum Sanctum, intelligimus peccatum blasphemiæ, quo & misericordia, & bonitas Spiritus Sancti per quas peccator iustificatur dæmoni tribuebātur; & sic, qui Spiritui Sancto sacrilegè adimit misericordiam, & bonitatem difficillimè saluari poterit. Ratio est, quia sicuti nullus potest consequi finem in æternum sine medio, qui est Spiritus Sanctus, scilicèt, fons viuus, ignis, charitas, ergò ablato medio, nempè, gratia Spiritus Sancti, nequaquàm poterit obtineri gloria, & sic dicimus, quòd difficillimè, remittitur, non tamén simplicitèr, quòd per veram pœnitentiam remitti minimè possit.

Quæres iterùm an saltém dari possit aliquis peccatorum numerus ad quem cum peccator péruenerit, nullo modo in

in posterùm pœnitere possit, non ex eo, quia libero careat arbitrio, néc quòd in se non sit gratia efficax ad delēda illa peccata; séd potiùs, quia Deus in pœnam peccatorum gratiam denegare videtur.

Prima sententia asserit, peccatorem ob commissas culpas lethales in talem deuenire statum, vt etiàm si pœnitere voluerit minimé possit, néc miretur Lector si misericors Deus vni proptèr sua peccata deneget auxilia opportuna, & alteri habenti grauiores culpas minimé deneget, quia Apostolus ad Romanos 9. sic ait Cuius *Vult miseretur, & quem vult indurat.*

Duæ tamèn à Doctoribus assignantur rationes: Prima est quia sicùti Deus aliquos in sua gratia confirmat, vt nequaquàm cadere possint, quod huiusmodi opus est diuinæ misericordiæ; ità ad diuinam iustitiam pertinere videtur nonnullorum obdurare corda, vt si velint nunquàm pœnitere possint.

Secunda ratio est, quia aliquando Deus miraculosê impium actu peccantem interficit, ac de huiusmòdi casibus quamplurima habentur exempla; ergò à fortiori Deus aliquibus suam gratiam denegare poterit. Vide Abulensem, Medinam, & alios apud Suarèz in præsenti.

Séd meliùs cum communi Theologorum sententia fatemur, quia in hac vita quemcumque peccatorem constitutum in actu primo proximo pœnitendi de facto habere gratiam sufficientem ad talem pœnitentiam peragendam absque vlla prorsùs exceptione, tàm in personis; quam in mensura, & statu, ità S. Thomas, *cum Deus velit omnes saluos fieri.*

Quod hactenús firmauimus desumitur ex Trid. sess. 6. cap. 12. ibi *Nemo quoq; &c. quasi verum esset, quod iustificatus, aùt amplius peccare non possit, aùt si peccauerit certam sibi resipiscentiam promittere debeat, nàm nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

Et non minùs ex cap. sequenti paritèr colligitur. *Qui* per-

perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Quod quidèm aliundè haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat statuere, vt perseuerantèr stet, & eum qui cadit restituere &c.

SECTIO III.

De pœnitentia, quatenùs est Sacramentum.

QVæres, Quid sit Sacramentum pœnitentiæ? Respondetur Sacramentum pœnitentiæ solitum fuisse nuncupari expiationem, siuè purificationem, Baptismum laboriosum, secundam tabulam pòst naufragium, & alijs nominibus, quæ quidèm videri possunt, apud Doctores de huiusmòdi materia tractantes.

Dicimus insupér tàm in lege veteri, quàm scripta minimè extitisse Sacramentum pœnitentiæ, & licèt sit communis sententia, in contrarium tamèn obstat Capreolus. In lege verò euangelica, idést, gratiæ, dari hoc Sacramentum in Ecclesia contra hæreticos tùm antiquos, tùm modernos, est de fide, habetur ex Tridentino sess. 14. c. 1. ibi.

Porrò *nèc antè aduentum Christi pœnitentia erat Sacramẽtum, nec est pòst aduentũ illius, cuiquam ante Baptismum. Dominus autèm Sacramentum pœnitentiæ tùnc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insuflauit in discipulos suos dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.*

Firmamus deniquè huiusmòdi Sacramentum fuisse à Christo institutum ad remittenda pòst Baptismum peccata commissa, quòd paritèr est de fide, vt habetur ex Tridentino loco supra citato, ibi: *Quo tam insigni facto, & verbis tàm perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles pòst Baptismum lapsos &c.*

Pœnitentia igitur *est Sacramentum reconciliationis lapsis pòst Baptismum in mortale, consistens in actibus pœnitentis, & in absolutione Sacerdotis,* Di-

Dicitur primò *Sacramentum* loco generis. Secundò *reconciliationis lapsis post Baptismum*, loco differentiæ. Tertiò *consistens in actibus pænitentis*, vt denotetur materia proxima huiusmòdi Sacramenti, quæ consistit in contritione confessione, & satisfactione, ex quibus patet, quod materia remota sunt peccata mortalia pòst Baptismum commissa, & vltimò dicitur *absolutione Sacerdotis*, ad significandam formam, quæ est absolutio, est communis.

Quod huiusmòdi Sacramentum sit necessarium ad salutem æternam consequendam necessitate medij lapsis in mortale pòst Baptismum. Probatùr, quia præciso hoc Sacramento, nullus pòst Baptismum potest iustificari iuxta illud Lucæ 13. *Nisi pænitentiam egeritis &c.*

Vnum hìc intereà aduertendum est, quòd ad impij iustificationem à mortali necessarium minimé erit, vt huiusmodi Sacramentum re ipsa suscipiatur, séd abundé, ac satis erit, quando re haberi non potest in voto saltem percipiatur, ità omnes communitér.

Ratio est. quia veræ contritioni promissa est iustificatio, & peccati remissio, nihil obstante, quod hoc Sacramentum pœnitentiæ effectiué minimé recipiatur, quandoquidém in eo adsit desiderium, & votum quòd veré æquiualet, quoad collationem gratiæ Sacramento reipsa suscepto, & hoc quia voluntas reputatur pro facto, & Deus cor contritum non despicit iuxta illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

SECTIO IV.

De materia Sacramenti Pænitentiæ.

PRæmittendum est tàm in hoc, quàm in cæteris alijs Sacramentis, duplicem dari materiam, remotam, scilicèt, & proximam: Vt in Baptismo diximus materiam re-

remotam esse aquam naturalem; proximam verò ablutionem, & ideò aqua dicitur materia remota Baptismi, quia circa illam versatur proxima, idest, ablutio, & extremæ vnctionis oleum benedictum, quia circa illud versatur vnctio, quæ dicitur materia proxima.

Quæres, quænam sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ? Respondetur esse peccata actualia pòst Baptismum commissa, siuè mortalia, siuè venialia. Ratio non solùm patet ex dictis; verùm etiam, quia absolutio cadit supra peccata; ergó peccata sunt materia huius Sacramenti non proxima; ergo remota, ità in præsenti S. Thomas communitèr receptus.

Dices peccatum originale est né materia huius Sacramenti? Respondetur negatiuè, quia non fuit à nostra pròpria voluntate commissum, & ad hoc tollendum fuit institutus Baptismus. Sèd quid de peccatis commissis antè Baptismum sunt ne materia remota huius Sacramenti?

Respondètur negatiuè, quia per Baptismum tolluntur; & fortiùs, quià peccata in eo statu commissa minimè subijciuntur iurisdictioni, & Ecclesiasticis clauibus; quandoquidèm peccator antè Baptismum non efficiatur subditus Ecclesiæ, vt habetur 1. Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt;*

Colligitur paritèr ex Tridentino supra citato, ibi, *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pænitentiam, non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur*, & Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum pænitentiæ Sacramentum esse dixerit. quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, àtque ideò Pænitentiam non rectè secundam pòst naufragium tabulam appellari anathema sit.*

Regulam hìc igitùr generalem firmamus, materiam necessariam huius Sacramenti esse solùm peccata mortalia pòst Baptismum commissa, quià remitti minimé possunt, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, & cū

ve-

venialia extrà Sacramentum remitti possint, ergò sola mortalia erunt materia necessaria huius Sacramenti.

Diximus *materiam necessariam*, nàm sufficientem huius Sacramenti pœnitentiæ, adhùc esse peccata venialia. Quòd non sint materia necessaria. Probatur, quià pœnitens potest de illis se accusare, vèl non accusare ad suum libitum. Rursùs potest aliqua manifestare, & nonnulla reticere: ergò non sunt materia necessaria.

Quòd sint peccata venialia materia sufficiēs. Patet, quià Christus instituit hoc Sacramentum vniuersalitèr prò peccatis, & consequentèr nequè videatur coarctari fideles, quòàd efficaciam Sacramēti ad confitendum sola mortalia, sèd paritér extendi ad venialia, iuxtà illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Sèd instabis, An peccata venialia aliàs in Sacramentali Confessione directè remissa, etiam esse possint materia sufficiens, non tamèn necessaria Sacramenti alterius confessionis? Respondetur affirmatiuè, quia, quòd sit sufficiens patet ex fidelium praxi, non enim rarò in sequentibus cōfessionibus pœnitentes se accusant de mortalibus iàm confessis, & dimissis in alijs antecedentibus confessionibus, Immò passim fiunt Confessiones generales, licèt nullum dubium de confessionum præteritarum validitate adsit, minùsque ab vltima confessione pœnitentes conscientiam peccati mortalis habeant, quòd etiám licitum, & laudabile est, vt docet S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. & patet ex psal. 50. ibi *Ampliùs laua me ab inquitate mea*,

Obijcies, forma absolutionis minimè cadere videtur suprà mortale in alia confessione remissum, nàm illud fuit, vt suppon mus, in confessione præcedenti absolutum, ergò falsa re deretur forma *Absoluo te, &c.* si confessarius intenderet a illo absoluere.

S. Thomas q. 84. art. 3. ad 5. respondet sensum formæ *Absoluo te &c.* hunc esse: *ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*, qui sensus est: *ego tib. peccatum per claues remissum*

iterùm etiàm per claues remitto. In quo modo loquendi, nulla continetur falsitas.

Quemadmodùm, quis poterit eamdem remissionem pecuniarij debiti repetere, & confirmare bis, tèr, aùt quatèr instrumento, in quibus non mentiretur creditor, nèc mendacia essent instrumenta, cum diceretur à creditore debitum aliàs remissum, iterùm, & iterùm remitti, eò, quiá nulla extat implicantia, nèc sit frustatoria illa reiterata remissio.

Sic etiàm á pari, Confessarius minimè mentitur, immò ritè, & rectè loquitur, dùm peccatum semèl absolutum, & consequentèr remissum, per Sacramentalem confessionem bis, tèr, & quatèr, ac iterùm, iterùmque remittit, cum tùnc fiat, per verba *Absoluo te, &c.* sensus suprà descriptus, & adhùc hoc dici potest de peccato mortali per contritionem dimisso.

In huiusmòdi casu (quòd pro praxi inseruire potest) aliqua limitatione vti debemus, nimirùm, vt peccatum mortale iàm per absolutionem dimissum, non frequentèr, & sinè causa repetatur, & Confessarius admoneatur, vt pœnitentis status ab ipso cognoscatur, cum respectu eiusdem peccati, non iteretur confessio, nisi adueniente nouo motu deuotionis, vèl noua erubescentia de ipso peccato. Riccardus in 4. d. 18. ar. 2. q. 4.

Nec superuacaneùm esset dictis addere, pœnitentem iterùm, iterùmque prò sua libertate peccata aliàs confessa, & dimissa confiteri posse; dummòdò sempèr de illis nouum dolorem eliciat, & confessario afferat, quiá cum pœnitens iterùm reus constituatur (ad instar iudicij forēsis fuit hoc Sacramentum institutum) á confessario Iudice, poterit causa iterùm cognosci, & vt reus, noua pronunciata sententia, meliùs liber remaneat.

Nèc dicatur, non posse verificari verba formæ *Absoluo te &c.* cum fuerit pœnitens aliàs ab eisdem culpis absolutus, quià respondetur, nullum adesse mendacium, eò, quòd ipsa

ipsa forma caderet suprà nouum pœnitentis dolorem, & hoc confirmari potest ex Ecclesiæ dispẽsatione, dùm etiàm præcisis peccatis de recenti commissis, ac absqué eis, timoratis conscientiæ sæpesæpiùs confessiones generales ipsa Ecclesia permittit, satis de materia remota.

SECTIO V.

De Contritione.

QVæres, quid sit contritio? Respondetur: *Contritionem* (complectentem paritèr attritionem) *esse animi dolorem, seù detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*, habetur ex Trid. suprà citato sess. 14. cap. 4. ibi: *Declarat S. Synodus hanc contritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiàm odium continere, iuxtà illud - Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, &c.*

Dicitur *animi dolor*, vt ostendatur, quòd actus doloris in voluntate resideat, quiá si voluntas, quòd si desiderat, pręsens habeat, congaudet, & delectatur, ità à pari, si malum quod nolit sit præsens, illud odio habet, & detestatur. Ex quo sequitur, quòd contritionis actus non consistit in tristitia, & sensibili dolore corporali; sèd in tristitia animi, idèst, voluntatis, qui potest in nobis sensibilitèr reperiri.

Et licèt, quis de peccato dolere possit, eò, quòd fuerit causa ægritudinis, infamiæ, iacturæ rei familiaris, &c. Hic tamèn dolor, vt sic, non est aptus ad contritionem, quia huiusmòdi motiua sunt merè naturalia. Dolor verò, vt est pars contritionis, suum debet habere principium à motiuo suprànaturali, & de peccato, quatenùs offendit Deum, & in nos ipsius odium, & inimicitiam infert, & ideò in-

definitione dicitur *de peccato: & cum proposito non peccandi de cætero*.

At si loqnamur de contritione, quatenùs ab attritione diuiditur, sequenti modo, definire possumus: *Contritio est detestatio de peccato, quatenùs offensa Dei, & proptèr Deum summè dilectum, cum proposito, non peccandi de cætero*, idèst, *in futurum*. Hæc definitio à priori differt, per particulam *quatenùs est offensa Dei, & proptèr Deum summè dilectum*.

Contritionis propriùm, & speciale, siuè saltém principale motiuum est, dolere de peccato, non quatenùs nobis causat aliquod malum, scilicèt, amissionem æternæ gloriæ vel reatum perpetuæ pœnæ; séd quatenùs est malum, & offensa Dei supér omnia dilecti, est communis Theologorum sententia, quæ desumitur ex Tridentino suprà citato.

Ad veram contritionem, quæcumque detestatio, & dolor de peccatis supèr omnia, in quocumque gradu, etiàm remisso, est satis sufficiens, minùsque necesse est, vt actus detestationis, & doloris sit valdé intensus, quià potiùs est attendenda substantia actionis, quàm gradus intensionis, quæ licét sit multùm vtilis, nihilominùs, non est necessaria. itá S. Thomas in 4, dist. 57. q. 2. ar. 3.

Toletus lib. 3. cap. 5. §. 4. sic ait. Respòndeo solùm esse necessariam peccati detestationem suprá omne detestabile; quæ si sit, peccatum delet, quamuis non sit tám intensa; quàm potest esse detestatio alicuius mali temporalis. Non enim est determinata intensio actus necessaria. Immò contritio vna, licét remissa, potest delere quodcumque peccatum, quamuis grauissimum.

Néc homo tenetur magis conteri de vno peccato; quàm de alio; dummodò conteratur; quamuis sit valdé vtile magis conteri, & de peccato grauiori plùs dolere. Hoc enim valet ad pœnæ maioris remissionem, & maioris etiàm gratiæ consequutionem. Nám contritio non aufert totam pœnam

nam debitam peccato, ob id sunt Indulgentiæ, quæ in remissionem pœnæ temporalis debitæ in Purgatorio adhibentur, posset tamén tanta esse contritio, vt etiàm totam auferat pœnam.

Immò ipsa attritio, putata contritio, proùt maior, vèl minor fuerit, ità cum Sacramento maiorem gratiæ infusionem, atque pœnæ remissionem consequitur. Ratio autém quaré, quælibet contritio, quodlibet peccatum aufert est, quià, cum contritio est, gratia ipsa est. Minimus autém gratiæ gradus sufficit omnia peccata á recipiente expellere, ipsumque Dei amicum facere, iusque ad gloriam æternam habere. satis Toletus.

Addimus insupér actum contritionis, in quacumque hora, siuè mora temporis, licét breuissima. Immò in instanti, vt loquuntur scolastici, elici posse. Hoc prò scrupulosis valere potest, qui ad confessionem accessuri integras insumunt horas, in eliciendo actũ doloris, quòd, licét in conscientijs pacatis sit commendabile, in scrupulosis verò reprehensibile, quiá quis indignus in instanti iustificari potest. Vide textum, ibi.

Causa 86. de pœnitentia dist. 1. *Mensuram autèm temporis in agenda pænitentia idcircò non satis apertè præfigunt Canones, &c. quià apùd Deum, non tàm valet mensura temporis, quàm doloris, nèc abstinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum, &c. extant tamèn pro quibusdam culpis pænitentiæ modi impositi, iuxtà quos cęteræ perpendendæ sunt culpæ cum sit facilè per eosdem modos vindictam, & censuram canonum æstimare.*

Quæres; quid sit attritio, quatenùs à contritione distinguatur? Respondetur, *est detestatio imperfecta peccati, disponens hominem remotè, & insufficientèr ex se sola, proximè verò, & sufficientèr ad gratiam, cum Sacramento.* Trid. sess. 14. cap. 4. cit. ibi: *Illam verò contritionem imperfectum, quæ attritio dicitur, quoniàm, vèl ex turpitudinis peccati consideraione, vel ex gehenna, & pænarũ metu communitèr concipitur, si vo-*

si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, S. Synodus declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verùm etiàm donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhùc quidèm inhabitantis; sed tantùm mouentis, quo penitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sinè Sacramento pœnitentiæ, per se iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamèn eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentię impetrandam disponit &c.

Dicitur *detestatio imperfecta*. Quiá, contritio est de peccato; quatenùs peccatum est offensa, & malum ipsius peccatoris. Dicitur *remotè &c.* nàm attritio ex se sola, non est vltima dispositio ad gratiam, vt est contritio. Dicitur *proximè, & sufficientèr cum Sacramento*, quia, attritio simùl iuncta cum Sacramento, confert gratiam sanctificantem, & facit hominem contritum, & iustum.

Hoc tamén intelligendum est, non quòd per Sacramentum pœnitentiæ, attritio substantialitér commutetur, vt fiat contritio, sed quoniàm attritio, & Sacramentum simùl eosdem plané effectus operatur in peccatore baptizato, quos veré, & simplicitér operatur ipsa contritio. ità omnes concorditèr.

Hìc tamèn explicare debemus conditiones attritionis necessarias. Prima igitùr est, vt attritio sit dolor de peccatis ob aliquod motiuum supernaturale, scilicét, ob metum gehennæ, & pœnarum, vt habetur ex Tridentino supra citato. Quo nomine vtraque intelligitur pœna, scilicèt, sensus, & damni, & sic paritèr comprehendit amissionem æternæ gloriæ.

Similitèr bonus est dolor de peccato ob pœnam Purgatorij, cuius terrore, non solúm potest homo dolere de venialibus; verùm etiàm de mortalibus, quæ post iustificationem eadem purganti pœna paritèr, puniuntur iuxtá Tridentinum dicens. *Dolorem de peccatis esse bonum etiàm illum, qui nascitur ex turpitudine eiusdem peccati.*

Nomine veró turpitudinis peccati, adhùc intelligi debet dolor

dolor de peccato; quatenùs est iniuria in Deum, vt omnes loquuntur Doctores, & à simili dicendum est de peccato, quatenùs est inobedientia, irreuerentia, ingratitudo, & offensa in Deum, vt nonnulli recentiores discurrunt.

Dices huiusmòdi dolorem, non esse sufficientem, quandoquidèm, qui de peccato doleat ob pœnam inferni, magis doleat de pœna, quàm de peccato; ergò cessante motiuo doloris, idest, pœna inferni, adhùc etiam cessaret dolor de ipso peccato. Ergò hic dolor non est sufficiens cum implicitè resoluatur in huiusmòdi actum, quo peccator diceret. Si non esset pœna inferni, minimè dolerem de peccato.

Respondetur, concedendo dolerem de peccato proptèr pœnam, magis dolere de pœna, quàm de peccato, iuxtà illud *proptèr, quod vnum quodque tale, & illud magis*. Nihilominùs ex hoc non fit, quòd, quando pœnitens hoc modo dolet, de facto habeat hunc actum, quo explicitè dicat, si non esset pœna, non dolorem de peccato, & hoc sufficit, vt illa dicatur vera attritio, & fortiùs, quià alia non desunt motiua, quæ excitare possunt dolorem de peccato. siné vllo ordine ad pœnam.

Sequitur tamen ex dictis, quòd adeò est necessarium attritionis motiuum, vt si non sit supernaturale, non esset sufficiens solùm naturale, quiá dolor ex motiuo naturali non est dispositio sufficiens ad gratiam supernaturalem, cum minimè sit in eodem genere, & sic non erit bona attritio illa, quæ in penitente nascitur de peccato, eò, quòd per tale peccatum ipse contraxerit infamiam, iacturam rei familiaris, periculum vitæ, vel quid simile &c. si hæc nullo modo, ad Deum vti bonum renumeratorem, vel malorum punitorem, referantur.

Probatur Niniuitarum exemplo, quorùm meminit Tridentinum loc. cit. ibi. *Hoc enim timore vtilitèr concussi Niniuitæ ad Iona prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt*. Eò, quia ex mo-

motiuo mali temporalis, nimirùm, excidij propriæ Patriæ inferendi à Deo, ad ipsum conuersi sunt. Et sic dicimus, quód dolor de peccatis ex motiuo pœnæ temporalis, quæ à Deo, vt authore supernaturali timetur, est actus supernaturalis, & vera attritio.

Altera conditio attritionis est, vt sit vniuersalis, idest, de omnibus peccatis mortalibus commissis, quandoquidem si particularis esset de vno, scilicèt, aùt de altero mortali proptèr peculiares eorum turpitudines, ac specificas malitias, minimè foret sufficiens dispositio ad recipiendum Sacramenti effectum, nimirùm, gratiam iustificantem.

Ratio est, quiá. requiritur dolor, per quem peccator perfectè ad Deum conuertatur; Sed per dolorem, & detestationem furti, & homicidij tantùm, non detestatur peccata blasfemiæ, vel fornicationis, sub illa formali, & specifica ratione furti &c. quorum supponimus, quòd sit: ergó per illum dolorem, non esset ad Deum perfecté conuersus, sicuti ad bonam attritionem requiritur. Bonacina disp. 5. q. 5. p. 3. n. 1.

E' contrà verò, si quis doleret de peccatis, quorum habet memoriam, sub vniuersali aliquo motiuo, ex dictis omnibus peccatis, attritio esset bona; quià ad iustificationem per Sacramentum pœnitentiæ, opus non est de singúlis peccatis mortalibus in memoriam reuocatis, & confitendis singillatim dolere, sed sufficit vnus simplex attritionis dolor ex generali motiuo conceptus, qui virtualitèr, & implicitè ad omnia peccata extenditur.

Instabis, An pœnitens confessus, & sacramentalitèr absolutus, immediatè pòst ad nouam confessionem rediturus, & confessurus peccatum in præcedenti confessione oblitũ, teneatur nouum actum doloris elicere? Respondetur, quòd licèt nonnulli asserant teneri nouum actum doloris elicere, Aliqui tamèn volunt in huiusmòdi casu, non requiri nouum doloris actum, quià prior in peccatis iàm oblitis, & de obligatione confitendis adhùc virtualitèr perseueret.

Ad-

Addimus insupèr minimè necessarium esse, vt attritio sit cognita contritio, sed satis erit attritio cognita, vt attritio, dummodò sit vera attritio, & non naturalis, ac honesta, quæ fuit damnata in Congregatione generali habita feria v. die 2. Martij 1679. in Palatio Apostolico Vaticano coràm SS. D. N. Innocentio XI. & EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contrà hæreticam prauitatem &c. §. 57. ibi. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

Ratio nostra desumitur ex Tridentino vbi suprà; quià attritio licèt imperfecta, vocatur contritio, satisque est cum Sacramento pœnitentiæ ad iustificationem peccatoris, & consequentèr dicimus, quòd huiusmòdi existimatio sicùti nil illi actui addit, si verè contritio non est; ità hæc nihil demit etiàm si attritio reputetur. Reijcimus tamèn hic opinionem multorum Doctorum, asserentium in mortis articulo sufficere attritionem, vti attritionem cognitam, quam dicimus esse omni censura dignam.

Quæres, An requiratur attritio prò confessione venialium? Respondetur etiàm in confessione venialium requiri dolorem supernaturalem absolutum, & efficacem; patet non solùm ex dictis; verùm etiàm, quià, cum venialia, paritèr sint confessionis materia, saltèm remota, & sufficiens, licèt minimà; adhùc requiritur, vt sit supernaturalis, & efficax, aliàs Sacramentum nullum erit; quòd intelligendum est iuxtà ea, quæ diximus, quandò pœnitens sola venialia absque vllo mortali confiteretur.

Ex quo sequitur, committere sacrilegium confitentem venialia absqué dolore supernaturali, & efficaci. Est contrà quemdam recentiorem Theologum arbitrantem hoc non esse peccatum, eó, quòd non sit grauis culpa, & consequentèr, non facere Sacramentum irritum, quod, id nullo modo est firmandum, cum non dici debeat leue, quod pertinet ad Sàcramenti essentiam, & validitatem. Immò grauissimam esse culpam, data opera, Sacramentum reddere

inualidum, & ſic huiuſmòdi opinionem falſam, & temerariam appellamus.

In confeſſione venialium neceſſarium non erit, vt dolor ſit vniuerſalis, idèſt, de omnibus venialibus, ſed poterit pœnitens abſquè mortali confiteri viginti venialia, ſolùm de decem ſe dolere, non verò de alijs decem. Probatur paritate, quià in Baptiſmo ſi cum aqua naturali pars olei benedicti in modica quantitate miſceatur, nō propterеà materia redditur nulla, & inualida, minùſque erit lethalis culpa, & conſequentér nequè fieri inualidum Sacramentum pœnitentiæ, confitendo ſinè debito dolore, nonnulla venialia, & cum tali dolore, reliqua iàm dicta, & ſic omni culpa carebit.

Hoc præſertim locum habere videtur ſi id faciat ob aliquem bonum finem, puta, ad capiendum conſilium, ſiuè ad maiorem humilitatem, contrà nonnullos contrarium ſentientes, nimirùm, id eſſe peccatum mortale à paritate probantes, ſcilicèt, qui octo, vel decem hoſtias conſecrandas in corporali apponeret; quarum quatuor, aùt quinque ſolummodó eſſent triticeæ; non verò aliæ, peccaret mortalitèr loquuntur, idemque aſſerentes in caſu præſenti.

Quæ modo hactenùs deſcripſimus, minimè ſunt contrá noſtram concluſionem, quià in forma Euchariſtiæ, verba abſoluté ſignificant adeſſe Corpus Chriſti omne id, ſuprá quod cadit ipſa forma, vndè neceſſariò ſequitur ex vi verborum, quòd in ſingulis illis hoſtijs Chriſti Corpus ponatur, ſicùt id abſoluté ſignificat forma, quòd non eſt dicendum, cum omnes illæ hoſtiæ non ſint ex tritico confectæ, & ſic quòad non triticeas forma falſa redderetur.

Sèd forma abſolutionis non abſolutè ſignificat remiſſionem peccati; ſed ſub conditione, itaùt ſenſus ſit, quantum eſt ex parte mea, tibi remitto peccata, quæ hìc, & nùnc ſunt remiſſibilia proximè, quo ſenſu ſtante, non redditur falſa forma abſolutionis in caſu noſtro, cum tám ex inten-

tione

tione proferentis, quám etiàm recipientis, forma solummodó cadit suprá materiam dispositam, non verò ineptam.

Minùsque sub mortali teneri pœnitentem manifestare confessario se de quatuor, vel quinque venialibus confessis non habere dolorem, & rursùs, se non dare ea pro materia Sacramenti; sed satis esse, pœnitentem habere animum internum, non dandi pro materia illa peccata, vel certè animum conditionalem dandi pro huiusmódi materia si posset saltèm hoc, esse; oppositum veró, si non posset, vt nonnulli fatentur.

Qnód diximus adhùc extendi potest ad mortalia aliàs confessa, & in confessione directè remissa, cum nequè sit lethalis culpa in sequenti, si de illis pœnitens non doleat; dummodó tùnc non habeat de mortalibus iàm confessis actualem complacentiam, & aliundé se accuset de aliquo peccato saltèm veniale nouitèr commisso, si culpa lethali careat, cum requisito dolore, vt alibi fusiùs explicauimus, & sic á pari ratione huiusmòdi nostram sententiam firmamus.

Conditio vltima veræ attritionis est, vt non solùm sit dolor vniuersalis, & supernaturalis, respectu mortalium; verúm etiàm efficax, idést, vt pratér dolorem, & detestationem peccati, adhùc existat efficax propositum, minimè peccandi in futurum; sed quià de huiusmódi proposito quamplurima sunt explicanda; idcircò de hoc singularem instituimus præsentem sectionem.

SECTIO VI.

De Proposito.

QVæres quomodò propositum, non peccandi requiratur in Sacramento pœnitentiæ? Respondetur, pro-

positum non peccandi, aliud esse formale; aliud verò virtuale. Formale est, cum quis explicitè, & actu proponit se in posterùm non peccaturum. Virtuale est, quando hoc idem propositum non explicitè, sed implicitè, & virtute continetur in áctu doloris, nàm qui verè, & efficacitèr dolet de peccato e. g. furti, virtualitèr, & implicitè paritèr proponit se ampliùs non commissurum peccatum.

Huiusmòdi propositum habere debet omnes illas cónditiones, quas superiùs numerauimus, exigendas in dolore, vt confessio Sacramentalis valida reddatur, nimirùm, vt sit donum Spiritus Sancti vniuersale de omnibus peccatis mortalibus absolutum, & efficax. Vndè colligitur, quòd omnes illationes, quas ex similibus principijs deduximus de dolore peccatorum præteritorum, verificari possent in proposito futurorum in suo tamèn modo.

Non est necessarium, vt hoc propositum tàm intrà, quàm extrà Sacramentum sit formale, & explicitum, séd satis esse virtuale, & implicitum, quòd implicitè, & virtualitèr continetur in efficaci peccatorum detestatione, ex motiuo vniuersali, & supernaturali, quià vnus actus detestationis peccati ob supernaturale motiuum, sufficit ad iustificationem, etiàmsi tùnc nullo modo occurrat pœnitenti in futurum vita in melius instituenda.

Nàm, qui efficacitèr dolet de peccato ob metum gehennæ, e.g. simùl etiàm implicitè proponit illud ampliùs non committere tàm si dolet de peccatis præteritis, quià per illa contraxit reatum æternæ pœnæ, siuè damnationis, quàm paritèr ob peccata futura.

Obijcies Concilium Florentinum, & Tridentinum, vnum in decreto Eugenij; alterum verò sess. 14. cap. 4. requiruut dolorem, & propositum non peccandi: ergò sempèr erit eliciendum propositum formale.

Respondetur, citata Concilia intelligenda esse de proposito formali, vel virtuali, & implicito, vel etiàm de solo formali, & explicito. Quandó verò propositum virtuale non

non esset vniuersale, vt contingit in casu, quo pœnitens doleret de peccato furti, ob solam specialem malitiam, tùnc illud propositum virtuale, non esset vniuersale, & efficax circà alia peccata diuersæ speciei.

Quòd verò spectat ad propositum in Confessione venialium: dicimus falsum esse, quòd nonnulli volunt in confessione venialium, nullum requiri propositum, nec formale, nequè virtuale, eò, quòd minùs requiratur ad remissionem venialis, quàm mortalis. Hoc diximus esse falsum.

Ratio est, quià si in confessione venialium, requiritur dolor efficax, & ad solutus sempèr in huiusmòdi dolore continebitur propositum, saltèm virtuale, & insupèr quià nullum peccatum remitti potest de lege Dei ordinaria, nisi voluntas ab eo recedat, nequè actuale peccatum contrahi, nisi voluntas per se ad illud accedat, sed voluntas etiàm à peccato veniali non potest recedere, nisi per propositum actuale, vel saltèm virtuale: ergò &c.

Diximus, *nullum peccatum remitti potest de lege Dei ordinaria*, quià, si loquamur de illius potentia absoluta, asserimus posse hominem à lethalibus culpis, & sinè vlla ipsius pœnitentia iustificari, dummodò cesset actus peccati. Ratio est, quià, nulla potest dari implicantia, quòd Deus peccatori infundat gratiam, & per illam delere peccatum absquè sua dispositione. Ergò de potentia Dei absoluta peccator poterit iustificari à mortali absquè vlla pœnitentia, cessante actu peccati, vt diximus.

Firmo remanente peccato, iustificari nequaquàm potest: quandoquidèm minimè possit simùl, & semèl in eodem subiecto esse peccatum, & gratiā, & sic existente peccato, impossibile est, esse peccatorem, amicum, & inimicum Dei.

Dices, an de potentia Dei absoluta possit impius sinè vera mutatione suæ vitæ, seù infusione alicuius doni supernaturalis peccato incompossibilis, iustificari? Responde-

tur

tur,nos in præsenti agere debemus de re morali, non verò de Scolastica Theologia, idcircò Lectorem ad Angelicum Doctorem remittimus.

In confessione venialium,non requiritur propositum rigorosum, & strictum vitandi omnes occasiones venialitèr peccandi, sicùti requirendum erit, fugiendi omnes occasiones proximas mortalitèr peccandi, quià in primo casu ad summùm est peccatum veniale.

Secùs verò in secundo, quià volentes occasiones proximas peccandi omittere, non erit facilis eorumdem emendatio. Sèd, an isti censeantur habere, vel non habere propositum efficax in ordine ad recipiendam Sacramentalem absolutionem ad remouenda dubia sequentia proponimus.

De Constituto in occasione proxima peccandi.

QVæres, an, & quandò nolens omittere occasionem peccati mortalis proximam, sit censendus habere, vel non habere pròpositum efficax illã vitandi in futurum? Respondetur,occasionem peccandi,quæ inducere solet defectum propositi, per se, vel per accidens,duplicem esse, proximam scilicèt, & remotam.

Proxima est illa, quæ,vel ex suo genere frequentèr hominem inducit ad peccatum mortale; vel saltèm constat ex experientia in huiusmòdi homine in talibus circumstantijs constituto sempér affectum habere ad peccatum mortale.

Remota verò illa dicitur, quæ talis ex se minimè est, & qua paritèr posita, non sequitur, quadam morali necessitate, mortale peccatum.

Dicitur, *occasio proxima*, quià intér talem occasionem, & peccatum nil mediare videtur; sed posita huiusmòdi occasione,per quandam moralem necessitatem statim,ac immediatè sequitur peccatum. Quòd minimé accidit in remota, intèr quam,& peccatum sempèr aliquid aliud intermediat. Nauar. in præsenti.

Immò

Immò ab ipso Nauarro cap. 3. n. 14. dicitur, quòd occasio propinqua, à qua pœnitens necessariò abstinere debet, atque statuere se nunquàm ea vsurum, vt à confessario absolui possit, & sola est illa, quæ est peccatum mortale, aùt talis occasio particularis, qua credit, vel debeat credere Confessarius; vel pęnitens nunquàm, vel raro se vsurum ea, sinè peccato mortali benè perpensis eius circumstantijs.

Secundùm Sanchez lib. 1. in decalog. cap. 8. habetur, quòd, tùnc autèm contingit hæc moralis proxima causa, vel hoc morale proximum periculum, quandò ex suo genere, occasio talis est, vt frequentèr homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento constet in hoc homine, talem effectum habere.

Occasio proxima debet esse voluntaria perfectè, & nullo modo inuoluntaria, scilicèt, vt eam pęnitens absquè suo graui incommodo, possit expellere, & nolit, sed potiùs velit in ea persistere; Atsi eam non omittere possit, quin incurrat aliquod notabile damnum, tùnc non diceretur perfectè voluntaria, & sic non haberet rationem occasionis proximæ.

Dices, An pęnitens nolens omittere occasionem proximam perfectè voluntariam sit absoluendus? Respondetur, negatiuè Ratio est, quià omninò caret sufficienti, & efficaci proposito abstinendi à mortalibus, quandoquidèm velle permanere in tali occasione, est, acsi vellet se exponere morali periculo ruinæ spiritualis animæ suæ. Iuxtà illud Eccles. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*.

Quamuis Nauarrus loc. cit. n. 15. fateatur posse Confessarios absoluere pęnitentes in occasione proxima peccandi, constitutos, concurrentibus conditionibus hìc descriptis. Prima vt adsit peccatorum vera pęnitudo. Secunda verum propositum, non peccandi, cum se inueuerit in ea. Tertia credulitas, quòd, Deo iuuante, non peccabit, cum se inueuerit in ea. Quarta deniquè, cum subsit aliqua rationa-

bilis.

bilis causa, non se ab ea separandi.

Nos nihilominùs obseruare sanè debemus ea, quæ Sanctissimus D.N.PP. Innocentius XI. sub die 2. Martij 1679. aliàs cit. damnauit, in sequentibus Paragraphis 61. ibi. *Potest aliquandò absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimmò directè, & ex proposito quærit, aùt ei se ingerit*, & 62. ibi.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quandò causa aliqua vtilis, aùt honesta non fugiendi occurrit, & §. 63. *licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi prò bono, Spirituali, vel Temporali nostro, vel proximi.*

De Recidiuo.

ILlum nuncupamus Recidiuū, qui nullā habens occasionē propinquám peccandi, nihilominùs sæpesèpiùs, ac frequentissimè postquam plurimas iàm persolutas Sacramentales confessiones, absquè vlla prorsùs emendatione in eadem relabitur peccata. In præsenti igitùr de huiusmòdi peccatore est inquirendum, an nimirùm, sit censendus legitimum habere propositum, non peccandi in posterùm, etiàmsi in ipsa reincidat peccata, vel proptèr suam fragilitatem, vel saltèm ob malè contractam consuetudinem.

Dicimus ergò Recidiuum habentem verum dolorem, & efficax propositum, absolui posse absquè vllo scrupulo à Confessario, etiàmsi ipse credat in eadem peccata esse relapsurum. Ratio èst, quià digna, dispositio in hoc Sacramento, est ex parte pœnitentis, vt verus dolor, & efficax propositum ab ipso deferatur iuxtà superiùs firmata, & consequentèr his concurrentibus non erit huiusmòdi pœnitenti absolutio deneganda. Etiàmsi timeatur nouus relapsus.

Nàm benè quidèm stare potest, cum vero dolore, & efficaci proposito de præsenti, quod non solùm Confessarius: verùm etiàm pœnitens existimet se in futurum minimè vi-

tatùrum

taturum omnia peccata mortalia cum benè nouerit aliundè inconstantiam suæ voluntatis, & vehementem tentationem, cui sæpè cessit.

Hinc est, quòd benè monet Layman in præsenti, Confessarium à pœnitente minimè debere exigere prætèr propositum, promissionem non peccandi, quòd ad nihil inseruiret, nisi ad fouendos scrupulos, & magis illaquendam pœnitentis conscientiam; néc rectè agit Confessarius, si pœnitentem obliget ad specialem promissionem, vel iuramentum de hoc, vel illo peccato imposterùm non patrando.

Excepto tamèn hoc casu, putá, si peccatum proditionis valdè perniciosum Reipublicæ fuerit, quià tùnc posset pœnitenti iubere, vt antè absolutionem iuramento promittat se tale peccatum non commissurum, si tale medium à Confessario iudicetur opportunum, & hoc, vt pęnitens abstineat ab huiusmòdi crimine tàm atroci, & paritèr iuramentum exigi solet antè excommunicationis absolutionem de parendo in posterùm Ecclesiæ mandatis.

Quòd si Confessarius iudicet, quòd dùm confitetur pœnitens non verè doleat, & pęniteat de suis peccatis, & hoc ex aliquibus extrinsecis signis, & probabilibus coniecturis conijciat, non poterit eum absoluere, licèt pęnitens dicat se verum dolorem habere. Hoc facilè contingere potest in pueris ex aliorum imperio, non veró propria voluntate confitentibus. Est communis Doctorum sententia.

Quæres, quomodò cognosci poterit, quòd pœnitens verum habeat dolorem, & propositũ abstinendi à peccatis in futurùm? Respondetur quandò recidiuus peculiaris doloris exhibet signa, & omne adhibet studium consuetudinem extirpandi, & vitandi mortalia peccata, libentiùs à Confessario recipit documenta, & pòst vltimam confessionem pauciora afferat peccata, necnon accusando seipsum de peccatis cum contritionis, & veræ pœnitentiæ signis.

Instabis, An pęnitens interrogatus à Confessario num

habeat consuetudinem peccandi, teneatur illam manifestare, si forsàn habeat? Respondetur affirmatiuè, ratio est, quià sicùti furti quantitatem, si id à Confessario petatur penitens propalare obligatur, ità interrogatus, consuetudinem peccandi, tenetur aperire.

Et fortiùs quià Confessarius, vt diximus, est Iudex, & medicus, qui ius habet interrogandi de illis, quæ ad salutem spiritualē spectant, intèr quæ præcipuū est velle scire consuetudinem peccandi, nèc ex hoc inferri potest, quòd pœnitens cogatur bis sua confiteri peccata, quòd equidèm minùs durum esset, sèd potiùs ad manifestandam nouam circumstantiam, quæ à penitente, vt supponimus, nunquàm fuit confessarijs aperta

Quæres, quænam sint remedia contrà recidiuos applicanda? Respondetur cum relabi contingat, sequenti die in pane, & aqua ieiunet, certum psalmorum numerum recitet, eleemosynam pauperibus erogare teneatur, flexis genibus ad implorandam diuinam misericordiam, aliquas orationes dicat, & aliquid aliud confessarius iniungat, vt diuinum petat auxilium, per intercessionem alicuius sancti, qui penitentis peccatis opposita virtute in Cœlis refulget.

SECTIO VII.

De Confessione.

HÆC est secunda pars materialis, & formalis huiusmòdi Sacramenti, quam certè asserimus fuisse in Ecclesia militante à Christo Domino nostro institutam, eiusque vsum ab omnibus fidelibus ad praxim sempèr continuatum. Colligitur ex quamplurimis Sacræ scripturæ locis, & non minùs habetur cum Tridentino sess. 14. c. 5. ibi.

Ex institutione Sacramenti pænitentiæ iàm explicata, vniuersa Ecclesia sempèr intellexit institutam etiàm esse à Domino

inte

integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, iure diuino, necessariam existere, &c.

Et eadem Sessione can. 7. ibi. *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse, iure diuino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contrà duo vltima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant; Sèd eam confessionem tantùm esse vtilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim obseruatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam; aùt, dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle diuinæ misericordiæ ignoscendum; aùt demùm non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.*

Quæres, quid sit Confessio Sacramentalis? Respondetur, *esse legitimam accusationem de proprijs peccatis, factam coràm Sacerdote habente locum Dei, in iudicio Sacramentali ad veniam peccatorum, virtute clauium obtinendam.* Vide Sotum in 4. sentent. dist. 18. q. 2. art. 1. & alios apud Bonacinam de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 2. par. 2.

Dicitur Primò *Accusatio*. Quòd ponitur loco generis, ad excludendas omnes alias confessiones, quæ non fiunt animo se accusandi, sèd merè historicè narrandi sua peccata, vèl ex alio fine, quàm recipiendi absolutionem.

Dicitur Secundò *Legitima* ad, quod requiruntur aliquæ conditiones, de quibus infrà.

Dicitur Tertiò *De proprijs peccatis*, tùm ad insinuandam Confessionis materiam, tùm, quià in Confessione sunt propria, & non aliena peccata manifestanda.

Dicitur Quartò *Coràm Sacerdote*, vt indicetur persona coràm qua debet fieri confessio.

Dicitur deniquè *Ad veniam obtinendam*, vt ostendatur finis, & effectus Confessionis, & Sacramenti pænitentiæ; ità Bonacina in præsenti.

Quæres insupèr, quæ sint conditiones requisitæ ad Confessio-

fessionem legitimè faciendam? Respondetur communitèr à Doctoribus enumerari sexdecim, quæ in his versibus continentur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Antequàm enumeratas conditiones, breui nostro more, explicemus, obseruandum est, quomodò Confessio sit proprio ore facienda, An hoc sit essentiale, itaùt fieri nequeat alijs modis, scilicèt, non prolata voce, nutibus, scriptis, vel saltèm per interpretem?

Confessio sempèr ore proprio, & vocalitèr est facienda, nisi alitèr vrgeret necessitas, & rationabilis causa, habetur ex Concilio Florentino docente, materiam huius Sacramenti esse oris Confessionem. patet insupèr ex communi fidelium consenssu, & Ecclesiastico vsu, obligante ad hunc confitendi modum: Probatur ratione, quià talis modus idoneus est ad eumdem finem, & veniam impetrandam. Immò minùs periculis, & fictionibus expositus.

Grauis énim de huiusmòdi re extat obligatio; quandoquidém enormissimum peccatum committeret, qui sinè rationabili causa ad Sacramentalem Confessionem, alijs vteretur signis, prætér vocalem accusationem.

Instabis est né de essentia huius Sacramenti, vt Confessio fiat voce, & confitentis loquela? Respondetur, quòd hoc prouenit ex vsu Ecclesię, nihilominùs in aliquo necessitatis casu, saltém, impotentię, alitèr fieri potest, quià hoc non est iudicio, & sententiæ essentiale, & sic muto licitum erit sua confiteri peccata, nutibus, vt euidentér patet.

Immò Caietanus in summa verb. Confessio vndecima cond. sic ait. ex eo énim, quòd Confessio fit Sacerdoti in persona Dei, excluduntur testes. Ex eo verò, quòd Sacramentalis tàm actio, quàm passio personalis est excluduntur tàm epistolæ, quàm internuntij: Monstrat autèm hoc ve-

ritas

ritas formæ sacramentalis, cum dicitur *Absoluo te*, nàm, *ly te*, demonstrat præsentem personam, sicùti in consecratione Eucharistiæ, *ly Hoc*, demonstrat contentum sub præsenti hostia, & propterea non potest quis Sacramentum pœnitentiæ per procuratorem suscipere, nèc per scripturam. De interprete infrà.

Toletus lib. 3. cap. 6. sic loquitur. Cum verò non potest verbo, si signo, vel nutu potest, vt in mutis, tenetur, tali modo, confiteri, & vera est Cõfessio. Andreas Victorellus in appẽdice Auctoris citati, asserit, mutos, ad scelera per nutus confessario aperienda teneri, & sequitur, Confessionem per nutus, & per scripturam, peccata continentem præsenti Confessario fieri posse (Sanctio Clementis VIII. casum hunc non complectitur) sempèr tamèn (si aliud non requirat necessitas) ore faciendam arbitratus est, & rectè.

Séd, an aliquandò liceat per interpretem confiteri? Respondetur, nullum teneri sua confiteri peccata per huiusmòdi medium, néc de Ecclesiastico, nequé de iure Diuino, Probatur ratione, quià in tali confessione sempèr subsistit periculum, né pænitentis peccata ab interprete manifestentur. Colligitur ex Tridentino Sess. 14. cap. 5. ibi.

Ceterùm quoàd modum confitendi secretò apùd solum Sacerdotem, ètsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamèn hoc diuino precepto mandatum, nèc satis consultè humana aliqua lege preciperetur, vt delicta præsertim secreta, publica, essent confessione aperienda.

Excipitur tamèn ab omnibus, articulus mortis, in quo quis constitutus per interpretem confiteri tenetur, saltèm ea peccata, quæ absque maiori infamia potest, & hoc ex lege charitatis ergà se ipsum, si de vera contritione dubitauerit, & similis videtur militare ratio, tempore pestis, vèl naufragij, si aliquis confiteri minimè possit, nisi alijs audientibus. Vide Henriquez lib. 4. cam. 4 num. 4. in præsenti.

De

De Confessione Moribundi.

QVæres quænam sit censenda in moribundo legitima Confessio? Respondetur huiusmòdi quæsitum nonnulla continere dubia practica, idcircò sigillatim sunt proponenda, & non minùs resoluenda secundùm, quod tàm antiqui, quàm, moderni scripsere DD.

Dilucidari igitùr debet, an sit absoluendus infirmus, qui confessus vnum, aùt alterum peccatum illicò vi morbi intèr confitendum oppressus, periculum est, nè absque sacramentali absolutione ex hac ad aliam vitam discedat? Respondetur, quòd statim est absoluendus, nèc Confessarius meliorem ægroti statum expectare debet, licèt nonnulli, quos reijcimus, contrarium acertimè defendant.

Ratio est, quià integritas confessionis est de iure diuino, séd morali modo obligat. Vndè si esset dubium de impotentia morali, hoc præceptum cessaret, vt de facto docent Doctores in aliquibus casibus, in quibus licet: Immò aliquandò expedit, aliquod peccatum in Confessione tacere, & sic nullo modo hæc integritas ab ægroto vita periclitanti erit exigenda, dùm non solùm morali, séd forsán physica impotentia laborat.

Et sic optimè ex Medina aduertit Lopez, quòd si grauitèr ægrotus confessus aliqua, postmodùm Confessario dicat. *Ego pater sum languidus, & nimis ex infirmitatè viribus laxatus, relinquatur quasi Confessio in futurum, quandoquidèm mihi multa alia peccata grauia manifestanda remanent.*

In tali casu Confessarius nullatenùs dictis infirmi quiescat, séd potiùs curet, vt in confuso de cetæris alijs peccatis se accuset, & deindè excitato maiori dolore, illicò infirmum absoluat, nèc inabsolutum dimittat, nè repentina morte interemptus æger asque absolutione decedat.

Immò ex eodem Lopez, quòd si timeretur nè infirmus iàm

iàm, iàm animam exhalaret, minimè esset defatigandus importunis interrogationibus; séd etiàm vnum, aùt alterum peccatum confessus, omninò, & absquè vllo scrupulo, absoluendus vtiquè erit.

Dices an infirmus, qui nullo modo potens aliquod peccatum in particulari exprimere, nutibus autém, vel signis solùm petit absolutionem, sit à Sacerdote absoluendus?

Respondetur, infirmum absolui debere ex varijs Concilijs, & insupèr ratione, quià si quis sciret se certò peccasse, séd poenitens ignoraret venialitér nè, an mortalitèr, & huiusmòdi accusationē peccati ità generalē Confessario subijceret, vtiquè daret materiàm aptam absolutioni necessariam, ergò erit absoluendùs, vt expresè legitur in Rituali Romano edito à B. Pio V.

Inquires, an sit absoluendus infirmus, qui signa attritionis in ordine ad confessionem, séd absente Sacerdote, dedit, quo posteá præsente, coràm ipso infirmo, vtpotè sensibus destituto, non potuit suam voluntatem explicitè declarare, séd vna ex suis Ancillis, id Confessario testatur?

Respondetur huiusmòdi ægrotum, etiàm in hoc casu fore absoluendum. Probatur primò ex *Concilijs Arausicano Cap. 9. & Carthag. 34.* quæ expresè hanc docent sententiam.

Probatur paritèr ratione; quandoquidém illa confessio saltèm inchoata fuit Sacerdoti, licèt absenti tàm per Ancillam, quàm per interpretē (in casu extremæ necessitatis, vt supra diximus) manifestata, quæ est vera materia Sacramenti poenitentiæ.

Et tandèm probatur, quià Clemens VIII. de hoc dubio interrogatus, respondit, se omninò huiusmòdi infirmum, absoluturum, nequè hunc casum sua sanctione comprehendi; de qua responsione testatur ab ore Pontificis immediatè audiuisse Cardinalem Bellarminum, vt in præsenti refert Comitolus.

Debi-

Dubitari adhùc poterit de ægroto, qui nullum prorsùs dedit signum, néc certum, nequè dubium Pœnitentiæ in ordine ad Sacramentalem confessionem, an nimirùm, sit absoluendus omnimodé? Doctores multi sunt in negatiua sententia, eò, quiá tùnc nulla datur confessionis materia. Séd non desunt quamplurimi affirmatiuam defendentes, & intèr alios eam tuetur Homobonus cùm Molfesio, & alijs séd cum huiusmòdi distinctione.

Si agatur de infirmo solito viuere christiano more, & hoc videtur concedi eò, quià frequentèr Sacramentum pœnitentiæ receperit. Secùs verò si ægrotus fuisset peccator, & non solitus confiteri, & huiusmòdi diuersitatis est ratio, quià pro primo sumitur præsumptio animi saltém dispositi, ex probitate vitæ, quæ præsumptio vera vice confessionis fungitur, quòd minimé hoc dici potest de secundo.

At verò si hæc ratio habere potest locum de fideli bono, adhùc etiàm circà fidelem peccatorem militare debet; quandoquidém quotidiana nos experientia docet, homines adesse scelestissimos, & vitæ indignissimæ, quòd instante mortis articulo, magno cordis dolore, de suis peccatis se accusant, & non minùs, quàm probi vitam cupiunt æternam, pro cuius gloria se paratos offerunt ad quæcumque bona opera facienda, & sustinenda tormenta.

Et sic prò eisdem etiàm poterit sumi præsumptio, quæ rationabilitèr fundari potest in morali certitudine, qua prò comperto habetur, homines etiàm vitę perditissimæ velle animas suas saluare, & minimé amittere, & sic totum fundamentum, quòd conceditur posse esse in homine probo in ordine ad constituendam qualemcumque Confęssionis materiam, paritér admittendum videtur in homine etiàm peccatore.

Quaré nobis videtur indistinctè dicendum, quemlibet fidelem morti proximum, absoluendum esse sub conditione, etiàm nullo dato signo pænitentiæ, dummodò certum

sit

sit non esse tunc temporis mentis impotem. Quæ sententia cum sit valdé probabilis, nulla iniuria committi potest in Sacramentum pænitentiæ sub conditione collatum, & aliundé dicunt Doctores in casu extremæ necessitatis ministrandum esse Baptismum sub conditione, etiám in dubia materia, nimirùm, quandò aqua elementaris minimé haberi potest, vt aliàs firmauimus.

Et sic à pari dicendum est de Sacramento pænitentiæ, & ità pratèr hìc, & ibi citatos hanc sententiam docet Antonius de Litteratis Auctor memorialis Confessariorum. c. 1. de forma Sacramenti pænit. nu. 16. fol. 215. edit. pro Diœcesi Archiepiscopali Bononiensi sub Card. Ludouisio Archiepiscopo, posteà Gregorio XV.

Quæres An Confessarij possint absoluere freneticos, qui saltém tempore sanæ mentis obtinendæ absolutionis, ad Sacramentalem Confessionem signa dederunt? Respondetur, affirmatiué. Ratio est, quià eorum peccata sunt materia huius Sacramenti, si in periculo mortis sint constituti, & ipsorum intentio per actum contrarium non fuit, vt supponimus, retractata, & sic in eisdem habitualitér adhùc perseuerat; & satis superqué est ad recipienda sacramenta, vt patet ex dictis de Sacramentis in communi.

SECTIO VIII.

De integritate Confessionis.

QVæres, Quomodò Confessio debeat esse integra? Respondetur, huiusmòdi quæsitum, vt aduertunt Doctores, locum habere in tribus casibus. Primus est, quandò penitens omnia peccata mortalia tenetur subijcere clauibus. Secundus, quandò eadem quoàd numerum confiteri tenetur. Tertius deniqué, quoàd circumstantias.

Integritas Confessionis duplex est, Materialis, & For-

malis: Materialis est, quandò pœnitens omnia peccata mortalia confitetur, quæ ab vltima sua Confessione fuerunt commissa, & de illis memoria habetur.

Formalis est, quandò quis omnia confitetur peccata, quæ hìc, & nùnc, positis talibus, ac talibus circumstantijs, tenetur confiteri, & si aliqua non manifestet, vel ob ignorantiam inuincibilem, vel ob aliquam rationabilem, & iustam causam, suadentem hìc, & nùnc hæc, vel illa peccata, non esse in Confessione aperienda.

Sed hac occasione, antequàm ad singularia discutienda deueniamus, in præsenti videndum restat, quidnam importet illa tàm ventilata quæstio scitu veré digna, minimé tamén necessaria, quià speculatiua, & quæ potiùs per intellectum, quàm à parte rei est concedenda. An inquimus, aliquandò Confessio informis, séd valida, dari possit?

Antequàm sentiamus Doctores de huiusmòdi materia tractantes, præmittimus, Informem Confessionem eam esse, quæ veré sacramentalis absolutionis effectum non producit, hoc est, peccatorum indulgentiam, & gratiam. Hæc est in duplici discrimine, vt nonnulli aduertunt Authores.

Primò, quandò voluntarié, & scientèr pænitens aliquod relinquit mortale, vel caret efficaci dolore debitam attritionem attingente, veram tamén de præteritis, néc absolutum, & efficax habet propositum, non peccandi de cætero, vt fusiùs firmauimus in sexta sectione præterita.

Tùnc, & eo casu, confessio est nulla, & omninò reiteranda, nihilominùs si pœnitùs eidem Confessario memoriam habenti status ipsius saltém in confuso, vel iniunctæ pænitentiæ, confessionem repetat, satis erit in eadem Confessione fictionem aperire, ac non minùs de illo peccato, quàm de alijs dolere.

Secundò, confessio informis est, quandó pœnitens caret sufficienti dolore de transactis lethalibus culpis, sinè attritione, & firmo proposito, illas cauendi in futurum, & sic bona confitetur fide. Tùnc confessio est informis,

idést,

idèst, absquè Sacramentali gratia. Huiusmòdi confessio est valida, & non repetenda.

Ratio est, quià habetur tanquàm pars Sacramenti pœnitentiæ, licèt pœnitens minimè gratiam recipiat, eò, quià non est actus virtutis. Sufficit nihilominùs illam fictionem confessariò manifestare, vt obex, quòd est peccatum mortale, remoueatur, & tùnc gratiam Sacramentalem reciperet. Ità S. Thom. in 4. dist. 17. q. 7. antè medium.

Sotus verò in 4. sent. dist. 18. q. 3. art. 2. ait. Omissa prima conclusione, sequitur in 2. Confessio informis, quatenùs est pars Sacramenti, potest quantùm ad substantiam esse vera confessio, & nihilominùs informis.

Probatur quià confessio, proùt est pars Sacramenti, nihil aliud est, quàm quædam accusatio, qua homo suam conscientiam Sacerdoti clauibus Ecclesiæ fungenti fidelitèr manifestat.

Potest autèm peccator, in peccato persistens cuncta sua peccata fidelitèr Sacerdoti patefacere, subdendo se illi, vt remedium ei prouideat. Ergò potest confessio esse informis, nempè, vt sit impletio præcepti absquè effectu gratiæ. Et in fine tertij articuli eiusdem dist. 18. dicit.

Secundò respondetur, quòd non videtur idem tribuisse huic Sacramento, quod Baptismo. Ait enim, quód quamuis tùnc confessus non percipiat absolutionis fructum, tamèn, recedente fictione, recipere incipiet, sicùt est in alijs Sacramentis. De alijs autèm Sacramentis non imprimentibus characterem, nullibi hoc ipse opinatus est.

Sèd Capreolus, & Palud. qui fictitium illum ornatum per Sacramentum hoc imprimi autumant, illum gratiæ fructum, recedente fictione, & hìc quoque fingunt. Attamèn S.Thom. vt arbitror, non aliud sibi vult, quàm, quòd recedente fictione, per contritionem incipiat homo habere gratiam, & remissionem peccatorum, quàm non habuit per priùs Sacramentum. Et si iterùm confiteatur, habe-

Redeamus modò ad alias quæstiones, necessariò explicandas, tanquàm spectantes similitèr ad huiusmòdi materiam de integritate confessionis, vt superiùs innuimus nihil aberrando à nostro instituto, immò omni breuitate, & non minùs faciliori methodo, qua possumus, ipsam prosequamur materiam.

Quæres, an pœnitens teneatur confessionem facere de omnibus, & singulis mortiferis culpis, quarum ipse memoriam habuerit; dummodó sint pòst Baptismum commissæ, & non aliàs confessæ? Respondetur, affirmatiuè. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. pluriès citato, ibi.

Itaquè dùm omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Christifideles confiteri student, proculdubiò omnia diuinæ misericordiæ agnoscenda exponunt. Qui verò secùs faciunt, & scientèr aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.

Habetur paritèr ex Concil. Florentino, & in cap. omnis vtriusque sextus, de pœnit. & remiss. ibi.

Omnis vtriusque sexus fidelis, & infrà. *Sacerdos autèm sit discretus, & cautus, vt more periti Medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligentèr inquirens, & peccatoris circunstantias, & peccatis, quibus prudentèr intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & eiusmòdi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo, ad saluandum ægrotum &c.*

Probatur deniquè ratione, quia sicùt Deus non remittit vnum peccatum absquè alio; ità etiàm instituit hoc Sacramentum, vt per ipsum directè ab omnibus absoluamur; sed hoc non potest fieri, nisi omnia peccata, quorum conscientiam habemus, confiteamur ergò &c.

Instabis, an hæc materialis integritas; quatenùs hìc, & nùnc à pœnitente ponitur, sit per se necessaria, non solùm ad fructum; verùm etiàm ad Sacramenti valorem? Respondetur, affirmatiuè, quià si quis omitteret confiteri

pecca-

peccatum mortale, quod hìc, & nùnc commodè potest, eò ipso peccaret mortalitèr.

Ratio est, quià facit contrà præceptum diuinum in re valdè graui, & contrà paritèr naturam, & institutionem huius Sacramenti, & per consequens, cùm non sit dignè dispositus, & retineat voluntatem à peccato non remotam; sed potiùs ad peccatum conuersam, minimè recipit pœnitentiæ Sacramentum validum.

Quod verò firmauimus nullum habet locum, quandò huiusmòdi omissio minimè esset lethalitèr peccaminosa, quòd interdùm per accidens contingere poterit, puta, cum pœnitens inuincibilitér ignorat necessarium esse omnia confiteri mortalia, vt aliàs diximus; vel quià Sacerdos absoluit antequàm pœnitens confiteatur, vel saltèm quia ad non confitendum peccatum, habet rationabilem caussam.

In omnibus his, & similibus casibus, etiàmsi confessio non sit integra, adhùc Sacramentum validum erit, & gratia formatum, si cætera requisita coucurrant, eò, quòd hìc, & nùnc dicatur pœnitens omnia saltèm moralitèr peccata confiteri. Causa enim iusta, excusans, & intér alias est ignorantia inuincibilis, & bona fides, quæ reddunt pœnitentem moralitèr impotentem dictæ obligationis, idèst, ad confitenda singula peccata mortalia.

Huiusmòdi conclusio est limitanda in sequentibus casibus, in quibus non tenetur pœnitens omnia peccata, quorum hìc, & nùnc non recordatur confiteri. Primus est, quandò pœnitens esset ægrotus, sed de hoc satis dictum est. Secundus est, quandò habet peccata reseruata, & non reseruata simùl, in quo casu est dubium, an possit pœnitens dimidiare confessionem, vt paritèr aliàs diximus. Tertius est, quandò in confessione timetur aliquod graue periculum tàm animæ, quàm corporis, siuè confessarij, siuè pœnitentis, vel saltèm alterius personæ.

Periculum ex duplici capite euenire poterit. Primò ex mali-

malitia, imprudentia, vel fragilitate Confessarij, qui aliquandò confessionem reuelat, odium concipit in penitentem, ad inhonesta sollicitat, vel aliud, quodcunque parat malum, ex talium peccatorum confessione, & cum hæc rationabilitèr timeantur, omninò tùnc confessio eorum debet dimitti.

Ratio est, quià existente tali periculo ius naturale, iuri materialis integritatis præualere debet. Nám iure naturali ea minimé facere tenemur, ex quibus mala tám spiritualia; quám temporalia prudentèr timeantur, quod diximus, auctoritate Nauarri cap. 7. n. 6. firmamus. His suis sequentibus verbis.

Quinto infertur, quòd quamuis aliqui sentire videantur, quòd quando nullum ex prædictis, remedium inuenitur, huiusmòdi pœnitentem videri non habere copiam Confessarij, subindè posse sinè præuia confessione communicare, nihilominùs meliùs arbitramur in tali casu debere omnia reliqua peccata confiteri, omisso illo, aùt eius circumstantia, quæ non potest absquè dicto periculo exprimi; cum proposito tamén id confitendi, cum primùm occurrerit Confessarius, cui absque tali periculo, possit illud manifestare, modo prædicto, vt Maior sentit.

Non tamèn negamus, quin idem periculum ex alijs principijs prouenire poterit; puta, si pœnitens ægrotet. Itém si Confessarius repentino corripiatur morbo, quià illicò pœnitentem absoluere potest, & præsertìm si alius non adsit. Si tempore pestis, belli, naufragij, vel alio quocunque casu simùl multi essent pœnitentes, & non posset Confessarius singulorum integras confessiones audire.

Tùnc prudens Sacerdos posset omnes simùl aliquod peccatum confitentes, alta voce, vna forma prolata, eos absoluere, dicendo, *ego vos absoluo, &c.* Hæc tamèn sententia potest habere locum in Hospitalibus, vbi multi existunt infirmi, qui singuli minimé possent totalitèr ob imminentẽ,

& præ-

& præsentaneam mortem sua manifestare peccata.

In his, ac similibus casibus, sufficiens sempèr erit Confessarijs, vt pœnitentes vnum, aùt alterum peccatum ab eisdem audire, & non minùs sacramentalitér absoluere, ac postmodùm sublato huiusmòdi periculo, vniuscuiusque integras confessiones audire, vt communitèr sentiunt Doctores.

Sèd quid dicendum, si confessarius peccauit mortalitèr in absolutione pœnitentis, quòd peccatum deindè minimè confiteri potest, nisi simùl reuelet peccatum, & pœnitentis personam. Resp. quòd in tali casu Sacerdos dùm confitetur omninò silere debet pœnitentis peccatum, & deindè alium confessarium adire, vt periculum manifestationis illius euitetur, quià obligatio sigilli multò fortior est, quàm obligatio integræ confessionis.

In terminis tamèn huiusmòdi casus auctoritate Nauarri cap.8.n.6.hic confirmatur, vbi sic infertur 4. quòd Confessarius, qui commisit aliquod peccatum mortale, quod non potest confiteri absquè reuelatione sibi factæ confessionis, tenetur illud tacere, & reliqua confiteri, cum proposito illud etiàm confitendi, quandò absquè præiudicio dicti sigilli facere poterit.

Séd modò aliud insurgit dubium, nimirùm, quid agendum, quandò pœnitens non potest aliquam sui peccati circumstantiam manifestare, quin simùl complicem manifestet, puta, si quis cum sua matre, vel sorore peccasset Confessario notis, & non posset confiteri circumstantiam consanguinitatis in primo gradu ascendenti, vel transuersali; quià Confessarius illicò ex huiusmòdi circumstantiæ notitia in complicis cognitionem deueniret?

Resp. in tali casu certum esse; immò posse, & debere pœnitentem alteri Sacerdoti si commodè ipse potuerit sua confiteri peccata, qui ex sua confessione complicem minimè dignosceret, & huic similitèr integram facere confessionem, vt communitèr omnes fatentur Doctores.

Sèd tota difficultas est, quandò huiusmòdi pœnitens alteri non poterit confiteri, cui non sit notus complex, in quo casu, existimant aliqui talem circumstantiam esse omittendam, & solùm confitendum peccatum in genere. Ratio eorum est, quiá naturali teneamur iure, proximi famam conseruare illæsam, & in tali confessione, & circumstantiæ manifestatione diffamatio oriretur.

E contrá verò, solo iure positiuo moralitèr saltèm obligante ad integram confessionem tenemur, ergò præceptum naturale, vtpotè fortiùs huiusmòdi præcepto præualere debet, vt clarè colligitur ex citato cap. *Omnis vtriusque sexus de pœniten. & remiss.* ibi.

Caueat autèm omninò, nè verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenùs prodat peccatorem: Sèd si prudentiori consilio indiguerit, illud absquè vlla expressione personæ, cautè requirat, quoniàm, qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiàm ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Probabiliorem tamèn contrariam sententiam esse sustinendam arbitramur (quam alterius censuræ remittimus.) Ratio esse posset, quia manifestare graue alterius delictum non est ex se intrinsecè malum, eò, quià peccatum non erit si fiat ex rationabili causa, vel saltèm sinè infamandi intentione, vt docet cum communi Becanus.

Pœnitens ob rationabilem causam potest in confessione aperire huiusmòdi circumstantiam, quià habet ius ad faciendam confessionem integrã de suis peccatis, quæ hic, & nùnc alitèr minimè potest, nisi (sinè tamèn intentione infamandi, vt diximus) reuelet illam circumstantiam, sèd tantùm seipsum accusandi, ergò non peccat contrà ius naturale, vt falsò supponit prima sententia.

Sèd fortiùs, quià vni graue proximi manifestare delictum, non est culpa lethalis, vt multi probabilitèr docent, & præsertim, si ei, cui tale manifestatur delictum sit persona

taci-

taciturna, & prorsùs abest illud periculum propalandi, & eò magis, quià illam circumstantiam complicis pœnitens confessario reuelat; cum benè sciat Sacramentalis sigilli obligationem; ergò cessat periculum infamiæ.

Sed videamus quid de huiusmòdi casu sentiat Bonacina de rest. in particulari disp. 2. q. 4. p. 4. n. 2. ibi. Pœnitens non peccat peccato detractionis manifestando complicem in Confessione, saltèm quandò non potest alitèr peccati speciem explicare, nèc habet copiam, seù commoditatem adeundi alium Confessarium, cui non sit notus complex.

Hæc resolutio patet tùm ex Doctoribus citatis, tùm ex integritate confessionis, quæ ex præcepto diuino integrè facienda est; quandò igitùr species pecati non potest alitèr manifestari, pœnitens potest, imò tenetur complicem manifestare, si non habeat copiam alterius confessarij, cui sit ignotus complex.

Tùm, quià licitum est in iudicio manifestare complicem iuxtà tradita in octauo præcepto; ergò etiàm licitum est manifestare in foro pœnitentiæ, quòd exercetur per modum iudicij, tùm, quià sequeretur Parochianos rarò posse suis Parochis integrè confiteri, si non possent manifestare complicem, cum Parochus ferè omnes subditos cognoscat.

Tùm, quiá sicùt iuxtà Caietanum, Nauarrum, & alios, in præcedenti puncto recensitos, leuis est infamia manifestare delictum alterius personæ taciturnæ, quæ illud secretò retinebit, ità multò leuior videtur infamia manifestando complicem Confessario, qui non potest audita in confessione reuelare, ratione sigilli.

Tùm, quiá licitum est extrá confessionem manifestare delictum alterius ob propriam vtilitatem, vel ob vitandum proprium, aùt alienum damnum; ergò licitum etiám est in confessione manifestare delictum complicis ob propriam pœnitentis vtilitatem, videlicét, ob liberationem á peccato, aùt proptèr integritatem confessionis, aùt né pęnitens

diutiùs differat confessionem, aùt proptèr vtilitatem ipsius complicis, vel tertiæ personæ.

Tùm, quià complex non itá ægrè fert manifestari suum delictum in confessione, sicùt extrà. Imò complex videtur se voluntariè huic periculo exposuisse, peccando cum alio, cuius peccatum scit, vel scire debuit aperiendum esse in confessione. Hactenùs Bonacina.

Addimus insupèr Layman lib. 5. tract. 6. c. 8. n. 12. in fine. ibi. Si; & plerumque fit complici non aliud damnum eueniat, quám quòd eius fama apùd solùm Confessarium virum prudentem læditur pòst habendum, idest, maiori bono seruandæ integritatis, & capiendi spiritualis auxilij à Confessario, sicùt contrá Innoc. & Hostien. in cap. *Omnis de pænit. & remiss. &c.*

Vtitur enim, tùnc pœnitens iure suo, & complex hoc famæ suæ dispendium sibi ipsi imputare debet, quandò tale crimen admisit, quod coràm legitimo conscientiæ Iudice alitèr explicari non potest, & in eadem sententia fuit Auctor formulæ vitæ apùd S. Bernardum. *De nullo sinistrè loquaris, nisi in confessione, & hoc, vbi non potes alitèr manifestare peccatum.*

Quòd si prætèr infamiam subiret complex ex tali manifestatione aliquod periculum grauis mali, & non minùs notabilis nocumenti, puta, vt si eius Prælato fieret manifestatio, tùnc esset omninò illa circumstantia, vel etiàm totum peccatum, si alitèr non posset, prorsùs reticendum, ob allatam rationem pró prima sententia, quæ veré hic locum habet.

Aduertendum nihilominùs est cum communi Doctorum sententia, quòd, quandò ob prædictas causas occultetur peccatum, aùt aliqua circumstantia secundùm priorem opinionem, obligatur deindè pœnitens omninò tám peccatum, quám circumstantiam dimissam Confessario manifestare, non omisso complice, de quo huiusmòdi Confessarius nullam habet notitiam.

In-

Instabis. An sit contrà confessionis integritatem, si pœnitens suum habens ordinarium Confessarium, apùd quem in bona existimatione existit, si postmodùm in aliquam cadat lethalem culpam, possit priùs alteri confiteri sua flagitia, & deindè suo ordinario venialia? Syluester verb. Confess. & Victoria in Sum. Sacr. n. 196. id non concedunt, vti peccatum graue, eò, quòd sit hypocrisis, & non minùs virtuale mendacium.

Verùm oppositam sententiam nos sequimur, eò, quòd id quantum est ex se minimè integritati confessionis aduersatur, quandoquidèm supponimus, pœnitentem omnia mortalia Confessario extraordinario manifestasse; venialia verò, non omnia teneri ordinario fateri. Nauarrus cap. 21. num. 40.

Minimè tamèn negari potest, quin dari possit casus, nimirùm, quòd teneatur pœnitens alteri Confessario manifestare sua peccata, ordinario relicto, & hoc occurrere potest, quandò ipse pœnitens multùm abhorret præ pudore aliquod mortale confiteri, ex quo aduertunt Doctores, quòd malè faciunt Confessarij quandò ægrè ferunt suos pœnitentes non posse alios adire. Imò pessimè se gererent, si extrinsecis signis id illis omninò prohiberent.

Nèc omittere debemus ex alio capite penitentem posse peccare mòrtalitèr alium quærendo Confessarium, ordinrio relicto, in ea saltèm causa ex qua ob frequentem Confessarij mutationem, ipse magìs in peccatis insordesceret, aùt (quód plùs est notandum) aliquam peccandi occasionem ob repetitam mutationem non tolleret, á qua facilé caueret, si constantér eidem Confessario venialia simùl, & mortalia propalaret, & alioquin non est negandum, quòd multùm peccatori nocet Confessarij mutatio, vti ad peccatum procliuo, & aliundè valdè eidem euenire bonum, Confessarium suum minimé mutando, immò sempér eumdem adeundo, vt ipsa praxis, & quotidiana experientia docet.

SE-

SECTIO IX.

De numerica distinctione peccatorum.

FIrmitèr tenendum est, omnia peccata mortalia pòst Baptismum commissa intrá eamdem speciem in Sacramentali confessione necessariò distinctè, & sigillatim manifestanda esse, quoád numerum saltém, quantùm moralitèr fieri potest. Patet ex Conc. Flor. in decreto Eugenij, & Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. & Canon. 7. ibi.

Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, nequè æquitatem quidèm illos in pęnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxàt, & non potiùs in specie, ac sigillatìm sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pęnitentibus omnia peccata mortalia, quorum pòst diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri.

Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse, iure diuino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiàm occulta, & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, &c.

Sed hìc præmittere debemus, quòd distinctio peccatorum numerica, varijs modis desumi potest, nimirùm, ex diuersitate temporis, obiectorum, actuum, &c. nèc dari, aùt determinari poterit supèr hæc vniuersalis, & communis doctrina, cum á quàmplurimis circumstantijs, dubia, & difficultates oriri contingant, nos quantùm possumus maioris claritatis lumine, nonnullas, in hac parte regulas firmare statuimus.

Prima igitùr est, quòd licèt obiecta circà quæ quis peccare contingat numero differant, in confessione, nihilominùs

nùs minimè singula numericè erunt explicanda, dummodò sub eadem ratione malitiæ, singula ipsa vniantur. Ratio est, quià diuersitas numerica materialis obiectorum desumitur, ex vnitate peccatorum numericè diuersorum, nisi aliud oppositum adsit; solummodò igitùr diuersitas formalis est attendenda.

Ex quo sequitur, vt si solutus cum quinque fęminis paritér solutis fornicatus fuerit, minimè confiteri tenetur semél peccasse cum Sempronia, semèl cum Titia, semél cum Caia, &c. Sèd satis erit, vt in cōmuni se accuset totiès fornicatum fuisse, è contrá verò si quis tèr cum vna ex il lis fornicatus fuerit, non equidèm suæ satisfaceret conscientiæ, dicendo carnalitér vnam mulierem cognoui, eò, quiá est obligatus numerum peccatorum exprimere.

Huiusmòdi regula poterit probabilitèr ad circumstantias specificas inseruire, quæ etsi merè materialitèr in peccatis se habeant, nihilominùs non sunt in confessione manifestandæ, quiá eo modo, quo non addunt speciem peccato, ità nequé numerum, & sic, qui peierauit per Apostolos, Angelos, B. Virginem, & per Deum, non tenetur huiusmòdi differentias specificas confiteri, & fateri totiés peieraui per Sanctos, totiès per Deum, &c. séd satis erit si dicat, e.g. decies peieraui, ità Nauarrus hìc cap. 6. n. 6. n. 18. in fine.

Fagundez lib. 3. cap. 5. nu. 2. secund. Eccles. præcep. ait. Non opus esse in peccatis, explicare in confessione materialem malitiam specierum circá peccata; séd formalem, quamuis optimum sit consilium id facere, præsertim si malitia materialis sit inusitata intèr hominum conuictum, v.g. iurasti, peierastiue per Angelos, per Sanctos, & per Virginē non teneri, hæc iuramenta explicare; sêd sufficit dicere in communi, iuraui, vel peieraui vigesies, aùt trigesies, aut in isto tempore ab intermissa confessione, totiès in die, aùt hebdomadá, vel mense peieraui.

Secunda regula est, quandò quis vnico iræ, vel iracundiæ impetu, siné vlla temporis interruptione multa in-

alium

alium verba iniuriosa profert, sed eiusdem speciei malitiæ, puta, cum aliquem decies mente captum appellat, vnum, & non plura peccata mortalia committit. Idemque dicendum est de percutiente, tribus, vel pluribus ictibus, clericum, quiá vnicam excommunicationem incurrit.

Nèc minùs asserendum est de eo, qui licét tria inimico infligat vulnera, quandoquidèm vnum homicidium committat, quamuis omnia experiantur lethalia. Ratio verò istorum casuum in regula sequenti est adducenda. Nèc intereà silere debemus. Rebellium á Fagundez relatum 1. p. de obligat. iust. lib. 2. q. 17. sect. 2. n. 10. ibi.

Censet multa verba diuersas specie iniurias significantia, vnum tantùm peccatum per ordinem ad confessionem absolutè censeri, cum ex vno impetu iracundiæ, aut odij procedant, modò non detur moralis interruptio temporis intèr verba, & verba, quòd mihi magis placet, quià proferuntur per modum vnius impetus, & temporis, vniuntur, & sic vnum tantùm peccatum absolutè in ordine ad confessionèm censentur.

Similitèr asserit Fagundez loc. cit. quandoquidèm satis sit dicere in confessione, se voluisse multas iniurias alteri inferre, & de facto intulisse per multa verba iniuriosa, vt Confessarius statim cognoscat statum pœnitentis, quòd satis est, vt eum possit absoluere.

Tertia regula est, quandò quis pluribus alium lacesserit iniurijs, licèt absquè vlla temporis interruptione, tòt peccata committit, quòt sunt verba contumeliosa specie diuersa, puta, vt, quando quis aliquem appellat furem, homicidam, ebrium, sacrilegum, proditorem, hæreticum, &c. & sic tòt esse numero peccata commissa, quòt sunt contumeliæ specie diuersæ, quià benę valet illatio á diuersitate specifica ad diuersitatem numericam.

Huiusmòdi tamén regula à Fagundez, & Rebel. citatis non approbatur, cum putent in tali casu, & si verba contineant iniurias specie diuersas, vnum tantùm peccatum

mor-

mortale, proferens committit per ordinem ad confessionem. Ratio est, quia omnia proferuntur per modum vnius, & ex vno impetu iracundiæ, & tempore non interrupto.

Hoc paritèr extendit Fagundez ad eum casum, quo quis alteri vnum infert iniuriosum verbum, & lacessitus respondet, & prouocator iterùm, & tertiò replicat iniurias specie diuersas. Adhùc enim asserit ipse in hoc, vnum committi peccatum per ordinem ad confessionem, quiá, vt ille inquit, licet ista in se sint plura numero, & specie distincta, absolutè loquendo; nihilominùs, cum ex vno impetu, eodem tempore, & ex eadem intentione alium iniuria afficiendi proferantur, & pęnitens dicat se multa, & diuersa verba iniuriosa in alterum protulisse, satis Confessarius percipere potest statum pęnitentis. Indè est, quód omnia illa peccata, quoad Confessionem vnum tantùm censeatur. contrà Nauarr. c. 9. n. 18. §. Infertur.

Nèc admiretur Lector, quià, vtraque sententia conciliari potest, & facillimè; nàm Fagundez, & Rebell. asserunt in huiusmòdi casu vnum committi peccatū mortale, licèt illæ iniurię differant specie, quādoquidē solius peccati cōtumeliæ rationem habeant, quę est iniuria, qua verbis alteri obijcitur eius crimen in sua præsentia; puta, si quis aliquem appellet furem, proditorem, hæreticum, &c. Quæ tamèn verba, licèt iniurias specie diuersas importent; ea tamén diuersitas ad peccatum contumeliæ materialitér se habet, vt suprá firmauimus de peierante, per Sanctos, & per Deum.

Ratio est, quiá, omnes contumeliæ tendunt, vt honor proximi in sua præsentia lædatur, quòd contingere poterit, siué quis appellatur semél, & iterùm hæreticus, siuè simùl appellatur fur, proditor, & hæreticus, quæ iniuriæ licèt peccata specie diuersa significent, nihilominùs ad vnum solummodò finem omnes diriguntur, vnumque tantùm peccatum mortale constituunt.

Similitèr, & eodem modo, dicendum est, si quis committeret

teret vnum peccatum homicidij, & simùl medijs specie diuersis suum inimicum occideret, sicùti si cum veneno, & gladio offenderet. Ex ália parte admittenda videtur sententia Nauarri asserentis ab eo plura patrari peccata, qui licèt eodem tempore, & ex eodem iracundiæ impetu in multas iniurias specie diuersas, non tantùm materialitèr fertur; verùm etiàm formalitèr in ijs saltèm, quæ habet lędendi proximum iniurijs specie diuersis, non ex eo, quià sunt iniuriæ; sed quatenùs tales speciales iniuriæ.

Difficultatem, præsenti exemplo, explicamus. Quis reperitur, quód vnico impetu feriret, blasphemaret, hæresim diceret, &c. hìc proculdubio tòt mortalia numero, & specie diuersa committeret, quót equidèm numero, & specie diuersa sunt, ferire, blasphemare, aut hæresim dicere. In his tamèn, & similibus contingentijs pro praxi firmamus, quòd in dubio sempèr exploranda erit pœnitentis intentio, scilicèt, qualis nàm ipsa fuerit, dùm iniurias specie diuersas in proximum protulerit.

Quarta regula est, quandò circà rem aliquam sunt plura præcepta; sed omnia in eumdem finem tendentia, & motiuum virtutis, qui semèl contrà iuramenta, præcepta, vel vota agit, semèl peccat. Ratio est, quià, illa præceptorum multiplicatio, est solùm materialis, quandoquidèm omnia proueniant ab vno motiuo virtutis.

Fatemur insupèr, quòd si quis sacrum non audiat, in die Dominico, in quo dies festus alicuius Sancti Apostoli incidat, vel si regularis Sacerdos semèl contrà votum castitatis agat, quam duplici solemni voto vouit, & cum fuerit Sacris initiatus, & cum professionem emiserit, in vtroque casu, vnum peccatum facit, ob állatam rationem, ità Caiet. in præsenti.

Quinta regula est, quandò quis multotiès eamdem rem, vel vouit, vel iurauit se facturum, si semèl contrà tale iuramentum, vel votum faciat, semèl peccabit, non verò totiès, quotiès rem illam iurauit, aùt vouit; quià primum iura-

men-

mentum, & votum, abstulit omnem obligationem, & posteriora iuramenta, vel vota, non obligant de nouo; sed primam obligationem confirmant, & consequentèr non inducunt nouum peccatum.

Sic, qui de re eadem vni donata mille faciat scripturas, si non stet promissis semèl certè peccabit. Similitèr, qui ex vno iuramento sinè interruptione notabilis temporis circà multos articulos fidei mentitur in iudicio, vnum peccatum facit, non veró tòt, quòt sunt ipsi articuli, itá ex Sarmiento, Fagundez.

Nihilominùs accuratè aduertendum est, quòd si agens contrà id, quod iuramento, & voto simùl paritèr promisit, duplex equidèm incurrit peccatum, vnum, nimirùm, periurij, alterum verò sacrilegij, vt in præsenti docet Nauarrus, & alij communitèr.

Sexta regula est, quandò plura præcepta sunt sibi inuicem subordinata, qui contrà vnum ex his facit, vnum tantùm peccatum committit, puta, si quis inualidè confiteatur in Paschate certè facit contrà præceptum diuinum, quod requirit integram confessionem, & contrà ecclesiasticum, quo annua confessio præcipitur, & nihilominùs est vnicum peccatum.

Ratio est, quià præceptum ecclesiasticum subordinatur diuino, & qui occidit Clericum peccat contrà ius naturale, ciuile, & canonicum simùl; attamèn homicida vnum sacrilegij peccatum committit, quià omnia hæc præcepta subordinantur vni ordinationi, est communis sententia Doctorum.

Septima regula est, quandò voluntas vnico actu fertur circà plura obiecta totalia numero distincta, tùnc tòt erunt peccata, quòt sunt ea obiecta. Ratio est, quià diuersitas numerica peccatorum, desumitur etiàm per diuersitatem numericam obiectorum, licèt non sit necessè in confessione explicare rationem indiuidualem ipsorum obiectorum, vt in prima regula diximus. Cùm satis sit explicare diuersita-

tem numericam actuum, siuè internorum, siué externorum, ex enìm hoc, modo infertur á nonnullis, proponentem non ieiunare prò toto quatragesimali tempore, vel non persoluere horas Canonicas per integrum annum.

Rursùs volentem vnico actu tres interficere homines. Similitèr blasphemantem Deum, & duodecim Apostolos tòt peccata committere, quòt sunt obiecta totalia circa quæ fertur voluntas: Nàm licèt eius actus physicè sit vnus moralitér tamèn multiplex est. Quam tamèn regulam, aliqui non approbant, putantes in dictis casibus vnum tantùm committi peccatum, quandò voluntas vnico actu in plura obiecta fertur, solo numero diuersa; sed sub aliqua communi ratione coniuncta, vt quamplurimi fatentur recentiores. Videatur Vasquez de pęnit. q. 81. ar. 10. dub. 4. contrá quem sunt Salas, Azor. & alij cum Suarez de pęnit. disp. 22. sect. 5.

Obseruat tamèn Filiuccius, & alij ex Suarez secundùm vtramque sententiam esse explicādam istam distinctionem numericam multorum obiectorum; vel quiá huiusmódi circumstantia sit multùm aggrauans. quæ secundùm aliquos est in confessione manifestanda; vél quiá ibi sit multiplicitas numerica peccatorum. Vasquez nihilominùs plané fateretur, retenta opinione probabili, quòd non sit ibi numerica peccatorum distinctio, & consequentér necessarium minimé esse obiectorum multiplicitatem fateri.

Diximus *obiecta totalia*, quiá si fuerint partialia. & in ea quis vnico feratur actu, peccata minimè multiplicantur, puta si aliquis aceruum tritici vellet furari, integram bibliothecam, magnam pecuniarum summam, &c. hic reus esset solùm vnius peccati, quiá licét in aceruo tritici sarcinæ siué onera, in bibliotheca multi libri, & in arca multa aurea scuta conseruentur, quæ singula seorsim accepta satis essent ad committenda plura mortalia.

Nihilominùs, quiá vno actu, siuè externo, siuè interno voluntatis in ea quis fertur, dicendum est, quòd vnum pec-

catum

catum committit. Ratio est, quià omnes sarcinæ, siué onera tritici, omnes libri, & omnia illa adhùc scuta, sunt obiecta partialia, respectu huiusmòdi actus, respectu cuius omnia simùl vniuntur. Vide Doctores suprà cit.

Non raró occurrit casus, quo quis vnico actu suum inimicum, cum tota sua familia simùl intendit occidere, quid dicendùm? Nauarrus ait, eum duo peccata committere, vnum, respectu inimici; alterum verò, respectu familiæ, quæ secundùm Nauarrum tanquàm vna persona est habenda l. 1. ff. de familia furtum fuisse dicatur, ac insupér nonnullas ad id alias affert rationes.

Sèd nos in huiusmódi casu asserimus tòt esse intér se peccata numero distincta, quòt personæ in ea existunt familia. Probatur ratione, quià sicùti si ea voluntas occisoris reduceretur in actum, non in familiam in communi, vt sic, sèd potiùs in hanc, eo illam personam illius familiæ in particulari vtiquè terminaretur, quià actiones sunt suppositorum.

Et sic debitori nequaquàm poterit, quin essent plures malitiæ numero distinctæ, & singulæ necessariò in confessione Sacramentali aperiendæ, quià in illo actu voluntatis continentur singulæ eædem malitiæ eiusdem etiàm bonitatis, si voluntas in bonum feratur; siuè malitiæ, si in malum, & sic ità sunt actus interni, cuius sunt actus externi.

Octaua regula est, quandò media, quibus aliquis ad aliquod peccatum patrandum vtitur; ex se sunt intrinsecè mala, & non ponitur actus principalis, seù finis ad quem illa media ordinantur, huiusmòdi media necessariò in confessione sunt manifestanda. Ratio est, quià, cum ex se sint mortalia, nèc in actu exteriori principali explicari possint, puta, non secuto effectu, vt supponimus, sunt per se equidém aperienda.

Sit pro tyronibus exemplum. Si quis inhonesté deosculetur, & impudicé tangat mulierculam, cum qua tamèn copulam minimé habeat, iste omninò actus impudicos

cos manifestare tenetur, quià non possunt alia ratione implicitè, & virtualitèr explicari in confessione actus principales ad quos ordinantur, nimirùm copulæ, quas non secutas supponimus.

Secùs verò si copulæ sequantur, non enim tùnc, regularitèr loquendo, oscula, & tactus, sunt explicandi. Ratio est, quià, cum huiusmòdi media, tàm ex suo genere, quàm ex operantis intentione ad actum principalem ordinentur, hoc explicato; moralitèr loquendo, explicata censentur omnia ea, quæ ad talem actum ordinantur, ità omnes communitèr.

Diximus, *ex sua natura ordinentur ad talem actum.* Primò, quiá, si alia adhibeantur media extraordinaria, & diuersam malitiæ speciem continentia; tùnc non vnum esset peccatum, séd tòt, quòt sunt illæ diuersæ malitiæ, & per consequens omnia in confessione Sacramentali esse explicanda e. g. quis in casu posito, vt fœmina potiatur, magica vtitur arte, furetur, vt omittat in festo sacrum, &c.

Minimè verò prætereundum est, aduerti, quòd licét nõnulli velint in furto ob fornicationem commisso, necessarium esse explicare, non solùm furtum; verùm etiàm fornicationem, nihilominùs contraria sententia est in praxi tenenda, quòd, nimirùm. satis sit dicere in confessione furatus sum, & insupèr fornicatus sum, absquè malitia illa ordinationis ad fornicandum. Reginal. lib. 6. n. 129.

Minùsque silendum est, fateri, quòd si pòst consummatam copulam, noua habeantur oscula, & tactus, noua hęc essent peccata à prioribus osculis, & tactibus, numero distincta, eò, quòd in sua natura ad alteram peragendam copulam dirigantur, non verò ad habitam, & consequentèr in confessione huiusmòdi malitia erit apérienda.

Nonnulli tamén firmant oscula, & tactus pòst consumptam copulam minimè esse explicandos, quamuis exorbitantes, & non minùs ad maiorem captandam voluptatem; dummodò ex sua natura oscula, & tactus, non sint merè im-

impudici, vt loquitur Nauarrus in summa cap. 5. sub numero 18. ibi.

Quòd semèl tantùm videtur peccare, quoàd necessitatem confitendi numerum, qui pòst vnam fornicationem cum Amasia habitam, eam vigesies osculetur, non ad iterandã fornicationem; sèd ad maiorem delectationem, quià illa omnia oscula, videntur consequentia fornicationis, & rei iám habitæ, modò tamèn tactus, & oscula, non ordinentur ad futuram copulam, quiá tùnc esset explicanda, vt media tendentia ad nouam fornicationem, cum minimè sint complementum præteritæ, sèd futuræ.

Nona regula est, quandò voluntas, vnico actu, in plura fertur obiecta, numero distincta, non ex eo, quiá in aliqua communi ratione conueniant, vt diximus in septima regula; sèd quià sunt particularia, & distincta. & sic tòt quis peccata committit, quòt sunt obiecta intér se separata.

Et hoc à fortiori sequitur ex nostra sententia, quam in citata septima regula firmauimus, ex qua infertur, quòd qui vnico actu tres inducit homines ad peccandum, vél saltèm tres Clericos ad occidendum, tòt esse mortalia, quòt paritèr intér se suntobiecta realitèr distincta.

Decima deniquè ponitur regula, actus pœnitentis interruptos, & repetitos cognoscendos esse, quandò, nimirùm huiusmòdi actus, sunt censenda noua peccata plura, vel vnum, quæ interruptio, & repetitio varijs poterit contingere modis, idcircò dilucidationis gratia, nonnullas de tali materia, conclusiones proponimus.

Prima igitùr est, cum quis voluntatis actum interpellat, per aliam oppositam voluntatem, & sic totiès peccatum committit, quotiès interpellatum repetit actum licét morula breuissima temporis intèr huiusmòdi interpellationes existat, puta, si quis animum occidendi inimicum habeat, & posteà huius peccati pœniteat. Deindè immediatè iterùm ad prauum animum deueniat eumdem occidendi, & sequuta noua interpellatione iterùm illicò voluntas illius in homicidiũ fertur. Du-

Dubium minimé erit, quin iste totiés peccabit, quotiès hæc intentio occidendi repeteretur. Ratio est, quiá pœnitentia prioris peccati facit, vt posterior mala voluntas nullam habere possit coniunctionem, & connexionem, cum prima voluntate,& consequentèr, tòt sunt numero peccata, quót sunt equidém actus voluntatis intér se distincti, ità Melchior Canus de pœnitentia p.5.

Secunda conclusio est, quandó huiusmódi interruptio minimé fiat per oppositum actum, séd naturalitèr, ratione, nempé, alicuius negotij, vél aduenientis amici, vel naturali distractione mentis, itaùt cogitans adhùc per se curet saltém tùnc habitualitér sic eadem cogitatione nullatenùs interpellata, & retractata, & deindè ipsum repetat actum,

In huiusmódi contingentia prima sententia est, quòd iste totiès peccabit, quotiès ad idem peccatum illius voluntas liberè relabitur. Ratio est, quià illæ voluntatis actiones sunt plures, & numero distinctæ, quæ interrumpuntur, vna priùs, pòst aliam, & tempore moralitèr diuerso; ergò etiám si hoc tempus sit modicum non tollit illam pluralitatem, & numericam distinctionem.

Ex qua sententia benè equidém inferri poterit, quòd si quis occidendi fixum habeat animum, & posteá inaduertentér ab hoc proposito distractus, iterùm homicidium velit, licét exiguo temporis interuallo intèr vnum, & alterum actum, interiecto, duo erunt peccata numero distincta. Vasquez de pœnit. q.91.ar. 1. dub.5.

Alij veró contrarium sentientes existimant, quòd per huiusmòdi interpellationes licét notabiles, peccata interna voluntatis minimè multiplicantur, puta, si quis hodiè inimicum interficere proponat,& crás idem repeteret propositum, & per integrum mensem, qualibet die, huiusmòdi actus iteraret, non committeret, nisi vnum peccatum, etiàmsi intèr vnum, & alterum actum magnum interstitium temporis interrumpatur.

Ra-

Ratio est, quià, cum voluntas in homicidium consentiens, nunquám fuerit reuocata in eodem proposito habitualitèr sempèr perseuerare censetur, & per consequens omnes illę reiteratæ cogitationes vnum considerantur peccatum; quandoquidèm á voluntate habente totum illud tempus, idem propositum peccandi emanaret. Hanc tamèn sententiam nonnulli respuunt, & falsam appellant.

Et licèt Canus dicat, quòd illud pro vno peccato æstimetur, nihilominùs asserit esse explicandum tempus, in quo, quis in huiusmòdi voluntate habitualitér permansit hæc tamèn sententia, aùt parum, aùt nihil, videtur differre à sententia Vasquez, & aliorum paritèr asserentium esse plura peccata numero distincta.

Authores isti adhùc firmant, quòd quandò quis multo tempore in aliqua praua voluntate perdurat, in quo sæpé sæpiùs malos iterauit actus, satis est posteà in confessione temporis durationem, puta, hebdomadæ, mensis, &c. quo fuit in eo prauo animo manifestare, huiusmòdi sententia in praxi est tuta, quandò pœnitens nequit, certum numerum, vel saltém verisimilem actuum internorum explicare.

Nèc tertia sententia circà tales actus est omittenda, docens, quòd si interpellatio, & temporis mora, quæ intèr vnum, & alterum actum intermediat sit verè notabilis totiés peccatum committitur, quotiès in tali distantia idem actus repetitur. At si mora temporis sit tenuis, & modica huiusmòdi actus frequentati vnum saltém moralitèr, si non physicè, censentur.

Ratio est, quià actus à voluntate eliciti, cum notabili tēporis intercapedine, nèc physicè, vt ex se patet; nequé moralitèr esse vnum, séd plures, & sic á pari dicendum est de ieiunante, qui interrumpat conmestionem, quam supponimus, ad sui sufficientiam sumpsisse, & interiecto notabili temporis interuallo ad mensam iterùm redeat, ieiunium frangit, quià illæ conmestiones sunt duæ physicè, & moralitèr, vt omnes communitér concedunt.

Secùs verò afferendum est, si intèr vnum, & alterum actum, saltèm moralitèr, sit parua temporis mora, quià tùnc esset vnum peccatum, & hæc est altera pars huius sententiæ adhùc probabilis, quandoquidèm actus interrupti, & repetiti pòst breuem temporis moram, non diuersificant, saltèm notabilitèr, iudicium morale Prudentis, vt suprá diximus, de actibus externis.

Confessarius igitùr ad instàr istius, idem poterit formare judicium, de suum occidente inimicum, qui per quadrantem absquè vlla homicidij interruptione, desiderio adhæsit, & de alio, qui intrá idem temporis spatium sæpius idem desiderium iterauit interrupti: Nàm; istæ paruæ iterationes, quandò non retractato actu, occurrunt, vix variare possunt morale iudicium circá idem peccatum. Immò dicunt nonnulli, hanc esse veram sententiam, saltèm per accidens eò, quòd sit impossibile huiusmòdi interruptiones satis aduertere, & explicare.

Hìc tamèn reflectere spectat, quòd tota difficultas erit in determinãdo quodnam temporis spatium dici possit quoàd hoc notabile, & quandó nàm non. Nonnulli distinctione vtuntur, dùm afferunt duo peccatorum genera reperiri. Aliqua, nimirùm, esse peccata interna momentanea, idèst, talia, quæ illicò perficiuntur, nèc solent per aliquod temporis spatium animum peccatoris afficere, puta, blasphemare, peierare &c.

In huiusmòdi peccatis, quamplurimi dicunt, & sanè, quòd multò minùs, quàm vnius quadrantis interuallum satis est, ad hoc, vt plura peccata distincta numero censeantur, & quandò sunt externa, vt ex positis exemplis liquidò patet. Ità si quis nùnc interiùs blaphemaret, atque etiàm peieraret exteriùs, & pòst quadrantem iterùm blasphemaret, peieraret &c. plura equidèm peccata numero distincta committeret.

Aliqui verò putant esse successiua peccata, hoc est, talia, quæ

quæ naturalitèr, per aliquod tempus animum noſtrum afficere ſolent, vt eſt praua intentio odij, vel turpis amoris &c. ergà aliquam deſignatam perſonam, & ad huiuſmòdi diſtinguenda peccata aſſerunt ſpatium, vnius quadrantis, minimè ſufficere: ſed volunt requiri mediæ horæ interuallum, & ampliùs, vt vnus odij actus ſit moralitèr ab alio interruptus, & ſic duo ſint peccata mortalia.

Ex quo inferunt multi Doctores, quòd ſi intrà breue tempus milliès tuum inimicum odio habueris, minimè actus illi cenſeri debeant noua peccata, necnon plura numero diſtincta; ſed tantummodò vnum quoàd effectum, nimirùm, moralis interruptionis.

Addimus inſupèr, quòd quandò actus externi, qui ex ſe non habent malitiam diſtinctam ſpecie à malitia finis ad quem ordinantur, & vniuntur intèr ſe abſquè vlla notabili interruptione, vnam ſolummodò continent moralem malitiam. Ratio eſt, quià omnes prædicti actus ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris intèr ſe. Participāt enìm ſolùm finis malitiam ad quem finem diriguntur, & rursùs cum non interrumpantur notabilitèr, non habent malitiam numero diſtinctam, & ſic vnum peccatum conſtituunt.

Ex quo conſequentèr ſequitur, quòd ſi interiùs occidere inimicum decreueris, & ex huiuſmòdi propoſito conſcendis equum, arma paras, & ſimùl iter vnius diei arripis, & tandèm interficis hoſtem, ſemèl tantùm peccas, quamuìs intèr eundum ſæpeſæpiùs idem reuolueas propoſitum, quód reuerà nunquàm fuit interruptum, ſed potiùs ſempèr continuatur, ita Bonacina in præſenti, Nauarrus, & alij.

Diximus ſuprà *abſquè notabili interruptione*; quià ſi illi actus interrumpantur per vnius noctis ſomnum, & ſequenti die e.g. iterùm aggrediaris opus, duo committes peccata, quod tamèn (ſed immeritò) diſplicet Petro Nauarræ, qui tùnc vult fieri vnum peccatum, hæc ſententia exiſtimatur vera à Rebell. ſi dùm ſicarius dormit, & aliqua detur præ-

sumptæ operationis continuatio, vt si dormiens cursu, vel naui ad locum, in quo est inimicus, vehatur, vel si pro modico tempore somnus assumatur, vt medium ad homicidium committendum.

Diximus pariter in conclusione. *Qui ex se non habet malitiam specie distinctam*, quià si actus interpositi habeant diuersam specie malitiam, à malitia finis ad quem conducunt, tùnc tòt erunt peccata, quòt sunt huiusmòdi actus: ità si in proposito casu, dùm iter facis, alteri fureris equum, & illius dominum interficias, vltra homicidij peccatum, adhùc teneris in confessione furtum fateri, vt aliàs similitér diximus.

Quæres quidnàm sit dicendum de praxi habenda in confitendo numerum peccatorum? Respondetur, quòd, quandò pœnitenti constat certus, & determinatus suorum peccatorum numerus, illum indiuisibilitér manifestare tenetur, itaùt nèc augere, neguè minuere possit, est omnium Doctorum vna; sed communis sententia, & fortiùs quià habetur ex Trid. sess. 14. c. 5. pluriés cit. ibi.

Ex his colligitur oportere à pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum pòst diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri, & Can. 7. *si quis dixerit in Sacramento pænitentia ad remissionem peccatorum, necessarium non esse, iure diuino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, & diligenti præmeditatione, habeatur, etiàm occulta &c.*

Si verò pœnitens ignoret certum, & præfinitum peccatorum numerum: sed tantùm ex aliquibus circumstantijs plùs, minusué illum conijcere potest, confiteri debet, dicendo e.g. peieraui vigesiès plùs, minùsue, blasphemaui trigesiès plùs, vel minùs &c. Quòd si posteá prò certò sciat peierasse quinquiès suprà vigesiès &c. vel bis, citrà, aùt vltrà deciès, quorum non erat memor quandò confitebatur. Satis fuit ille numerus comprehensus sub priori confessione indeterminata per eam particulam *plùs, vel minùs*.

Secùs

Secùs tamén dicendum foret, si quandò pœnitens confessus fuit determinatum peccatorum numerum fatendo v.g. peieraui vigesiès, *nec plùs, nèc minùs,* & deindè aduertat se bis, vel quatèr suprà vigesiès peierasse, in sequenti confessione, illum numerum manifestare tenetur.

Eadem obligatione tenetur confiteri numerum indeterminatum sub clausula *plùs*, *vel minùs*, si posteà depræhendit sæpiùs tale peccatum commisisse in numero multùm notabile, pari modo, in secunda confessione est manifestandus ille notabilis excessus, quià per illud *plùs*, *minusuè* integer numerus minimé sufficientér manifestatus censetur.

Aduertunt insupér Doctores, non esse necessariò explicandum singillatìm numerum peccatorum, sequenti modo, videlicét. Semél occasione ludi, omisi sacrum, & aliàs sacrum omisi, occasione venationis, & iterùm occasione hospitij &c. quià hoc esset pœnitenti, & Confessario molestissimum, & maximé, quià iste modus confitendi peccata magnam scrupulis exhibet occasionem, cum sepé occurrere poterit aliqua peccata, de quibus meritò pœnitens dubitaret, an fuerit de illis veré confessus.

Quæres, quid dicendum sit de pœnitente, qui longo tempore perseuerauit in peccato, néc potest determinatum numerum, aùt verisimilem manifestare? Respondetur, satis erit, Si consuetudinem peccandi, & tempus, quo in ea permansit, confiteatur, ea, quæ diximus, apùd nonnullos Doctores obseruauimus; quià hoc non est sufficiens, ità nudè, & generalitér Confessario narrare, vt voluit Caietanus, quem sequitur Nauarrus, vbi supra cit.

Ex quo colligitur minimé satis esse meretrici dicere per decennium in statu peccaminoso, & omnibus expositæ permansisse: sed teneri frequentiora peccata, & eorum numerum, saltém in confuso, eo meliori modo, quo potest explicare, vt in posito casu e.g. meretrix se accusare debet dicendo in hoc statu perseueraui per decem annos, & toto tempore bis, vel tér per singulos dies plùs, minusué pec-

caui

sumptæ operationis continuatio, vt si dormiens cursu, vel naui ad locum, in quo est inimicus, vehatur, vel si pro modico tempore somnus assumatur, vt medium ad homicidium committendum.

Diximus pariter in conclusione. *Qui ex se non habet malitiam specie distinctam*, quià si actus interpositi habeant diuersam specie malitiam, à malitia finis ad quem conducunt, tùnc tòt erunt peccata, quòt sunt huiusmòdi actus: ità si in proposito casu, dùm iter facis, alteri fureris equum, & illius dominum interficias, vltra homicidij peccatum, adhùc teneris in confessione furtum fateri, vt aliàs similitér diximus.

Quæres quidnàm sit dicendum de praxi habenda in confitendo numerum peccatorum? Respondetur, quòd, quandò pœnitenti constat certus, & determinatus suorum peccatorum numerus, illum indiuisibilitér manifestare tenetur, itaùt nèc augere, nequè minuere possit, est omnium Doctorum vna; sed communis sententia, & fortiùs quià habetur ex Trid. sess. 14. c. 5. pluriés cit. ibi.

Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum pòst diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri, & Can. 7. *si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse, iure diuino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria, cum debita, & diligenti præmeditatione, habeatur, etiàm occulta &c.*

Si verò pœnitens ignoret certum, & præfinitum peccatorum numerum: sed tantùm ex aliquibus circumstantijs plùs, minusué illum conijcere potest, confiteri debet, dicendo e.g. peieraui vigesiès plùs, minùsue, blasphemaui trigesiès plùs, vel minùs &c. Quòd si posteá prò certò sciat peierasse quinquiès suprà vigesiès &c. vel bis, citrà, aùt vltrà deciès, quorum non erat memor quandò confitebatur. Satis fuit ille numerus comprehensus sub priori confessione indeterminata per eam particulam *plùs, vel minùs*.

Secùs

Secùs tamén dicendum foret, si quandò pœnitens confessus fuit determinatum peccatorum numerum fatendo v.g. peieraui vigesiès, *nec plùs, nèc minùs,* & deindè aduertat se bis, vel quatèr suprà vigesiès peierasse, in sequenti confessione, illum numerum manifestare tenetur.

Eadem obligatione tenetur confiteri numerum indeterminatum sub clausula *plùs, vel minùs*, si posteà depræhendit sæpiùs tale peccatum commisisse in numero multùm notabile, pari modo, in secunda confessione est manifestandus ille notabilis excessus, quià per illud *plùs, minusuè* integer numerus minimé sufficientér manifestatus censetur.

Aduertunt insupér Doctores, non esse necessariò explicandum singillatìm numerum peccatorum, sequenti modo, videlicét. Semél occasione ludi, omisi sacrum, & aliàs sacrum omisi, occasione venationis, & iterùm occasione hospitij &c. quià hoc esset pœnitenti, & Confessario molestissimum, & maximé, quià iste modus confitendi peccata magnam scrupulis exhibet occasionem, cum sepé occurrere poterit aliqua peccata, de quibus meritò pœnitens dubitaret, an fuerit de illis veré confessus.

Quæres, quid dicendum sit de pœnitente, qui longo tempore perseuerauit in peccato, néc potest determinatum numerum, aùt verisimilem manifestare? Respondetur, satis erit, Si consuetudinem peccandi, & tempus, quo in ea permansit, confiteatur, ea, quæ diximus, apùd nonnullos Doctores obseruauimus; quià hoc non est sufficiens, ità nudè, & generalitér Confessario narrare, vt voluit Caietanus, quem sequitur Nauarrus, vbi supra cit.

Ex quo colligitur minimé satis esse meretrici dicere per decennium in statu peccaminoso, & omnibus expositæ permansisse: sed teneri frequentiora peccata, & eorum numerum, saltém in confuso, eo meliori modo, quo potest explicare, vt in posito casu e.g. meretrix se accusare debet dicendo in hoc statu perseueraui per decem annos, & toto tempore bis, vel tér per singulos dies plùs, minusué peccaui

caui, idque magna ex parte, modo naturali, & cum solutis.

Similitér dicere debet, non itá frequentér cum in sacris initiatis, vel coniugatis, aùt modo indebito, vél é contrà sæpiùs naturali modo, vél cum in sacris constitutis, & coniugatis, rariùs tamén cum solutis, licét occurrat aliquid speciale, quòd communitér ex audientibus per huiusmòdi generalem confessionem, Confessarius non valeat comprehendere, siué sit contrà castitatem, siué contrà quamcunque virtutem esse explicandum.

Quòd verò diximus de meretrice, proportionalitér adhùc poterit intelligi de alio quocunque peccatore; & in quouis genere peccati, in quo quis per multum tempus, & ex consuetudine permanserit, quandoquidém respectu huius sit similis difficultas, & moralis impossibilitas né dicatur, etiàm physica, quoàd explicandum numerum peccatorum, de quo etiàm idem valet iudicium.

De actibus tamén internis satis meretrix dicet si accuset se dicendo sæpiùs per diem, aùt quasi continuò, & proùt sese offerebat occasio indifferentér desideraui cum quouis hominum genere peccare. Verùm etiàm, quòd saltém seruandum videtur, quoàd speciem peccatorum, id, quod diximus suprà, circá actus exteriores, si commodé possit.

Et licét actus interni difficiliùs distingui possint quoád numerum, quám externi, vt obseruant Doctores aliqui, & quoád hos satis sit tempus confiteri; non tamén eadem est difficultas circá species peccatorum, & sicùti quis facilê recordari potest qualitatis personæ, & aliarum circumstantiarum, quæ speciem peccati diuersificant; itá etiám desideriorum morosæ delectationis, & aliorum internorum peccatorum, quæ saltém in confuso erunt explicanda in confessione, dicendo e.g. sæpiùs sacris initiatos desideraui, quám coniugatos, aùt sæpiùs coniugatos, quám solutos, aùt saltém sæpiùs tale genus peccati, quàm aliud.

SECTIO

SECTIO X.

De specifica distinctione peccatorum.

PRæmittendum breuitér est alicuius actus duplicem esse speciem: Physicam, nimirùm, & moralem. Quæ species itá intér se distinguntur, vt aliqandò manente eadem specie physica inuariata, species moralis sit diuersa, & é contrá, vt ex præsenti exemplo liquidò patet.

Comedere, carnem die Iouis, & die Veneris, sunt duó actus eiusdem speciei physicæ; sed tamén comestio carnis in die Iouis, non retinet illam specialem malitiam moralem diei Veneris annexam, eò, quià hæc constituit peccatum mortale, minimé tamén illa.

Similitér hominis occisio gladio, & alia occisio facta veneno, sunt duo actus, qui habent diuersam speciem physicam, sed tantummodò vnam moralem. Vide Bonacinam in præsenti, & alios infrá citandos, his itaquè præmissis.

Dicendum est primò in confessione, necessarium non esse speciem physicam peccati explicare, quandò, nimirùm, hæc non mutat speciem moralem. Ratio est, quià de specie physica, vt sic, alia in hoc iudicio minimé habetur ratio; sed tantùm de morali, vt patet ex communi vsu, & experientia, idemque hoc seruat Ecclesia, aliás quamplurima sequerentur inconuenientia, & absurda.

Et hoc quià vnus actus physicus plures habet malitias, & aliquandò plures actus physici vnam habent malitiam, & sic sequeretur, quòd non omnia peccata singillatìm necesse esset explicare, quoád species solummodò physicas, & aliquandò paritér sequeretur frustrá explicare, eò quià vno actu expresso sufficientér peccatum explicatum censeatur. Bonac. de Sacram. pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. dist. 2. vnic. propos.

Dicen-

Dicendum est secundò, species peccatorum morales in confessione esse necessariò explicandas quantùm commodé fieri potest. Probatur, quià ea omnia sunt necessariò in confessione aperienda, quæ notabilitér mutant iudicium confessarij, sed huiusmòdi sunt species diuersæ, ergò &c.

Rursùs, quià species morales peccati, vél ponit primò peccatum, vél nouum addit; sed superiùs diximus, in confessione esse manifestanda omnia peccata, quorum habetur memoria; ergò etiám sunt manifestandæ illæ circumstantiæ morales, quæ, vél primò ponunt peccatum, vél aliud addunt. Trid. sess. 14. c. 5. ibi.

Colligitur prætereà, etiàm eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis peccata ipsa nèc à pœnitentibus integrè exponantur, nèc iudicibus innotescant, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.

Verùm aduertendum est minimé necessarium esse, vt pœnitens explicité distinguat in sensu formali huiusmòdi species, dùm confitetur, dicat, ego in tali actu hanc, vél illam contraxi malitiam specie diuersam, quandoquidém vix homines docti eas sciant discernere. Sufficiens est, quód actus proùt gestus fuit, distinctè narretur.

Similitér satis erit rustico, dicere, ego Pater me accuso, quòd violentér in loco sacro meam cognoui consanguineam; Confessarij deindé munus erit scire benè species peccatorum distinguere, & iudicare particularitèr in eo actu, quatuòr peccata specie distincta patrata fuisse. Vnum scilicét, iniustitiæ ob violentiam, alterum incestus ob consanguinitatem, adulterij, ob coniugium, & sacrilegij ob irreuerentiam loci sacri.

Quòd si pœnitens ex inuincibili ignorantia discernere nequeat, in dubium minimé reuocatur, illam speciem malitiæ non contraxisse, cuius inuincibilem habuit ignorantiam, licèt alterius malitiæ aduertentiam habuerit, puta, si nouis-

nouisset pœnitens adulterij, & incestus malitiam; non verò sacrilegij, & iniustitiæ, Bonacina.

Ex his inferre possumus, eum, qui peccatum bestialitatis commisit cum animalibus specie diuersis, has speciès diuersas confiteri minimè teneri, satis enim esset si dicat totiès hoc peccatum commisi, quià illa diuersitas animalium specifica est meré physica, néc vim habet constituendi speciem moralem peccati.

Addimus insupér, eum, qui plures lapsus est in hæreses, satis esse in confessione fateri, se accusando, quòd decies sit in hæreses lapsus, absquè eo, quòd hæresum qualitates explicet, si fuerit Caluini, vèl Luteri &c. Ratio est, quià hæresum diuersitas, vél est physica, vél solùm materialis, & nullo modo moralis. Vide Sotum in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 4.

Asserimus vltimò concupiscentem fœminam in communi, vél aliam, cuius ignoratur status, teneri hanc circumstantiam manifestare, quià in tali desiderio adhùc desiderium continetur implicitum, & virtuale, cum illa fœmina peccandi, tàm si virgo; quám si coniugata, vél soluta fuerit, atque itá non solùm peccat eò, quòd se exponat periculo committendi, quodcunque ex his peccatis, vt dicit Bonacina in præsenti.

Verùm etiám, quià est implicité affectus ad talem fœminam, vt vellet cum ea peccare, cuiuscunque status, & conditionis fuerit; atque itá per eum actum desiderium fertur in fœminam, siué virginem, siué coniugatam, siué solutam; nihilominùs adhùc dici poterit, quòd ab hoc præcepto ille excusaretur, qui ad huiusmòdi specificam malitiam inculpabilitér non aduerteret, proùt regularitèr contingere solet.

SECTIO XI.

De circumſtantijs particularibus in Confeſsione aperiendis.

QVæres, quomodò circumſtantiæ particulares, ad hoc, vt in Sacramentali confeſſione ſint manifeſtandæ, cognoſcantur? Reſpondetur, circumſtantias, de quibus agitur, duplicis eſſe generis: Quædam addunt actui malitiam ſpecie diſtinctam, puta, ſi homicidium in loco ſacro committatur. Circumſtantia loci ſacri ſuprà homicidium, ſacrilegium reddit.

Aliæ ſunt circumſtantiæ, quæ ex ſuo genere eſt peccatum veniale, & faciunt mortale, vél quòd ex ſuo, genere eſt mortale, & faciunt veniale, ſit exemplum. Quis ſutori acum furatur bené aduertens ex hoc leuiſſimo furto magnum eidem detrimentum fore venturum, è contrá verò, quis alteri graue damnum infert, ſed inculpabilitér, & non bené hoc aduertens.

Aliæ ſunt impertinentes, quæ néc augent, néc minuunt peccatum, quales ſunt dextera, vèl ſiniſtra manu furari, antè, vel pòſt prandium: Aliæ ſunt augentes notabilitèr, qualis eſt intentio actus, vt ſi quis cum magna intentione odij aliquem odio perſequatur. Aliæ deniquè ſunt notabilitèr minuentes, qualis eſt circumſtantia metus alicuius mali impellentis ad furtum committendum. Circumſtantiæ, quæ poſſunt augere, vel minuere peccatum in hoc verſiculo continentur.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur,
Quomodo, Quando.

QVis ſignificat qualitatem perſonæ, & illius conditionem committentis peccatum, proptèr quam qualitatem, & conditionem actui noua ſpecies peccati

tribui

tribui potest. Quæ circumstantia (sicùti de alijs, vt infrà) quatenùs in confessione sit explicanda, ex sequentibus quęsitis manifestiùs patebit.

Quæres igitùr primò. An Religiosus, & simùl Sacerdos, qui fornicatus est vtramque circumstantiam, voti, & castitatis confiteri teneatur, religionis, nimirùm, & ordinis sacri, aùt satis erit, si fateatur se esse Sacerdotem, tacendo, quòd sit Religiosus, vel esse Religiosum silendò, quòd sit Sacerdos?

Respondetur, nonnullos asserere Sacerdotem Religiosum non manifestare teneri vtramque circumstantiam; sed sufficere alterutram dicere, quià tám votum castitatis ordini annexum, quám Religioni sint eiusdem speciei.

Immò alij dicunt, Sacerdotem, vèl Religiosum solemnitatem sui voti minimè manifestare teneri; sed satis sit dicere peccaui contrá castitatem, siuè votum illius, quòd multi hoc probabile putant.

Nonnulli tamèn asserunt votum solemne professionis esse specie diuersum à voto solemni Sacerdotis proptér diuersos fines, ad quos vtrumque votum dirigitur, quę sententia licèt sit probabilis, non tamèn caret probabilitate contraria.

Quæres 2. An puella inhonesta desideria admittens in confessione se esse Virginem manifestare teneatur? Respondetur, primam sententiam esse negatiuam, quià hæc circumstantia non addit malitiam diuersam specie illi prauo desiderio. ità Sotus in præsenti.

Caietanus verò vlteriùs progreditur asserens, quòd si in huiusmòdi desiderio, vel delectatione puella pollueretur, quandoquidèm per talem pollutionem, vti supponimus, Claustrum Virginale minimè violaretur, & sic non esset manifestanda circumstantia virginitatis. ità Sotus.

Quæres 3. An sit saltèm manifestanda Virginitatis circumstantia in actu externo primæ completæ copulæ? Respondetur, valdè probabilem esse opinionem asserentem

huiusmòdi circumstantiam in posito casu minimè esse manifestandam, cum copula sinè vi, aùt dolo habeatur, sed puella consentiente; quam sententiam probare nititur Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 10. dubit. 1. ibi.

Si puella non est sub potestate parentum, vel tutorum, vel si illis consentientibus potiatur violari, illud strupum non continet specialem malitiam mortalem suprà fornicationem. Probatur, quià in strupro non est speciale peccatum, nisi sit specialis iniuria; quòd etsi, quidam negent, tamèn cæteri cum Caietano affirmant, sed hìc nullum est malum, quià consentienti nulla fit iniuria. ergò &c.

Sanchez lib. 7. de matr. disp. 14. num. 10. asserit. Quintò deducitur, nòn esse stuprum, sed simplicem fornicationem, vbi nulla vis infertur fœminæ Virgini, sed solis parentibus, aùt tutoribus, è quorum retinentium domo Virgo volens, abducitur; quià quamuis sit raptus resp ectu parentum, est necessariò explicandus in confessione: at Virginitati nulla fit iniuria, cum ipsa Virgo in eius violationem consentiat, ac proindè stuprum minimè est &c.

Nihilominùs in huiusmòdi casu nobis placet sententia P. Filluccii asserentis in praxi hanc circumstantiam esse manifestandam, non solùm in peccatis internis, verùm etiàm in desiderijs internis virginem cognoscendi. Ratio est, quià quilibet existimat se grauissimè peccare, dùm primò rem habet cum Virgine; vel eam concupiscit; ex quo fit, quòd si pœnitens de hac circumstantia nil dicat, de illa Confessarij inquirere tenentur.

Quæres 4. An Eunuchus rem habens cum fœmina impotentiæ circumstantiam generandi explicare teneatur? Respondetur, affirmatiuè, non solùm, quià illa copula est contrà finem à natura intentum, nimirùm contrà generationem, quæ minimè ex ea sequi potest; verùm etiàm, quià, in huiusmòdi casu semen muliebre prodigeretur, quod cum ex se aptum non sit ad prolē generandā, esset contrà finem naturæ, ad quem ipsa natura talis materiæ intendit effusionem.

Con-

Confirmatur hæc nostra sententia ex Sanchez de matr. lib. 7. disp. 5. num. 14. ibi. Sexto infertur, coitum, cum impedimento dirimenti impotentiæ, vt si frigidus, vel Eunuchus coeat, habere circumstantiã diuersæ speciei necessariò confitendam. Quià ratio prohibitionis matrimonij intèr hos, nempè, impotentia generandi existit, & sic frustratio finis, ad quem natura coitum destinauit, militat etiàm in copula illicita. Quarè his coitus reducetur ad peccatum contrà naturam.

Confirmatur insupèr ex Lessio de iust. lib. 4. cap. 3. n. 45. ibi. Notandum est, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur esse spermatisin, seù seminationem, in quo duplicitèr inordinatio potest committi. Primò quoàd substantiam illius actus, vt cum non fit in organo naturali, vel cum persona legitima. Ratio autèm harum specierum sic accipi potest; vel enìm est inordinatio circà actum principalem, & sic est peccatum contrà naturam &c. Quęres 5. An in peccato odij sit in confessione aperienda circumstantia personæ, quæ fuit odio habita? Nauarrus in præsenti affirmatiuè respondet, immò in quacumque læsione, siuè vitæ, siuè honoris, ac insupér explicandum est, an læsus sit sanguine coniunctus, aùt affinis, Si Superior, si Benefactor, proptèr malitias ingratitudinis, & irreuerentiæ.

Quæres 6. An simplices blasphemiæ, non autèm hæreticales, sint explicandæ, an fuerint prolatæ contrà Deum, B. Virginem, & Sanctos? Respondetur, duas esse sententias, primam afferentem omnes simplices blasphemias specie intèr se non differre, quià omnes conueniunt in ratione specifica tribuendi, nimirùm, Deo, quòd ei non conuenit, vel negando, quòd illi conuenit; etiàm quandò proferuntur in B. Virginem, & in Sanctos, in quibus sicùti ipse Deus laudatur iuxtà illud. *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, ità etiàm Deus contemnitur, cum Sancti maledicuntur.

Se-

Secunda, sed verior sententia est, Blasphemias in Deũ illatas à blasphemijs prolatis in B. Virginem, & Sanctos specie differre. Quaré secundùm hanc opinionem erunt singulæ in confessione aperiendæ, & blasphemus tenetur si vigesiés maledixerit Deo, & B. Virgini, dicere deciès maledixi Deo, & deciès B. Virgini.

Ratio est, quià, sicùti cultus, quo colimus Deum, est specie diuersus à cultu, quo colimus B. Virginem, & Sanctos, ità maior cultus est Deo exhibendus, quàm creaturis, & insupèr, quià sicùti cultus latriæ exhibetur Deo; hyperduliæ B. Virgini, duliæque Sanctis, ità diuersæ speciei sunt blasphemiæ; & hoc, ratione personarum ad quas terminantur.

Quòd si blasphemiæ fuerint hæreticales, certum enim est, quòd specie differunt à blasphemijs simplicibus, & propterea dicimus, quòd omninò erunt secundùm huiusmòdi circumstantiam in confessione Sacramentali explicandæ, dummodò tamèn error non sit in intellectu cum pertinacia, quià tùnc oportet pœnitentem Sacram Inquisitionem absolutè adire.

Quæres vltimò, An quantitas furti sit necessariò explicanda. Respondetur, diuersitatem materiæ, quam quis furatus est, ex suo genere in confessione minimè esse explicandam, cum peccatum non habeat speciei diuersitatem, vndè si quis indiuisam pecuniam trium dominorum furetur, in rigore loquendo, non tenetur hanc circumstantiam confiteri ob allatam rationem.

Magna tamèn est difficultas in hac materia, circà determinandam quantitatem, & in hoc dicimus triplicem esse sententiam. Prima docet satis esse, si pœnitens dicat se in materia furti peccatum mortale commisisse. Secunda asserit esse explicandam quantitatem, non vti circumstantiam, sed tanquàm aliquod pertinens ad ipsum obiectum furti, & ad peccati indiuiduationem.

Deniquè tertia dicit, pœnitentem non teneri explica-

re

re furti quantitatem; benè tamèn teneri Confessarium ipsum pœnitentem de quantitate interrogare, qua interrogatione facta, obligatur pœnitens huiusmòdi quantitatem manifestare. in praxi tamèn secunda, vti probabilior erit seruanda.

Vnum, antequàm ad vlteriora procedamus, est hic aduertendum, nempè, actum externum, licèt secundùm se malitiam speciei diuersam à malitia actus inferri, minimè habere, nihilominùs, esse semper explicandum, casu, quo actus internus, non fuerit cum externo completus.

Quaré si quis actu furatus sit, de huiusmòdi furto actuali se accusare tenetur, non solùm si careat intentione non restituendi, quiá tùnc non potest absolui, neque etiám si quod surripuit adhùc retineat. Ratio est, quià, licèt actus externus non sit diuersæ malitiæ specie à malitia actus interni, nihilominùs est circumstantia, pertinens ad substantiam, & indiuiduitatem ipsiusmet actus peccaminosi, prout à parte rei fuit gestus.

Propterea si huiusmòdi explicatio omitteretur, minimè equidèm manifestaretur peccatum, prout fuit à parte rei cosummatum; quòd siquidèm est contrà integritatem in confessione Sacramentali necessariò requisitam, ità cum alijs communitèr Bonacina.

Quid, est circumstantia, quæ versatur circà peccatum, vt est furtum rei sacræ, vel non sacræ, illud est sacrilegium, hoc nequaquàm, & sic de alijs &c.

Vbi, significat explicandam esse circumstantiam loci, in quo peccatum fuit commissum, quandò, scilicèt, dat speciem malitiæ diuersam; Hæc autèm circumstantia est intelligenda de Ecclesia; An ibi habita fuerit carnalis copula, vel humanum semen fuerit effusum iuxtà infrà dicenda, si absquè priuilegio confugientes, ab ea fuerint extracti, vel sanguis humanus ibi iniustè fuerit effusus, vt in præsenti videbimus.

Quæres igitùr primò. An omnia peccata, siuè interna, siuè

siué externa in Ecclesia commissa, ratione huiusmòdi loci sacri, specialem sacrilegij malitiam contineant? Io. Medina C. de Confess.tract.2.q.9. ait. Verùm quicquid sit de his modis dicendi, de quibus aliàs, videtur nùnc breuitér, quòd siué homo committat peccatum opere, siuè sola voluntate in loco, vel tempore, sacro, potest se triplicitér habere.

Quia, vel id facit scientér, sciens se in loco sacro peccare, vel ignorantér crassè, seù affectatè, vel ignorantèr inuicibilitèr. Si primùm non dubito speciale peccatū esse in casu, ratione loci sacri, qui ad colendū Deū specialitèr est dedicatus, & consecratus, ratione cuius illi sua debetur reuerentia, ac proindé, qui in tali loco scientér peccat, videtur specialitèr offendere Deum.

Alij verò hanc Medinæ sententiam reijciunt, rationemque assignant, quandoquidém peccatoris malitia non cōtrahitur, nisi in illis peccaminosis actibus, qui ab Ecclesia sunt prohibiti fieri in loco sacro. Sed circà omnia peccata tàm interna, quàm externa Ecclesia non præscripsit huiusmòdi prohibitionem; ergò &c.

Procedere tamén potest hæc conclusio, quandò locus sacer se habet meré materialitèr; non verò, quandò quis desiderat in loco sacro peccatum committere; puta, si quis efficax desiderium haberet, sed impudicam copulam in loco sacro consumandi cum Berta. tùnc Ecclesia in huiusmòdi actum sacrilegij malitiam refunderet.

Secùs dicendum est, quandò existens in Ecclesia, fœminam desideraret, quià in huiusmòdi casu, non equidém contraheretur malitia, quandoquidém iste actus ob reuerentiam loci sacri fuerit prohibitus, vt cum Nauarro, & alijs docet Azorius tom.3. lib. 3, cap, 27.q.15.

Quæres secundò. Quandò nàm peccata externa in loco sacro commissa, contrahant sacrilegij malitiam, & quandò non? Respondetur, quòd pollutio, vel copula, siuè naturalis, siuè innaturalis in Ecclesia habita, etiàmsi sint oc-

cultæ

cultæ, nec per eas ipsa polluatur, continent tamèn malitiam sacrilegij, quià accedente deindè earum publicatione Ecclesiæ polluitur.

Ex quo patet argumentum, quòd ad huiusmòdi publicationem requiritur, vt tales actus fuerint admissi contrà Ecclesiæ reuerentiam, vt videtur firmare Bonacina de matr. q. 4. p. vlt. num. 7. Contraria tamén sententia, non est improbabilis, quam sequitur Vasquez tom. 1. in 1. 2. disput. 98. cap. 3. num. 6. Pontius de matr. lib. 10. cap. 10. num. 15.

Quòd verò spectat ad copulam, nostra conclusio intelligenda est de illicita, secùs de coniugali in Ecclesia habita, vt docet Lessius de iust. lib. 4. cap. 3. dubit. 12. ibi. Dixi *absquè necessitate*, quià si longo tempore maneant conclusi in loco sacro, ratione belli, vel concussionis militaris, & immineat alteri periculum incontinentiæ, non erit peccatum reddere, aùt etiàm petere debitum in loco sacro, si alibi non est opportunitas iuxtà illud 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicèm, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterùm reuertimini in ipsum nè tentet vos Satanas proptèr incontinentiam vestram.*

Dices, verba turpia, aspectus, & tactus impudici in loco sacro habiti, continent nè malitiam sacrilegij? Respondetur, cum Fagundez, Sanchez, & alijs negatiuè, quià sola seminis humani effusio, est in loco sacro prohibita. Alij verò quoàd tactus, hac distinctione vtuntur. Vel sunt valdé impudici, vel non, si primo casu, circà verenda fiant cum possit sequi pollutionis periculum, hæc circumstantia manifestari debet; secùs in secundo casu.

Concludimus deniquè, sanguinis effusionem iniuriosam, & homicidium, locum sacrum, siué Ecclesiam, violare, & consequentèr sacrilegij malitiam continere, est omnium Doctorum communis sententia, At sola percussio quantumùis grauis, dummodò ex ea minimè mors sequatur, vel sanguinis effusio, locum sacrum, vel Ecclesiam non polluit.

Dicimus paritèr peccatum furti, quoad locum sacrum, triplicem habere respectum, primò, quandò quis furatur rem sacram de loco sacro. Secundò non sacram de loco sacro. Tertiò rem sacram de loco non sacro: ità Doctores suprà citati.

Sed quid de eo, qui in Ecclesia, diuitis existentis crumena furatur? Dicimus cum Soto in 4. sent. hìc, & alijs, huiusmòdi furtum sacrilegij malitiam minimè continere, quandoquidèm ipsa diuitis crumena in proposito casu omninò materialitèr extare videatur.

Diximus *omninò materialitèr*, quià si res licèt sacra non sit; sed sub tutela loci sacri posita fuit, vel eidem commodata, eò, quòd in ea festiuitas alicuius Sancti solemnizabatur, equidèm sacrilegium esset illam furari, vt firmare videtur Thomas Zerola in praxi pœnit. cap. 12. q. 17.

Quòd si occasione talis festiuitatis diues ipse, in Ecclesia prò se vnam posuerit sellam, alteramque Ecclesiæ commodauerit, surripiens diuitis sellam peccatum furti committeret. Secùs verò de altera Ecclesiæ commodata, quià vltrà furti peccatum, adhùc esset sacrilegium, ob interuenientiam, & iniuriam Ecclesiæ factam.

Addimus insupèr, furari rem sacram de loco sacro, aùt rem sacram de loco non sacro, esse sacrilegium; ità citati Doctores. Quid tandèm in præsenti nomine loci sacri intelligatur? Dicimus comprehendi totum ipsius Ecclesiæ ambitum interiorem, reliqua insupèr apùd Sanchez in præsenti quis pro sua commoditate videre poterit.

Quibus auxilijs. Hæc circumstantia explicanda est, tanquàm medium, quo quis ad peccandum vtitur, vel quià numerum multiplicat, vel speciem variat, quòd sæpè contingit tàm circà res, quàm circà personas, & sic talis circumstantia est manifestanda, quale medium, vel instrumentum sit specialitèr vetitum, vt si lata esset excommunicationis sententia contrà ferentes certum armorum genus. Hisque vsus pœnitens inimicum occidisset, talem cir-

circumstantiam in confessione exprimere teneretur.

Diximus paritèr, *quàm circà personas*, quòd intelligendum est huiusmòdi circumstantiam esse aperiendam, quandò pœnitens fuit causa inductiua, vt alius etiàm peccaret. Ratio est, quià cum tùnc noua malitia scandali interueniat, consequentèr multiplex est peccatum, secundùm tamèn personarum multiplicitatem, quæ, nimirùm, ad peccandum fuerint inductæ.

An huiosmòdi conclusio se extendat ad personas iàm paratas ad committendum illud peccatum, puta, quià sunt publicæ meretrices, omnibus expositæ ad meretricandum, nonnulli asserunt in hoc casu, minimè circumstantiam inductionis ad peccandum manifestandam esse, cò, quòd non videatur nouum peccatum, personam alioqui ad maleficium paratam inducere.

Alij verò contrarium defendunt, nàm licèt meretrices ex se sint ad fornicandum paratæ cum quocumque; nihilominùs hìc, & nùnc cum hæ fornicentur, homines sunt causa, qui ad peccatum inuitant. Sed nos superaddimus insupèr ex parte viri, non esse hanc circumstantiam aperiendam; quià prudens Confessarius ex diuersis contingentijs benè cognoscit virum fuisse, qui fœminam ad peccandum solicitauit. Si verò fœmina virum prouocaret ad culpam, circumstantiam inductionis explicare teneretur.

Cur, Hæc particula, significat esse finem exprimendum, quandò hìc finis actibus humanis nouam afferat speciem malitiæ, puta, si quis furetur ob committendum fornicationis peccatum, occidat inimicum, qui in mortali existit culpa, vt sub dæmonis potestate incidat. Aliquis ab Ecclesia extrahatur sinè Ecclesiastici superioris priuilegio, vt violentæ morti tradatur, effundatur sanguis, vel semen humanum, vt ipsa Ecclesia polluatur, de qua materia superiùs egimus.

Quamodò, Hoc verbum, denotat esse exprimendum modum, quo peccatum fuit consummatum, quandò, per talem

modum, vel speciem variatur, vèl culpa lethalis numero multiplicetur; huiusmòdi illatio exemplificari potest in eò, qui alium dolo, fraude, proditione, insidijs, vèl pecunijs ad hoc peragendum interficit.

Similitèr verificari potest in eo, qui occidit de industria, aùt casu, qui scientèr, vél per ignorantiam inuincibilem peccat, qui clàm alienum surripit, aùt manifestè, aùt alterì detrahit apertè, vel occultè, nec minùs hùc non nulli recentiores adhùc etiàm reuocant illud dubium de modo, cum Vxore concubendi, sed de hac materia, suo loco erit agendum.

Quando Hæc particula, siuè verbum, significat temporis circumstantiam esse confitendam, quandò, nimirùm, vel speciem mutat, vél peccatum superaddit, puta, si quis noctù celebret, vèl pòst meridiem, vél bis in eadem die, aùt carnem manducet pòst mediam noctem sequentis diei Veneris, aùt seruilia in die festo exerceat.

Séd quid (vt ad particulares deueniamus casus) dicendum de culpis, quæ diebus festiuis committuntur, puta, si quis die festo furetur, fornicetur, occidat? Putant non nulli hanc circumstantiam fore in confessione aperiendam, eò ducti fundamento, quià si dies festus, ad sui reuerentiam facit, vt sit culpa lethalis opus seruile exercere.

Ob eandem rationem á fortiori potest efficere, vt furtum, fornicatio, homicidium, blasphemia &c. prætér peccatum propriæ speciei aliud inducat inreuerentiæ, & contemptus in diem festum. Hoc enim confirmari poterit ratione, quià opera seruilia, etiàm aliquo modo possunt dici peccata, vt sentiunt S. Antoninus, Alensis, Medina, & alij.

Verior tamèn sententia negat circumstantiam diei festi ex se speciem mutare, & nouam addere malitiam peccato. Rursùs, quià peccare in die festo, non est directé facere contrà aliquod Ecclesiæ præceptum, & licét ipsa Ecclesia cultum diei festi præcipiat; nihilominùs Ecclesia designat

signat

signat materiam cultus præcepti, quæ est sacro interesse, & seruilibus non vacare. Peccatum non est opus seruile propriè corporale, sed tantùm methaphoricè est seruile.

Ex dictis infertur, quòd si lethalis culpa in hebdomada maiori committatur cuiuscunque fuerit speciei, non ob hanc temporis circumstantiam noua additur peccato species malitiæ, & sic posset in confessione illa circumstantia reticeri. Idem nonnulli dicunt de peccato commisso eadem die, qua quis communicauit, séd hæc resolutio intelligenda est in casu, quo circumstantia scandali non concurrat, quià alitér hoc dubium esset resoluendum.

Vnum solummodò Confessarijs totis visceribus aduertimus, quòd si aliquandò de huiusmòdi lethalibus culpis pænitentes se accusarent, ità, ac talitèr obiurgentur, vt imposterùm nunquám ampliùs similia peccata committant quandoquidèm negari minimè potest, quin magna sit irreuerentia ijs diebus, quibus Deo cultum, & honorem debeamus, ac famulatum præstare, eumdem inhonorare, & culpis lethalibus contemnere.

Nequé hìc prætermittere debemus formidabilem sententiam S. Leonis Papæ Serm. 4. de Quatrag. ibi. *Quamuis enim nulla sint tempora, quæ diuinis, non sint plena muneribus, & sempèr nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus. Nùnc tamèn omnium mentes maiori studio ad spirituales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat, vt excellens supèr omnia Passionis Dominicę Sacramentum, purificatis, & corporibus, & animis celebremus.*

SE-

SECTIO XII.

In quibus Casibus sit reiteranda Confessio.

QVæres primò, An sit reiteranda Confessio facta Sacerdoti, qui ob surditatem, vél somnum aliqua peccata, non percepit? Respondetur, duplicem adesse supér hoc quæsito sententiam, primam asserentem Confessionem fuisse inualidam, & propterea reiterandam. Ità Bonacina disput.5.q.5.sect.2.p.3.n.2.ibi.

Idem dicendum est, quandò pænitens Sacerdoti dormienti, aùt surdo, non audienti confessus est sua peccata. Hic enìm non censetur integrè confessus, séd perindè est, ac si confessus non fuisset. Citat multos Doctores, & communem opinionem appellat.

Non reiterandam firmat Layman lib.5.tract.6.cap.9. num.5.ibi. Si Confessarius ob surditatem, animi distractionem &c. peccata mortalia non intellexit, quià confessio, seù accusatio sui ipsius apùd Iudicem nulla est, nisi is intelligat. Veruntamèn, si pœnitens bona fide peccata aperuit, & culpa in solo Confessario resedit, arbitror, datam absolutionem validam, & fructuosam esse, quià essentia, & effectus Sacramenti pœnitentiæ consistere potest absquè integra, & specifica peccatorum explicatione, si ea siné vlla culpa pœnitentis &c.

Est iteranda Confessio subdit Henriquez in præsenti, quandò Confessarius non audiuit, vél non intellexit integrè pœnitentis confessionem, quià erat valdè ignorans, vèl omninò ignarus idiomatis, vèl distractione dormitabat, aùt surditate non audiebat, quæ confitebatur pœnitens, si tamèn ipse id non aduertens absolutus est, recipit fructum Sacramenti, nèc tenetur repetere, nisi ea peccata, quæ putat Sacerdotem non audiuisse.

Hu-

Huiusmòdi conclusio habet locum, quandò Confessarius non audiuit aliqua peccata, quià tùnc confessio tenet, & solùm illa peccata erunt in sequenti confessione exprimenda. Secùs verò si nullum prorsùs peccatum, vel ob idiomatis imperitiam, vèl ob grauem somnum, vel quid simile, Confessarius non audiuisset, quià in his, & similibus casibus, profectò tota Confessio tùnc est iteranda; quòd equidèm ex opinione Bonacinæ deduximus.

Quæres secundò, An sit repetenda Confessio rustici, qui ob ingenij ruditatem. Et inuincibilem ignorantiam, non confessus fuit in præteritis confessionibus peccata, nisi tantùm in genere, & non in numero, & specie, nequè de his Confessarius interrogauit?

Respondetur, quòd licèt Nauarrus negatiuam sustineat sententiam; nihilominùs Layman supra cit. nu. 3. in fine. Ait Interdùm tamèn si appareat magna hominis ruditas, Confessarius contentus esse debet de narratione peccatorum à proxima confessione commissorum, præcedentium autèm rudi aliqua cognitione, præsertim si aliorum pœnitentium copia adsit.

Et insupèr sequitur. Quandoquidèm rudis ille homo proptèr obligationis ignorantiam non crassam capax est absolutionis, vt suppono, Ad perfectiorem autèm dispositionem hic, & nùnc facilè adduci non potest. Ità Layman. cuius verbis vsi fuimus.

Quæres tertiò, An ex defectu doloris, vèl propositi, Confessio sit iteranda? Respondetur, Si pœnitens aduertat nullum elicuisse dolorem, minùsque propositum, vèl habuisse dolorem naturalem, & non requisitum supranaturalem, Confessionem necessariò esse iterandam (supponimus pœnitentem defecisse in Confessione præcedenti.)

Ratio est, quià nil potest consistere absquè sua parte essentiali, sèd dolor supernaturalis est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, vt dicit Trid. sess. 14. cap. 4. non solùm contritionem, verùm etiàm attritionem esse donum

Spi-

Spiritus Sancti. Ergò si dolor peccatorum, est tantùm merè temporalis non potest cum eo Sacramentum pœnitentiæ consistere, & sic dicimus, quòd si deficiat attritio supernaturalis, adhùc etiàm si existimetur adesse Sacramentum, est nullum, quià substantiali parte caret.

Quæres, Quomodò Confessiones sint iterandæ? Respondetur, quòd si pœnitens vnam fecit confessionem inualidam, & vigesiès deindè confessus fuerit. Si in singulis sequentibus confessionibus recordetur se inualidè semél fuisse confessum, itaùt existimet se totiès sacrilegium commisisse, quotiès pòst primam sacrilegam confessionem confessus est, omnes viginti confessiones repetere tenetur.

Si verò pòst primam inualidam Confessionem immemor dicti sacrilegij, ità confiteatur, ac si nunquàm aliquod peccatum in Confessione omisisset, illam tantùm sacrilegam Confessionem repetere teneretur, non verò alias, in quibus bona fide absolutionem recepit. Est communis omnium recensiorum sententia.

Aduertit tamèn in præsenti Bonacina, quòd si istæ Confessiones fierent apùd diuersum Confessarium, cui numquàm ampliùs pœnitens fuerit confessus singillatim omnia peccata recensere teneretur. Si verò eidem confiteatur Confessario, qui ipsa peccata priùs in Confessione audiuit, tùnc pœnitenti satis est dicere solùm in genere.

Confiteor tibi omnia peccata mea, quæ in alia confessione sacrilega tibi confessus fui, & insupèr pe catum sacrilegij, quòd in ea commisi. Sed hoc equidèm sempèr intelligendum erit in casu, quo Confessarius saltèm in confuso, tàm inualidæ confessionis, quàm etiàm status pœnitentis recordaretur aliàs ex integro confessio fiat.

Sêd quid, si Confessarius non recordetur status pœnitentis, & nihilominùs illum absoluat, esset nè valida ipsa absolutio? Layman in præsenti sic ait. Addo deniquè tamètsi Confessarius nequè status peccatoris generatim recordetur, séd id tantùm, quòd sibi confessus fuerit, eumque

que iàm rectè dispositum absoluat, peccatorem illum quidèm, cum non rectè suo munere in pœnitentia imponenda &c. fungi possit, nihilominùs absolutionem validam, & pœnitenti fructuosam fore.

Iacobus Granado in 3. p. de Sacr. contr. 7. tract. 9. disp. 12. num. 5. existimat, quòd si Confessarius nullo modò, recordetur status pœnitentis, nèc minùs pœnitentiæ à se impositæ, adhùc potest validè, & sic licitè pœnitentem absoluere, dummodò se accuset de peccato omisso in confessione præterita, & de peccato sacrilegij in ea commisso, & in genere se accuset de peccatis, quæ in eadem confessione aperuerat. Huiusmòdi conclusionem idem Author multis rationibus probat.

Quæres, An copula habita à fideli cum infidele sit explicanda circumstantia infidelitatis personæ complicis, puta, si Christianus rem haberet cum hæbrea, & è contrà? Respondetur, duplicem adesse sententiam, affirmatiuam primam, eò, quòd ab Ecclesia ob disparitatem cultus irritum matrimonium intèr has personas reddatur, & sic videtur adesse in huiusmòdi copula turpitudinem specie distinctam.

Alij verò sequentes negatiuam, fatentur huiusmòdi copulam, minimè habere diuersam speciem malitiæ à copula illicita habita intèr fideles, secundùm quam opinionem non esset hæc circumstantia in confessione sacramentali manifestanda, nihilominùs in praxi, firmamus primam, non verò secundam sententiam esse sequendam; immò omninò obseruandam.

Quæres, An iactans se de aliquo peccato, teneatur explicare speciem peccati de quo est iactantia? Respondetur, si iactantia non sit de peccato, quatenùs peccatum non est, sèd quatenùs in peccato est aliquid indifferens, cum in huiusmòdi casu iactantia non sit peccatum, non est necessarium speciem peccati manifestare, vt refert Sanchez lib. 1. in decalog. cap. 3. ibi.

Ità si quis laudet se, quòd vna nocte deciès e.g. fuerit fornicatus cum meretrice, & hoc non ex alio prauo fine, nisi, vt ostenderet suarum virium validitatem. Si in duello de generositate animi; si in furto de dexteritate se laudet, non erit in his iactantijs explicanda peccati species ob allatam rationem.

Si verò quis de peccato se iactat, & eius iactantia ad ipsummet peccatum terminetur, quià, ad fornicationem, duellum, furtum, &c. quatenùs peccata mortalia, tùnc dicit Sachez esse simúl etiàm manifestandam speciem peccati de quo fuit talis iactantia habita.

Alij verò dicunt speciem iactantiæ non esse explicandam; sèd satis esse, si fateatur. Gloriatus sum de peccato mortali totéis. Ratio est quià finis illius, qui se de peccato iactat quàtenùs peccatum, & assumere peccatum ipsum tanquàm medium ad suam gloriam ad quem finem materialitér se habet distinctio specifica peccati.

Quæres vltimò, An sit aperienda circumstantia durationis temporis, in quo quis perseuerat in actuali peccato? Respondet, Nauarrus in presenti, temporis durationem, non esse necessariò explicandam, in quantùm aggrauans est, docet tamèn, & benè, quandò fuerit nimia, explicari oportere, quià forsàn videtur vnum peccatum, & plura fuerunt, quorum numerus cum explicari commodè non possit, oportet durationem explicare.

SECTIO XIII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

QVæres, quæ sit forma huius Sacramenti? Respondetur, hanc esse. *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti*. Ratio est, quià forma in Sacramentis est illa, in qua significatur effectus Sacramenti; sèd

sèd hac forma *Absoluo te à peccatis tuis*, significatur effectus Sacramenti pœnitentiæ, idèst, absolutio peccatorum ergò &c. & insupèr quià pro huiusmòdi forma extat vsus Ecclesiæ, & perpetua traditio, vt habetur ex Tridentino Seff. 14. cap. 3. ibi.

Docet prætereà Sancta Synodus Sacramenti pœnitentię formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est in illis ministri verbis positam esse. Ego te absoluo, &c. quibus quidèm, de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabilitèr adiunguntur; ad ipsius tamèn formæ essentiam nequaquàm spectant, nequè ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.

Ex adnotatis verbis, colligunt communitèr Doctores, quòd duo solummodò sunt sufficientia, & necessaria, nimirùm, *Absoluo te*. Probatur, quià Tridentinum dicit, formam consistere in illis ministri verbis. *Ego te absoluo* nequè aliud addit; sèd pronomen *Ego*, benè inuoluitur in verbo *Absoluo*, ergò, *Absoluo te*, erunt verba necessaria, & sufficientia, ità Angelicus Doctor in præsenti communitèr receptus.

Aliæ verò orationes tàm antecedentes, quàm ad hanc formam consequentes minimé ad huiusmòdi Sacramenti validitatem esse necessarias, vt sunt *Misereatur tui, Indulgentia, auctoritate, vèl potestate mihi concessa, Passio Domini Nostri, &c.* quæ cum non sint necessarię; nequè de essentia formæ, minùsque de præcepto.

Quaré absque vlla culpa omitti poterunt, ex quacumque rationabili causa; puta, vt si mors immineret, vèl magna pœnitentium multitudo adesset, qui solummodò reconciliatione indigerent, ità communitér omnes. Vide. Filiuccium erunt.

Nequé de essentia formæ est necessaria inuocatio SS. Trinitatis, nimirùm, *In nomine Patris. & filij, & Spiritus Sancti*, quæ forma additur; quià hæc inuocatio solùm adhibenda est in ijs Sacramentis, in quibus fit protestatio fidei, vt est Baptismus, & Confirmatio. Vide Layman in præsenti.

Vbi licèt afferat hoc Sacramentum administrandum esse *cum inuocatione SS. Trinitatis, signo crucis, manus eleuatione &c.* nihilominùs aperté fatetur, hæc omnia esse ex Ecclesiæ consuetudine, quæ sub mortali, in rigore minimé obligat, & ex quacunque rationabili causa omitti possunt, vt supradiximus,

Minùsque verba, *à peccatis tuis*, esse necessaria ad formam essentialitèr; quiá huiusmòdi Sacramenti effectus satis per verba *Absoluo te*, significatur, quòd patet, nàm qui dicit simplicitèr *Absoluo te*, sufficientèr significat se à culpis absoluere, sicùti in humano iudicio benè quis absoluitur, etiàmsi explicitè delictum non exprimatur, ita cum Caietano, Nauarrus.

Nihilominùs nullo modo sunt huiusmòdi verba omittenda, quandoquidèm nulla poterit interuenire rationabilis causa, nisi in casu valdè raró, instantis, nimirùm, mortis, & similitèr, quià, cum contraria sententia sit etiàm probabilis, minister se periculo exponeret faciendi Sacramentum irritum; & fortiùs, quià in hac parte SS. DD. NN. PP. Innocentij XI. extat decretum, quòd aliàs descripsimus.

Licèt Paludanus, Medina, & Nauarrus apùd Layman in præsenti existiment absolutionem impendi posse etiám in scriptis, eò, quòd cum hoc Sacramentum sit institutum per modum iudicij, sicùti in alijs iudicijs quis validè potest absolui per sententiam inscriptis, ità etiàm in huiusmòdi Sacramento.

Hoc tamén dici minimè debet, quià forma huius Sacramenti propriè in verbis consistit, & quamuìs sit institutum per modum iudicij, non tamèn habet omnes iudicij forensis conditiones, quòd patet, quià in hoc, reo non creditur, sicùti creditur in foro pœnitentiæ, vt habetur ex Conc. Florentino, & Tridentino Sess. 14. cap. 5. ibi.

Quià Dominus Noster Iesus Christus è terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquàm præsides,

des, & indices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christifideles ceciderint, qui prò potestate clauium, remissionis, aùt retentionis peccatorum sententiam pronuncient.

Constat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aquitatem quidèm illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxàt, & non potiùs in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.

Quòd verò spectat ad formæ mutationem, attendenda sunt, quæ diximus, de formis Sacramentorum in genere, idèst, quandò per mutationem sensus formæ, non destruitur, sèd eumdem in æquiualenti retinet, valori ipsius minimè nocere, & è contra, si illa mutatio in æquiualenti eumdem sensum non retineat, Sacramentum inualidum redderetur.

Nèc substantiam mutat, neque sensum formæ destruit, qui dicit. *Gratia auctoritatis nostra absoluimus, Absoluo vestram dominationem, maiestatem, &c.* Similitèr valida erit forma, si vrgente aliqua necessitate, sèd graui, plures simùl Sacerdos absoluat dicens *ego vos absoluo, ego remitto tibi peccata sua, Condono tibi peccata tua*: hoc enim desumitur ex Christi Verbis. *Quorum remisseritis peccata, &c.* & hæc forma valida videtur *Ego absoluo Paulum à peccatis*, dummodò ipse peccator sit præsens. Secùs verò si dicatur. *Tu absolueris à me, Paulus absoluitur à me, &c.*

Accidere etiàm potest mutatio substantialis in hac forma. *Absoluat te Deus*, si modo deprecatiuo ipsa proferatur, quià in ea, non significatur actio absoluentis, quæ necessariò requiritur, vt diximus, de forma Baptismi, sèd solùm effectus deprecantis. Non autèm si impetratiuè, quià licèt tùnc non exprimatur explicitè forma à ministro prolata, ex ipso tamèn loquendi modo satis ea significatur, nàm, qui imperat eò ipso videtur suæ actioni auctoritatem præstare.

Neque forma esset valida si verba pronunciarentur in sensu optatiuo e.g. *vtinam absoluaris*, quià per optatiuum non significatur effectus, sèd potiùs affectus optantis, quià sicùti

Vbi licèt afferat hoc Sacramentum administrandum esse *cum inuocatione* SS. *Trinitatis, signo crucis, manus eleuatione &c.* nihilominùs aperté fatetur, hæc omnia esse ex Ecclesiæ consuetudine, quæ sub mortali, in rigore minimé obligat, & ex quacunque rationabili causa omitti possunt, vt supradiximus,

Minùsque verba, *à peccatis tuis*, esse necessaria ad formam essentialitèr; quiá huiusmòdi Sacramenti effectus satis per verba *Absoluo te*, significatur, quòd patet, nàm qui dicit simplicitèr *Absoluo te*, sufficientèr significat se à culpis absoluere, sicùti in humano iudicio benè quis absoluitur, etiàmsi explicitè delictum non exprimatur, ita cum Caietano, Nauarrus.

Nihilominùs nullo modo sunt huiusmòdi verba omittenda, quandoquidèm nulla poterit interuenire rationabilis causa, nisi in casu valdè rarò, instantis, nimirùm, mortis, & similitèr, quià, cum contraria sententia sit etiàm probabilis, minister se periculo exponeret faciendi Sacramentum irritum; & fortiùs, quià in hac parte SS.DD.NN. PP. Innocentij XI. extat decretum, quòd aliàs descripsimus.

Licèt Paludanus, Medina, & Nauarrus apùd Layman in præsenti existiment absolutionem impendi posse etiám in scriptis, eò, quòd cum hoc Sacramentum sit institutum per modum iudicij, sicùti in alijs iudicijs quis validè potest absolui per sententiam inscriptis, ità etiàm in huiusmòdi Sacramento.

Hoc tamén dici minimè debet, quià forma huius Sacramenti propriè in verbis consistit, & quamuìs sit institutum per modum iudicij, non tamèn habet omnes iudicij forensis conditiones, quòd patet, quià in hoc, reo non creditur, sicùti creditur in foro pœnitentiæ, vt habetur ex Conc. Florentino, & Tridentino Sess. 14. cap. 5. ibi.

Quià Dominus Noster Iesus Christus è terris ascensurus ad Cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquàm præsides,

des, & indices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christifideles ceciderint, qui prò potestate clauium, remissionis, aùt retentionis peccatorum sententiam pronuncient.

Constat enìm Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aquitatem quidèm illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxàt, & non potiùs in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.

Quòd verò spectat ad formæ mutationem, attendenda sunt, quæ diximus, de formis Sacramentorum in genere, idèst, quandò per mutationem sensus formæ, non destruitur, sèd eumdem in æquiualenti retinet, valori ipsius minimè nocere, & è contra, si illa mutatio in æquiualenti eumdem sensum non retineat, Sacramentum inualidum redderetur.

Néc substantiam mutat, neque sensum formæ destruit, qui dicit. *Gratia auctoritatis nostra absoluimus, Absoluo vestram dominationem, maiestatem, &c.* Similitèr valida erit forma, si vrgente aliqua necessitate, sèd graui, plures simùl Sacerdos absoluat dicens *ego vos absoluo, ego remitto tibi peccata sua, Condono tibi peccata tua:* hoc enim desumitur ex Christi Verbis. *Quorum remisseritis peccata, &c.* & hæc forma valida videtur *Ego absoluo Paulum à peccatis*, dummodò ipse peccator sit præsens. Secùs verò si dicatur. *Tu àbsolueris à me, Paulus absoluitur à me, &c.*

Accidere etiàm potest mutatio substantialis in hac forma. *Absoluat te Deus*, si modo deprecatiuo ipsa proferatur, quià in ea, non significatur actio absoluentis, quæ necessariò requiritur, vt diximus, de forma Baptismi, sèd solùm effectus deprecantis. Non autèm si impetratiuè, quià licèt tùnc non exprimatur explicitè forma à ministro prolata, ex ipso tamèn loquendi modo satis ea significatur, nàm, qui imperat eò ipso videtur suæ actioni auctoritatem præstare.

Nequé forma esset valida si verba pronunciarentur in sensu optatiuo e.g. *vtinam absoluaris*, quià per optatiuum non significatur effectus, sèd potiùs affectus optantis, quià sicùti

sicuti in iudicio, non sufficit ferre sententiam modo optatiuo, ità neque satis erit in Sacramento pęnitentiæ, formam absolutionis optatiuo modo proferre ità S. Thom. 3. p.q.84.ar.3. à Bonacina in pręsenti relatus.

Quæres; An validè absolutio impendi possit absenti? Affirmatiuam docuerunt sententiam multi, & graues Theologi, quos intrà Medina C. de Confes. tract. 2. q. 15. §.4. dicit si peccator non potest Confessorem adire, néc eum ad se accersere, probabile est, posse per internuntium, & per literas absenti confiteri, & ab eodem per literas Sacramentalitèr absolui, &c.

Quód autèm Christus præceperit leprosis, vt se personalitèr Sacerdotibus præsentarent, non obstat, quià ex illo colligitur præceptum esse peccatoribus se præsentare Sacerdoti, sèd quandò possunt. Non enìm præceptum ad impossibile obligat igitùr quandò non possunt, nil videtur obstare, quominùs per scriptum se Sacerdoti præsentent hactenùs Medina.

Sèd his non obstantibus absoluté dicendum est, nullo modo posse in praxi hanc doctrinam deduci, eò, quià obstat Constitutio s. m. Clementis VIII. qui eam damnauit tanquàm falsam, temerariam, & scandalosam Præcepit insupér sub pęna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & sibi absolutionem reseruauit, né deincèps dicta propositio publicis, priuatisque concionibus, & congressibus doceatur, neuè vnquàm, tanquàm aliquo casu, probabilis defendatur, imprimatur, aùt ad praxim quouis modo deducatur.

Quæres, an possit impendi absolutio sub conditione? Respondetur quod potest dari sub conditione de pręterito, vel de præsenti, quià his modis collata conditio non suspendit actum in futurum, sèd extante huiusmòdi conditione illicò ponitur Sacramenti effectus, & per consequens si non extat nequaquàm ponitur, & sic istæ duæ non sunt propriè conditiones.

Con-

Confirmatur ex Nauarro cap.26.n.12. ibi Quamuis posset ferre, sub conditione de præterito, quæ actum non suspendit *l.cum ad præsens ff si cert pet.* veluti dicendo, *si fecisti aùt præstitisti talem rem ego te absoluo*, vti dicitur cum dubitatur de Baptismo *si tu non es Baptizatus ego te baptizo*.

Sùb eisdem conditionibus est absoluendus pænitens, quandò dubitatur de ipsius vsu rationis, puta, si puer sit, aùt semiamens, An ea de quibus pœnitens se accusat sint peccata; séd tùnc meliùs esset curare, vt aliquod peccatum saltèm veniale præteritæ vitæ diceret. Quandò insùper sacerdos dubitat, an completè absolutionem protulerit, & sic in omnibus his & similibus casibus, non est conditio ore proferenda, né pænitens perturbetur, & scandalizaretur. Satis igitùr erit si tantùm mente concipiatur, omnes communitér.

Nunquàm tamén licitum est sub conditione de futurò absolutionem impendere, puta, si Confessarius dicat. *Ego te absoluo si cras restitues. Ego te absoluam si hoc, vel illud feceris, siuè compleueris.* Ratio est, quià non est in potestate ministri Sacramenti effectum suspendere, & fortiùs, quià tùnc dùm absolutio prefertur suum non sortiretur effectum, cum absit intentio ministri absoluentis, nèc minùs eumdem causaret inposterùm, cum eo tempore non existat materia, nèc forma, & sic Sacramentum ex quacumque parte nullum redderetur. Nauarr.

Quæres, an Confessio iterari possit? Respondetur negatiuè. Probatur paritate, quià sicùti in Sacramento Baptismi non potest repeti forma; itá in alijs Sacramentis, & minùs supèr eadem absolutione debet repeti forma, quòd est paritèr dicere, supér eadem confessione iterùm absolutionem proferre, quià ipsa absolutio suprà nullam materiam caderet.

Si eorumdem peccatorum noua fiat confessio, vèl absque dolore, & proposito, vt nonnulli dixerunt, vèl cum nouo dolore, & proposito, vt nos alibi firmauimus, supèr peccata aliàs remissa, absolutio repeti poterit. Probatur, quià

quià vſus Eccleſiæ minimè improbat confeſſiones generales, in quibus peccata iàm dimiſſa,iterùm abſoluuntur, eo, quòd denuò clauibus Eccleſiæ ſubijciuntur, & confeſſio locum tenet materiæ proximæ in hoc Sacramento. Vndè ſicùti quis ſæpiùs eadem peccata confiteri poteſt,ità pluriès ab eiſdem abſolui, vt patet ex dictis.

Prò noſtræ aſſertionis firmitate, adducimus Bonacinam in præſenti diſp.5.q.4.p.4.n.1. ibi. In diſtinctis confeſſionibus validè, & licitè iterari poteſt abſolutio ſupèr ijſdem peccatis ſemèl ritè confeſſis. Ratio eſt, quià tùm ex vſu Eccleſiæ conſtat confeſſiones generales; quibus peccata ritè confeſſa denuò ſubijciuntur Sacramento pænitentiæ laudari, & approbari, tùm quià, poſſumus de eiſdem peccatis ſæpiùs contritionem habere, ergò poſſumus etiàm eadem peccata ſępiùs confiteri, & abſolutionem obtinere: tùm quià ex huiuſmòdi confeſſione maior quies, & ſerenitas conſcientiæ ſequitur, maior gratia per nouam Sacramenti receptionem acquiritur, & peccata in futurum faciliùs præcauentur.

Quapropter in extrauaganti communi *intèr cunctas*, habetur huiuſmòdi confeſſiones ſalubres eſſe, tùm, quià poſita materia remota, & noua materia proxima, poteſt etiàm poni noua forma; Sèd quandò fiunt diuerſæ Confeſſiones eorumdem peccatorum, ponitur materia remota, & noua materia proxima, idèſt, & noua Confeſſio, & noua attritio, vt ſuppono, ergò, quandò fiunt diuersè confeſſiones eorumdem peccatorum, poteſt poni noua forma, conſequentèr abſolutio circà eadem peccata poteſt iterari in diſtinctis Confeſſionibus.

Dixi in diſtinctis Confeſſionibus, vt aduerterem formam abſolutionis, non poſſe abſquè peccato Sacrilegij in eadem confeſſione iterari. Ratio eſt, quià ſupèr eadem materia proxima, non poteſt iterari forma, fruſtrà enìm iteraretur, ſicùti ſupèr hoſtia iàm conſecrata, non licet repetere formam conſecrationis, & ſupèr eadem ablutione non licet

cet repetere formam Baptiſmi, &c. ergò non licet Sacerdoti ſupèr peccatis ſemél confeſſis repetere abſolutionem in eadem confeſſione, quæ eſt materia proxima, niſi pænitens nouam materiam primò ſubijciat, & noua peccata ſubiungat ſeù, niſi repetat peccata aùt ſe iterùm ſaltèm in genere accuſet de peccatis anteà dictis, addito nouo doloris actu, hactenùs Bonacina.

Nequè hìc eſt Reginaldi prætereundũ documentum, nimirùm, non paſsìm id eſſe faciendum, ideòque prudentis Confeſſarij iudicio eſt remittendum, & maximè ſi quis inquieta cogitatione, & ſcrupuloſa conſcientia ſępiùs faceret, & vellet frequentèr eadem peccata confiteri, non ſinè Confeſſarij moleſtia, & ipſius pœnitentis detrimento, & ideò aliquandò minimé erit abſoluendus, aút ſaltèm audiendus.

SECTIO XIV.

De Satisfactione Sacramentali.

QVæres, primò, Quid ſit ſatisfactio Sacramentalis? Reſpondetur, *eſt compenſatio pænæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, conſiſtens in operibus pænalibus, & laborioſis à Confeſſario taxatis.*

Dicitur *Compenſatio*, quià pœnitentia imponitur prò ſatisfactione pænæ temporalis, in quam pòſt condonatam culpam fuit commutata pæna æterna peccato mortali debita. Dicitur, *ob iniuriam*, &c. quià cum Deus ſit culpis offenſus à peccatore, ideò eſt dignus aliqua pæna, in cuius ſatisfactionem imponitur in Confeſsione pęnitentia. Dicitur, *in operibus pænalibus*, &c. quià opera pænalia, quæ talia non ſunt, non debent pænitenti iniungi; sèd tantùm pænalia, vt diximus, omnes, &c.

Quæres Secundò, An ſatisfactio ſit pars eſſentialis huius Sacramenti, an verò integralis? Reſpondetur, non eſſen-

tialem; sèd integralem esse. Quòd non sit pars essentialis. Probatur, quià hoc Sacramentum suum confert effectum primarium, idèst, gratiam iustificantem; antequàm satisfactio compleatur ergò satisfactio non est pars essentialis huius Sacramenti. Et fortiùs, quià etiàm si Sacerdos nullam imponat peccatori pęnitentiam, vèl ex propria malitia, vèl ex inaduertentia, dummodò ad hoc pęnitens temerè non concurrat, adhùc Sacramentum subsistit; quòd inualidum esset, si satisfactio, vt eius pars essentialis requireretur.

Quòd verò sit pars integralis. Probatur quià cum hoc Sacramentum sit institutum, per modum iudicij forensis, vt pluriès, in diuersis locis, firmauimus, in quolibet iudicio, in quo iustitia vindicatiua exercetur, debet offensori pro iniuriæ satisfactione imponi ad formam legalem, pęna; ità etiàm à pari in huiusmòdi Sacramento pęnitentiæ hoc idem proportionalitér est seruandum.

Posito quòd sit peccatori à Confessario (iuxtà adnotata) iniugenda pęna, nùnc quæri potest in qua mensura sit pęnitentia imponenda? Respondetur, quòd in hoc certa regula determinari minimè potest, quià non est in Confessarij arbitrio leuem, aùt grauem pęnitentiam, proùt ipse voluerit, imponere. Sèd tenetur talem iniungere, quæ quóad fieri potest peccatorum grauitati correspondere debeat.

Cum ènim sit Iudex, ac mediator intèr Deum, & hominem, consequentèr si prò leuibus culpis grauem imponeret pęnam, iniuriam ipsi pęnitenti manifestam faceret, & è contrà si prò grauibus peccatis leuem imponeret, iniuriam Deo Optimo Maximo faceret; vt ex verbis Concilij Tridentini aliàs adnotatis apertè colligitur.

Quod tamén firmauimus, non ità rigorosè, & strictè intelligendum est, vt aliquandò latitudinem, & extensiuitatem minimè habeat, & quòd nunquàm Sacerdoti licitum fuerit prò grauibus culpis pęnitentiam minuere quandoquidèm habeatur ex Concilio Tridentino suprà citato, ibi. *Pœnitentium facultate.*

Ex

Ex quo S. Angelicus Doctor, & alij ferè omnes, quem ipsi sequuntur firmant, quòd aliquandò debet Confessarius juxtà prudentiæ regulas fragilitati, & imbecillitati pœnitentis sese accommodare. Vndè si verisimilitèr aduerteret pœnitentem grauem non impleturum pœnitentiam, licèt culpis correspondentem, est ab ipso minuenda, & talis imponenda, licèt leuis, quæ dispositione pœnitentis accommodetur. Nauar.

Ad huiusmòdi propositum adduci hic poterunt verba Ioannis Gersonis, nimirùm, *Tutiùs est cum parua pœnitentia, quæ spontè suscipitur, & verisimilitèr adimpletur ducere confessos ad Purgatorium; quàm cum magna, non adimpleta ducere ad infernum*.

Et sìc addimus ex diuersis Doctoribus, quòd si pœnitens præ imbecillitate, & torpore spiritus, vel corporis, condignam minimè impleturus pœnitentiã videatur, eidem talis est iniungenda, quam ipse libentèr admittit etiàm si esset *vnum Pater noster, & Aue Maria*, vel aliundè modicum.

Admonendus autèm est pœnitens de huiusmòdi indulgentia, nè ob pœnitentiæ leuitatem, peccatorum prauitatem parui faciat. Immò aduertit Nauarrus, quòd si deiectio, & pœnitentis desperatio ex tali declaratione timeretur, esset ab ea abstinendum, & potiùs adhibita cohortatione, suadendum, vt pœnitens proponere velit, se in hac, vel alia vita prò suis culpis Deo adęquatè satisfacturum.

Quæres, qualisnàm pœnitentia sit peccatori imponenda? Respondetur primò, minimè esse cum præiudicio tertij imponendum, puta, magna ieiunia, vel seruo, Domino suo, actu seruienti peregrinationem iniungere. Nequè prò peccato occulto, publicam pœnitentiam, vt non detur alijs occasio suspicandi pœnitentem enormia perpetrasse peccata. Immò Nauarrus acritèr repręhendit Confessarios, qui ieiunia, & alia opera, quænam à do-

rusticis impleri nequeunt, postmodùm exequenda, in confessione iniungunt.

Quòd verò diximus, præsertìm verificari possunt in pueris, & puellis, quandoquidèm domestici sibi persuadeant huiusmòdi opera ab his sponté, & propria voluntate minimè suscipi, & consequentér statìm suspicarentur id esse onus à Confessario impositum, & propterea à pœnitente graue fuisse peccatum commissum, & ità præter suæ bonæ opinionis iacturam, cum hoc modo faciat apùd domesticos; adhùc Confessarius (licèt indirectè) succumberet periculo fractionis sigilli, & non minùs pœnitens implicitè suam confessionem propalaret.

Minùsque est imponenda inutilis pœnitentia, puta, *si pauperculo notabilis præcipiatur eleemosyna; In negotijs occupato, prolixa orationes; rustico laboranti, crebra ieiunia &c.* In pœnitentia iniungenda sempèr est habenda ratio qualitatis personæ, & virium, non solùm temporalium; verùm etiàm spiritualium, vt Confessarius congruentem medicinam pœnitenti præscribere possit. Est communis.

Opera pœnalia, siuè pœnitentiæ, quæ regularitèr loquendo, pœnitentibus communitèr, imponuntur, & à Confessarijs prudentibus obseruantur, sunt ieiunia, eleemosynæ, peregrinationes, orationes, tàm vocales, quàm mentales, & alia huiusmòdi, quæ verè sunt afflictiua. Vide in præsenti Bonacinam.

Instabis, an pro pœnitentia imponi possit opus, aliàs præceptum, puta, *ieiunare diebus quadragesimalibus, die dominico audire sacrum, Sacerdoti horas Canonicas &c.* nonnulli affirmatiuè, respondent, intèr quos Layman lib. 5. tract. 6. cap. 15. nu. 10. ait. Deindè magis conuenit opus, quód à Confessario præcipitur, esse supererogationis, & non positum in præcepto, nè pœnitenti nouam obligationem, ac difficultatem afferat &c. excepto, si ex verbis confessarij, vel rei circumstantijs contrarium colligi possit, puta, si Confessarius præcipiat, quæ in præcepto,

est,

est, etiám comprehendere velle.

Sèd clariùs Fagundez de 2. præcep. ecc. lib. 9. cap. 5. num. 8. ibi. Quartum dubium est &c. Nihilominùs tamèn Confessarij opera, etiàm ex præcepto, vel voto debita, possunt in satisfactionem pœnarum imponere, cum illa bona sint, & possint virtute clauium ad effectum remissionis pœnæ temporalis, quæ remanet culpa dimissa eleuari, & in idem opus possint cadere diuersæ obligationes, & sæpè hoc expedit proptér hominum fragilitatem &c. si tamén Confessarius pœnitenti imponat, vt diebus festis Missam audiat, addat, vt illam audiat genuflexo, si ieiunium eadem die debitum, addat, vt vinum non bibat, nisi semél, & modicum, vel quid simile.

Quæres, an aliquandò impositam pœnitentiam liceat Confessario absolutè tollere, vel saltèm minuere, & permutare? Respondetur Confessarium propria auctoritate nequaquàm posse pœnitentiā mutare in aliud opus prorsùs diuersum ab eo, quod fuerat eidem impositū, ab eodemmet Confessario. Ratio est, quià, sicùti res à superiore præcepta nullo modo potest à subdito in aliam diuersam mutari, ità nèc pœnitentia, ad quam ex præcepto obligatur pœnitens, & Confessarij præcepto. Afferunt nihilominùs nonnulli, quòd sicùti vouens, potest mutare sua auctoritate rem promissam in æquiualentem, vel in meliorem, ità poterit pœnitens.

Multùm enìm distat vna, ab altera propositio descripta; & sic magna intèr vtramque est dispar ratio, quandoquidèm de essentia voti est, vt sit promissio facta Deo de bono meliori, ergò quotiescumque materia votiua in meliorem permutatur, in huiusmòdi permutatione omninò ipsius essentia voti perficitur, quòd minimè dici potest in casu proposito, quià de essentia præcepti est, vt fiat res præcepta in indiuiduo. Vndè si res præcepta, in aliam mutetur diuersam, licèt in meliorem, vel saltèm æquiualentem, minimè substantia præcepti retineretur.

Asse-

Asserimus tamèn, quemlibet Confessarium supèr peccata parem habentem iurisdictionem, iterata eorum peccatorum confessione, quamcumque pœnitentiam in prioribus Confessionibus ab alijs impositam, posse minuere, vel in aliam similem mutare; ac etiàm omninò tollere; dummodò hoc exigat ratio, & non minùs pœnitentis conditio.

Probatur, quià hoc non est reuocare sententiam in alia confessione latam; sed potiùs nouum iudicium instituere, nouamque sententiam ferre, sicùti pœnitens eadem peccata aliàs ritè confessa, iterùm Confessario insinuanda exponit, & pro noua materia confessioni affert, vt fatetur Nauarrus in præsenti.

Addimus insupèr, quòd si proprius pænitentis Confessarius sui status memoriam retineat, tùnc si vnus adhùc elapsus fuerit dies, poterit hic Confessarius pœnitentiam à se hesterno die impositam mutare, non repetita confessione iàm facta. Ratio est, quià illa pœnitentiæ mutatio ob temporis paruitatem in casu nostro, reputatur facta in eadem confessione, & moralitèr habetur pró vno, & eodem iudicio actu confessio præhabita, & pœnitentiæ mutatio pòst sequentem diem.

Ampliatur etiàm nostra conclusio, si alteri Sacerdoti non proprio confiteatur pœnitens, minimè esset iteranda confessio peccatorum in particulari exactè secundùm speciem, & numerum; sed satis erit peccatorum confessio in confuso, vt docet Nauarrus, & subdit prudentem Confessarium imponere posse aliam commensuratam pænitentiam priori, absquè peccatorum cognitione distincta prò quibus illa imposita fuit.

Vndè hìc videtur cessare illa grauis difficultas in huiusmòdi sententia, quam sibi fingunt multi recentiores existimantes magnum, & grauissimum pondus esse ad iterandam nouam confessionem, pœnitentem obligare, cum ex sola notitia commutandæ pœnitentiæ, regularitèr loquen-

quendo, Confessarius venire possit in cognitionem peccatorum, prò quibus fuit iàm illa imposita.

Dicimus deniquè, esse probabilem sententiam, imò in praxi tutam, ad commutandam pœnitentiam, minimè oportere iterùm, peccata Sacramentalitèr confiteri, neque tùnc opus est peccata repetere, vt firmat Layman loc. cit. n. 16. ibi. Pœnitentia semèl iniuncta non tantùm à Superiore, sed etiàm ab æquali, vel inferiore Sacerdote, iusta de causa, in aliam etiàm minorem commutari potest, si pœnitenti ad animæ salutem ità expedire videatur, & peccata reseruata non sint, est communis. Vide Syluestrum verb. confessio q. 27. &c.

Quæres vltimò, qualisnàm sit obligatio pœnitentis tàm in acceptanda, quàm in adimplenda pœnitentia? Respondetur teneri pœnitentem, simplicitèr loquendo, pœnitentiam à Confessario impositam acceptare, & acceptatam implere. Contrà multos recentiores, qui pòst Tridentinum scripserunt, existimantes posse pœnitentem recusare pœnitentiam à Confessario imponendam, illamque prò suis culpis in purgantibus flammis luere velle. Ex quo sequeretur Confessarium minimè posse huiusmòdi pœnitentem, modo prædicto, nolentem pœnitentiam acceptare, nèc etiàm minimam, inabsolutum dimittere eò, quià in hoc, & in rigore nulla ratio peccati mortalis deprehendi valeat.

Sèd quamuis hæc sententia aliquibus probabilis videatur; nihilominùs contraria alijs visa est certa. Probatur; quià sicùti Confessarius, vt iudex potest obligare pœnitentem, vt impleat satisfactionem impositam; ità è contrà pœnitens sub mortali peccato, Confessario obedire tenetur. Bonacina cum multis innumeris. Nèc dicatur, quòd pœnitens possit sibi reseruare pœnitentiam in Purgatorio luendam, quià peccator iudicio fori Sacramentalis se subiecit, & sìc potest à Confessario, vti Iudice cogi, vt prò suis culpis satisfaciat, quas equidèm in

hac

hac vita clauibus submisit. Est communis.

Et licèt speculatiuè loquendo contraria sententia videri possit probabilis, & iuxtà illam non sit deneganda absolutio pœnitenti; In praxi tamèn illa non videtur tuta, quandoquidèm esset nimia præsumptio contrà huiusmòdi pœnitentem, nimirùm, non esse ritè dispositum ad recipiendam absolutionem, qui pro enormibus culpis, recusset apertè acceptare prò pœnitentia, *neque recitationem Dominicam, vel saltìm Angelicam*. Quis nàm credere potest hunc ad confessionem accedere, animo humiliato, & corde verè contrito?

Circà secundam partem nostri quæsiti, scilicèt, quandò sit mortalis omissio pœnitentiæ, grauis, vel leuis. Dicimus, si ob peccata lethalia nunquàm dimissa leuis imponatur pœnitentia, valdè probabilis est sententia, pœnitentem sub mortali ad eam adimplendam, nequè teneri; quià non potest leuis materia secundùm se accepta, grauis culpæ obligationem fundare; ergò nequè leuis pœnitentia à Confessario poterit imponi sub grauis culpæ reatu etiàm prò peccatorum mortalium satisfactione. Ità multi recentiores.

Contrarium tamèn defendit Fagundez existimans pœnitentiam leuem prò mortalibus impositam, esse sub mortali adimplendam; si talis esset intentio Confessarij, pœnitenti manifestata, quià hæc obligatio ex Iudicis intentione talem efficaciam habere potest, sicùti vouens rem minimam, si velit exprefsè sub mortali ad eam se obligare, profectò sub mortali tenebitur ad votum, vt ipse putat.

Hoc tamèn minimè prouenit ex ratione materiæ, quæ verè leuis est; sèd ratione intentionis vouentis. Additur insupèr, quòd quandò nèc vouens, nequè Confessarius huiusmòdi obligationem exprefsè sub mortali, vel sibi, vel pœnitenti imponit, nullo modo hæc grauis obligatio præsumenda erit; prima sententia est probabilior, immò in praxi tuta.

Quoàd

Quoàd tertiam partem nostræ conclusionis, siuè quæsiti, nimirùm, circà tempus præstandæ pœnitentiæ. Dicimus, quòd si Confessarius illud expressè determinet, intrà idem tempus erit pœnitentia adimplenda; alioqui lethalitèr peccaret, qui nimirùm eam differret, faceret enim in re graui contrà obligationem; modò pœnitentia notabilis esset, & prò grauibus culpis imposita, iuxtà firmata; ità in præsenti Bonacina, & alij apùd ipsum.

Quòd verò hucùsque dictum est, intelligendum erit in eo solummòdò casu, in quo Confessarius expressè pœnitenti diceret, se eum sub mortali obligare ad pœnitentiam implendam intrà præfixum tempus, quòd si hoc Confessarius minimè exprimat, nullo modo, huiusmòdi obligatio erit præsumenda. Quarè, regularitèr loquendo, rarò casus iste contingere poterit, ob pœnitentiam non adimpletam tempore determinato, & quòd peccatum mortale committatur.

In casu tamèn, quo esset sub mortali intrà tempus præfixum pœnitentia adimplenda, si tempus illùd dilabatur non propterea satisfactionis adimplendæ obligatio cessabit. Quià tempus non præsumitur appositum à Confessario ad finiendam, sed potiùs ad solicitandam, & exequendam obligationem, & licèt possit aliquandò imponi pœnitenti, quòd singulis Dominicis diebus audiat duo sacra, aùt singulis solemnioribus festiuitatibus, confiteatur, & communicet &c. non videtur tamèn regularitèr loquendo, vt eo temporé elapso, talis obligatio extinguatur.

Causa finalis, & primaria, quam respicit Confessarius in huiusmódi pænitentijs imponendis huic, vel illi tempori affixis, non solet eò tendere, vt primò, & principalitèr pœnitentem obliget ad eas exequendas ob cultum, & reuerentiam circà tales Sanctos; sed, vt dictis pœnitentijs exhibeat Deo, pœnitens prò suis peccatis satisfactionem, qui finis, cum nulli alligetur tempori sempèr manet, & sic etiàm talis obligatio ob eumdem finem im-

posita adhùc tempore præfixo durat.

In casu, quo Confessarius nullum præfigat tempus adimplendæ pœnitentiæ, ad eam quamprimùm commodè potest omninò tenetur, itaùt si diù differat in hoc casu poterit esse lethalis culpa. Existimant tamèn nonnulli recentiores spatium indeterminati temporis, esse vnum integrum annum, intrà quem, si pœnitens satisfaciat, non peccabit; sed Bonacina asserit id prudentis Confessarij iudicio esse prorsùs relinquendum.

Vnumque prò praxi hìc aduertendum est, nimirùm, vix committi mortale peccatum, regularitèr loquendo, ob pænitentiæ dilationem. Raró namquè pœnitentes, cum pœnitentiam differunt, licèt ad notabile tempus, existimant, se in hoc lethalitèr delinquere, vt in dies communis praxis demonstrat.

Dicimus insupèr, quód quamuis pœnitens indulgentiam plenariam consequatur, adhùc tenetur pœnitentiam sibi iniunctam adimplere, siuè ea sit verè pænalis, & satisfactoria, siuè medicinalis, & præseruatiua.

Quoàd huiusmòdi pœnitentiam præseruatiuam, & medicinalem omnes id ferè affirmant, quià adhùc adepta indulgentia, finis restat, ob quam fuit pænitentia medicinalis imposita, cui reuerà est sanctitas animæ; ergò sicùti finis per indulgentiam non cessat, ità nequè medium ad eum ordinatum.

Si verò pœnitentia est merè pænalis, & satisfactoria, tùnc minimè desunt, qui velint, quòd pœnitens indulgentiā consequatur suæ obligationi proportionatam, & sìc deindè liber erit ab adimplenda pœnitentia, & hoc, quià, cum tota illa pœnitentia fuerit imposita prò satisfactione pœnæ temporalis, hac remissione obtenta, per indulgentiam, pœnitens suæ obligationi abundè satisfecit.

Quarè ad nihil ampliùs tenetur, vt patet ex cap. cum ex eodem de pœnitentiis, ibi. *Per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam &c. pænitentialis satisfactio eneruatur.*

uatur. Ex quo sensu apposito infertur, quòd si indulgentia sit discreta, relaxatur sacramentalis satisfactio.

Quæres, quænam sit differentia inter pœnitentiam tàm in peccato mortali, quàm in gratia adimplere? Respondetur, pœnitentem in culpa lethali pœnitentiam implentem, tàm integritati Sacramenti, quàm obligationi à Confessario impositæ, satisfacere.

Ratio est, quià, in præceptis humanis, quale, hoc est, solùm præcipitur opus faciendum, secundùm substantiam, non verò secundùm modum; ergò si pœnitens adimpleat substantiam præcepti, satisfacit obligationi, siué pœnitens sit in gratia, siué illa careat, quià hoc pertinet ad modum, vt diximus. Omnes communitèr.

Pœnitentia completa in culpa lethali prò eo statu, minimè effectum habet remissionis pœnæ, *ex opere operato*, quià status peccati mortalis, est obex contrarius effectui remissionis pœnæ temporalis relictæ ex peccato mortali, vel veniali, sicùti idem status est obex in cæteris Sacramentis, quæ si recipiantur in peccato mortali, suscipiens, non acquirit remissionem alicuius pœnæ temporalis.

Si verò Confessio fuit iuualida, nunquàm pœnitens implere tenetur pænitentiam in ea impositam, dummodò de eadem inualiditate sibi certò constet, primò, quià illud videtur onus impositum sub hac conditione; ergò ea non existente, cessat obligatio. Secundò, quià pœnitens teneretur pœnitentiam adimplere prò ijsdem peccatis tàm prima; quàm altera vice confessis, quòd non est admittendum.

Aduertimus tamèn, quòd recedente fictione, & amoto obice, hoc est, cum primùm pœnitens redit in gratiam, consequetur remissionem pœnæ, *ex opere operato*, completa pœnitentia in peccato mortali, quià Sacramentum validum, sed informe pœnitentiæ, recedente fictione, & impedimento, gratiam confert; ergò suum præstabit effectum Sacramentalis pœnitentia in peccato mortali adim-

 pleta.

pleta. Est sententia P. Suarez disput. 28. sect. 8. Sèd nos contrariam firmauimus in sect. 8. de integritate Confessionis, quòad Sacramentum validum, sed informe.

SECTIO XV.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

SVpponendum est, Clauium potestatem, quæ in ministro requiritur adhoc, vt possit ritè, & rectè huiusmòdi Sacramentum administrari, nil aliud esse, quàm potestatem soluendi, & ligandi. *Soluendi* (qui actus primariò hic intenditur) quandoquidèm per positiuam absolutionem confertur gratia remittens peccatum. *Ligandi*, quià per ligamen actionis, pœnitens à Confessario iudicatur absolutione indignus.

Hæc clauium potestas, consistit in charactere, qui in ordine Sacerdotali confertur. Ista clauis tantùm, non est sufficiens ad auferendum peccatum, ac perficiendam absolutionem, cum adhùc sit necessaria clauis iurisdictionis, eò, quià, nullus Sacerdos sacris ordinibus initiatus à lethalibus culpis, non confessis absoluere Sacramentalitèr possit, nisi simùl iurisdictione ordinaria, vel delegata fulgeat.

Potestas Ordinis ab Episcopo confertur, quandò proferuntur illa verba. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 6. ibi. *Circà Ministrum huius Sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse, & à veritate Euangelij penitùs alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines pratèr Episcopos, & Sacerdotes, clauium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini. Quæcumque solueritis supèr terram, erunt soluta, & in Cælo, & quorum retinueritis, retenta sunt, ad omnes Christifideles indifferentèr, & promiscuè contrà institutionem huius Sacra-*

menti,

menti, ità fuisse dicta, ut quiuis potestatem habeat remittendi peccata &c.

Potestas clauium completa, dicitur per metaphoram; nàm sicùti clauis est, qua aperitur, & clauditur ianua, ità per potestatem ordinis, & iurisdictionis simùl, Sacerdos suo subdito claudit, in iudicio Sacramentali, infernum, & aperit ianuas Regni Cœlorum. Ità Sotus in 4. sent. dist. 18. q. 4. art. 2. Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 7. part. 1. his præmissis.

Quæres, vltrà prædicta, quandò potestas iurisdictionis conferatur? Respondetur, hac de re tres esse sententias. Prima asserit, potestatem iurisdictionis simùl conferri, cum potestate ordinis, à qua non distingui, & consequentèr si Sacerdos habens potestatem ordinis, contrà prohibitionem Episcopi absoluat, secundùm hanc sententiam, absolutio esset valida, sed illicita & omninò falsa, ac omni fundamento carens. Patet ex Trident. sess. 14. cap. 7. ibi. *Quoniàm igitùr natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxàt feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aùt subdelegatam, non habet iurisdictionem.*

Secunda sententia est, potestatem iurisdictionis, partìm dari in ordine, & partìm extrà, per concessionem Ecclesiæ; sed huiusmòdi opinio adhùc etiàm ab omnibus communitèr reijcitur. Ratio est, quià Sacerdos in sui ipsius ordine, nullum prorsùs acquirit subditum, & consequentèr tùnc eidem nulla equidèm confertur iurisdictionis potestas.

Tertia postremò, quæ firmitèr tenenda est, potestatem iurisdictionis, minimè simùl conferri cum potestate ordinis, eò, quià, illa est omninò ab hac diuersa. In simplici Sacerdote est potestas ordinis, non verò iurisdictionis in peccata mortalia. Propterea cum Tridentino suprà cita-

to diximus. *Nullius momenti absolutionem eam esse, quàm Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aùt subdelegatam, non habet iurisdictionem.*

Huiusmòdi iurisdictio immediatè ab Ecclesia confertur; secùs verò in Sacerdotali ordinatione, vt euidentèr dignoscitur in excommunicatis notorijs, & vitandis, qui ea prorsùs carent. Aliquandò tamèn quòad certum personarum genus limitatur, itaùt absolutio, non solùm illicita; verùm etiàm inualida reddatur, si contrà Ecclesiæ prohibitionem conferatur, cum ab ipsa Ecclesia tolli possit, & ad suum libitum concedi.

Ex quo colligimus, quòd profectò hoc esse non potest, si tota hæc iurisdictio ab Ecclesia non penderet, sicùti ordo immediatè, non ab Ecclesia, sed à Christo confertur, cum Ecclesia minimè ordinis receptionem, quòad validitatem impedire possit. Immò nequè quòad validam ordinis executionem; quandoquidèm etiàm publicè excommunicatus, siué per cedulonem, siuè per publicam clericorum percussionem, ac paritèr degradatus, si consecrat, illicitè quidèm, sed validè consecrat.

Quòd equidèm minimè dicere possumus de eo, qui contrà Ecclesiæ prohibitionem absolueret, quandoquidèm ipsa absolutio, non solùm illicita; verùm etiàm inualida erit, eò, quià minister, non suo iure proprio, sed alieno, nimirùm, Ecclesiæ, indebitè vteretur, ità quamplurimi tàm antiqui, quàm recentiores Doctores.

Sèd insupèr quæres, quisnàm sit minister Sacramenti pœnitentiæ? Respondetur, esse solùm Sacerdotes, ritè, & rectè ordinatos. Probatur ex Tridentino suprà citato, & colligitur paritèr ex Christi verbis. Io. 20. ibi. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Quæ potestas remittendi peccata in hoc Sacramento, fuit à Christo collata solùm directè Apostolis; sed quatenùs repræsentabant Episcopos, vel etiàm, vt erant Sacerdotes, & sìc cum hoc Sacramentum sit magnæ necessitatis, pluribus committi debuit ministerium; ergò

gò non solùm Episcopi, sed etiàm Sacerdotes, sunt Sacramenti pænitentiæ ministri.

Quòd si dicatur Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Intelligendum hoc est, de Confessione soli Deo facienda, ac etiàm hominibus, non quidèm omnibus; sèd ijs dumtaxàt, qui ad hoc munus sunt deputati, & hac eadem facultate funguntur, licèt mali sint. Bonacina in præsenti S. Iacobi dictum, sequenti modo, explicat.

Respondetur enìm primò, locum illum, ab aliquibus explicari de confessione (non Sacramentali) facta humiliationis gratia, quam confessionem, non solùm coràm Sacerdote; vèrùm etiàm coràm laico fieri posse, constat. Responderi potest secundò, in eo loco, si intelligitur de confessione Sacramentali, indicari peccata esse alterutrum confitenda intèr Sacerdotes, itaùt illa particula *alterutrum* referatur ad persònas approbatas, & sufficientes, non verò ad laicos, vel ad alios non approbatos.

Hìnc sequitur, quòd nèc laicus, neque Diaconus in articulo mortis huius Sacramenti sunt idonei ministri, & licèt Glossa in cap. fures de furtis, in illis verbis. *Si autèm Diacono, vel Laico confessus fuerit, communione non priuetur.* Velit in extrema necessitate Confessionem etiàm laico esse faciendam, quam sequitur Abbas, & nonnulli Theologi, id tamèn intelligendum est, non de Confessione Sacramentali, quià laico, quis non potest Sacramentalitèr confiteri, & laicus nequè potest Sacramentalitèr absoluere, quòd proprium munus est solius Sacerdotis.

Sèd saltèm intelligendum, de confessione, qua mediante, vel pœnitens facit quantum in se est, ad obtinendam peccatorum remissionem, in quo casu, aliqui volunt remitti peccatum à Christo, vti summo Sacerdote, defectum Sacerdotis supplente; vel de confessione, quæ in tali casu, est signum perfectæ contritionis charitate formatæ in huiusmòdi pœnitente. Itá hanc sententiam, quoàd

primam

primam intelligentiam de confessione facta laico in extrema necessitate, & Christo defectum Sacerdotis supplente, tenent cum S.Thoma multi Canonistæ, & Iuristæ.

Asserimus tamèn, non omnes Sacerdotes huius Sacramenti esse sufficientes ministros, sed eos tantùm, qui cum potestate ordinis, habent annexam potestatem iurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam. Est communis omnium Theologorũ sententia, & non minùs patet ex dictis. Ex quibus infertur, quòd Sacramentum pœnitentiæ in sui valore, pendet à concessione, vel prohibitione Ecclesiæ.

Huiusmòdi illatio probatur, quià, hoc Sacramentum non est validum sinè potestate iurisdictionis, sed, vt diximus, tota iurisdictio manat ab Ecclesia, ergò sinè potestate iurisdictionis, Sacramentum huiusmòdi redditur nullum. Immò aduertunt nonnulli Doctores, & est communis sententia, quòd est hoc in huiusmòdi Sacramento peculiare, cum in cæteris omnibus, non impediatur Sacramenti validitas, etiàm existente Ecclesiæ prohibitione, sicùti in Sacramento pœnitentiæ.

Minusquè silere debemus, quemlibet simplicem Sacerdotem, ètiam excommunicatum vitandum, degradatum, hæreticum &c. posse à quibuscumque peccatis, & censuris adhùc Summo Pontifici reseruatis, absoluere infirmum in mortis articulo constitutum quomodocumque, siuè sua spontè, siuè ex alia causa, vt liquidò habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. pluriès insinuata. ibi.

In eadem Ecclesia Dei custoditum sempèr fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atquè ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt, extrà quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos Iudices prò beneficio absolutionis accedant.

Vnum hìc est aduertendum, nimirùm, minimè communi-

muniter distingui articulum mortis, qui equidèm est quandò huiusmòdi instat periculum, & moralitèr certum, & ineuitabile est; à periculo mortis, quód est quandò tale periculum est probabilitèr dubium, quandoquidèm euenire poterit etiàm in primo infirmitatis die, dummodò infirmitas talis sit, de qua probabilitèr timeri possit, quòd valeat mortem inferre.

Ex quibus fundamentis inferunt Doctores, dici posse constitutum in periculo mortis, suscepturum longinquam nauigationem, militem bellum ingressurū, fœminam primò parituram, laborantem febri maligna, aùt duplici tertiana, vel alio quocumque morbo, qui medici iudicio, possit mortem causare, licèt minimè sit salus infirmi omninò desperata. Quaré in his, & similibus casibus, in quibus hoc periculùm probabilitèr imminèt, prudentis arbitrio relinquendum, iudicandamque est, simplices Sacerdotes à quibuscumque peccatis reseruatis, & censuris, etiàm S. Sedi Apostolicæ absoluere possunt.

Huiusmòdi tamèn sententia communitèr ab omnibus limitatur, nimirùm, modò nullus alius adsit Sacerdos, qui ex officio, & ordinaria iurisdictione, vel saltèm delegata extrà mortis articulum possit, & velit in talibus contingentijs, & miserijs, constitutum, absoluere. Ratio est, quià tùnc non dicitur constitutus in morali necessitate simplici Sacerdoti confitendi, cum alium habeat, cui commodè valeat sua peccata in confessione Sacramentali manifestare.

Verùm hæc limitatio à nonnullis non admittitur, asserentibus ipsis posse huiusmòdi infirmum quemlibet simplicem, Sacerdotem absoluere colligunt isti talem facultatem ex vi verborum Tridentini citati habere, étiam præsente quocunque alio Confessario habente suprà infirmum pœnitentem ordinariam, vel delegatam iurisdictionem, quæ sententia est valdè probabilis, eamque in terminis hic tenet Nauarrus.

Quæres vltimò quis nám in hoc Sacramento habeat ordinariæ iurisdictionis potestatem. Antequàm dubium resoluamus, præmittimus iurisdictionem ordinariam eam nuncupari, quæ alicui competit, ratione alicuius muneris sibi commissi, vt communitér obseruant Doctores, hisque igitur præmissis.

Dicimus, iurisdictionem ordinariam in hoc Sacramento habere omnes illos, quibus ex officio incumbit specialis animarum cura, & ità Summus Pontifex primò habet ordinariam iurisdictionem in foro Sacramentali quòad omnes fideles. Episcopus in sua Diæcesi, & Parochus in propria Parochia. Ad Episcopos reducuntur Abbates, exempti, & similes, vt sunt Generales, & Prouinciales in suis religionibus. Ad parochos, presbyteri. Vide in præsenti Filluccium.

Hìnc igitùr est, ùt Summus Pontifex in toto orbe, sit proprius animarum Pastor, eò, quià omnes fidelium animæ ipsi subijciuntur, iure diuino, iuxtá illud. *Pasce oues meas*. Episcopus similitér respectu fidelium, in sua diæcesi existentium, & Parochus deniqué respectu suorum Parochianorum. Hoc tamén intelligendum est, non solùm de personis secularibus; verùm etiàm de Ecclesiasticis, vt sunt Clerici, Sacerdotes &c. nisi aliquo peculiari priuilegio fuerint exempti.

Dicimus insupér adhoc, vt quis dicatur esse alicuius particularis Parochiæ, requiritur, vt intrà Parochiæ terminos fixum domicilium habeat, colligitur ex cap. *vltimo de Parochijs*. Tùnc énim dicitur quis fixum habere domicilium in eo loco, quoàd Sacramentorum receptionem, quandò per maiorem anni partem inhabitat. Hinc est, vt si quis habeat æqualitèr animum permanendi, & habitandi in duplici parecia, & de facto inhabitet, vtriusque pareciæ subditus fiat, & à quo Parocho ipse maluerit, Sacramentum pænitentiæ, & alia, recipere posset.

Quòd verò sit affectus vtrìque Pareciæ, & consequentér

vterque

vterque Parochus in huiusmòdi casu sit proprius Pastor, & Rector, désumitur ex cap. *omnis vtriusque sexus*. Notandum tamèn est, quòd ad contrahendam hanc subiectionem: Satìs minimé habitatio sola erit, nisi habeat animum ibi habitandi per maiorem anni partem, vndé ad contrahendum domicilium opus non erit per decennium inhabitare in aliquo loco, séd statìm ac inchoatur ibi habitatio animo ibidém permanendi perpetuò, vel per maiorem partem anni, puta, per septèm menses ius parochiale contraheretur.

Nequè hoc est mathematicè intelligendum, séd morali modo, nimirùm, vt habitatio vtrobique sit æqualis, aùt feré æqualis, & hoc modo dicetur æqualitér quis habitare in duplici parecia, si in vna habitaret hyeme, & in alia æstate, quæ tempora non ità in puncto mathematico constituenda sunt, vt omninò æqualia esse debeant, séd ad hoc æqualia esse dicantur, licét quis plus temporis in vna, quàm in alia inhabitet, dummodò intér vtramque mantionem, notabilis temporis differentia, minimè adsit.

Ex his deduci potest, quòd scolares, milites, mercatores, nautæ, litigantes &c. qui per maiorem anni partem sunt alibi habitaturi, illam equidèm sortiuntur parochiam intrà cuius fines eo tempore inhabitant, licèt bina in proprijs Patrijs domicilia habeant. Quaré ab illo Parocho Sacramenta recipere debent, quià dicuntur ibi habere, quasi domicilium, quòd præstat quoàd dicta, eumdem effectum, ac domicilium proprium, præsertìm accedente consuetudine, quæ sciente, & consentiente Superiore Ecclesiastico in hoc casu, iurisdictionem concedere potest.

De Vagis, & Peregrinis restat dicendum, nimirùm, quis nàm sit illorum proprius Parochus, cum intèr eos non sit modica difficultas. Nàm vagi nuncupantur, qui nullibi certum domicilium habent, quandoquidèm in diuersis locis reperiantur immò hinc, indè vagantur. Peregrini verò sunt illi, qui domicilium habentes aliò se transfe-

runt, & proficiſcuntur, animo tamèn ad proprium domicilium reuertendi, his poſitis.

Dicimus, vagos ſortiri Parochiam in eo loco, in quo tempore inueniuntur, ètiamſi ibi ſint per aliquas horas paucas, vel per vnum diem reperturi, & permanſuri. Vndè in ijs, vt domicilum acquirant ſòlùm eſt habenda ratio actualis habitationis. Cum ènim nullibi fixum habeant domicilùm tantùm in locum cedit actualis habitatio, quantumuìs modica. Sèd quid dicat in his caſibus Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. ar. 2. §. 22. in fine, audiamus.

Peregrini verò, & vagabundi, ſeù Parochiani oppidorum vbi ſe inuenerint confiteri debent, nonniſi, Plebanis, quià non debent eſſe inferioris conditionis, quàm incolæ. Tamètſi moris erat antiquitùs, vt peregrini à ſuo Diæceſano facultatem impetrarent vbilibet confitendi, & Caietanus in ſumma verb: abſolut. hanc facultatem in primis reſtringit ad tempus ſolùm, quandò eſt neceſſaria confeſſio, ſèd reſtrictionis cauſam non video. Subdit ibidèm ſe meminiſſe, quòd legerit Eugenium IIII. conceſſiſſe, ſeù declaraſſe viuæ vocis oraculo; Viatores, vbi ſe inuenerint Paſchate, cenſendos tanquàm adeptos incolatum, quoàd Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ.

Peregrini (vt reſpondeamus ad ſecundam quæſiti partem) illi dicuntur, qui iter agunt; ſèd ſempér domicilium retinent, & eorum proprius Parochus ille eſt, in cuius Parecia domicilium habent, minimè tamèn eſt ille, qui in loco, vbi ſupradicto modo habitant. Vndè Peregrini, vt diximus, iuxtà cap. *omnis vtriuſque ſexus de pænit., & remis.*, antiquitùs à Parocho domicilij facultatem petebant vt in itinere alijs confiteri potuiſſent quòd hodie non eſt in vſu.

Sèd, an Parochus, vel quicunque ordinarius, vel delegatus Confeſſarius poſſit audire extrà propriam iuriſdictionem confeſſiones ſuorum ſubditorum, videatur ſequens, decretum. *Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. interpretum*

tum censuit Confessarios extra ordinarios ab Episcopo approbatos ad audiendas confessiones, siuè sint Regulares, siue Seculares, nullo pacto, posse eas audire extrà diœcesim Episcopi approbantis, quamuìs confitentes sint eidem Episcopo subiecti &c.

SECTIO XVI.

De Iurisdictione delegata.

QVæres, quæ nàm sit iurisdictio delegata, & quis possit eam concedere? Respondetur, eam esse iurisdictionem delegatam, quam quis habet ratione concessionis factæ ab habente ordinariam, & consequentèr, dicimus omnes huiusmòdi ordinariam habentès iurisdictionem posse alteri delegare *l. intèr cætera ff. de officio ordinarij*.

Ratio est, quià quilibet iurisdictionem ordinariam habens potest alteri demandare, vndè Papa cuicumquè Sacerdoti, & prò quocunque loco, in ordine ad quascunque personas, prò quibusuis culpis, & censuris, ètiam contrà Episcoporum voluntatem delegare potest audiendi confessiones.

Similitèr, & proportionalitèr, eodemque modo dicendum est de Episcopis in sua Diæcesi, & de Parochis in sua Parecia, qui possunt iuxtà infrà dicenda iurisdictionem aliquibus delegare, dummodò tamèn Episcopis non resistat Summus Pontifex, & Parochis Summus Pontifex, & Episcopi.

Dicimus insupèr habentem iurisdictionem delegatam ad certum aliquod munus obeundum, puta, ad audiendas confessiones, non posse eam alteri subdelegare, iuxtà illud. *Delegatus non potest subdelegare*. Quòd præsertìm intelligendum est de delegato ad certum aliquod genus causarum, vt ex cap. *cum causa de appellat.* Et hoc procedit siuè alicubi sit delegata iurisdictio audiendi confessiones omnium

nium in aliqua Ciuitate exiſtentium, aùt Diæceſi, ſiuè aliquorum in particulari.

Nihilominùs huiuſmòdi noſtra concluſio limitanda videtur, nimirùm, niſi ſit ab Ordinario ei conceſſum, vt alteri eamdem facultatem alijs committere valeat, quià in tali caſu, non ſolùm nomine proprio, verùm etiàm nomine delegantis id verè faceret.

Vndè ſi alicui committeretur certum aliquod officium, cui fuerit annexa iuriſdictio, ſed minimè ſimplicitèr nuda, poterit eam ſaltèm ex parte aliqua, ſubdelegare; quià huic competit quodammodò iuriſdictio, quaſi ordinaria; & ſic poterit ex parte eam ſubdelegare. Hæc iuriſdictio tamdiù in eo perſeuerat, quamdiù retinet officium ex dictis clarè patet. immò.

Poſſumus inferre, quòd is, cui commiſſum eſt officium Vicariatus ab Epiſcopo, ſi ægrotet, vèl peregrinetur, poterit alteri partem, ſui muneris ſubdelegare, & multò magìs ſubdelegare facultatem confeſſarios approbandi, non poterit tamèn totum ſnbdelegare officium, propterea ſuprà diximus, *ſaltèm ex parte*.

Addimus inſupér, poſſe Parochum cuilibet Sacerdoti approbato iuxtà Tridentinum concedere facultatem audiendi confeſſiones ſuorum Parochianorum. Ratio eſt quià Parochus immediaté habet ordinariam iuriſdictionem ratione ſui officij, ergò poteſt alteri illam delegare, poſita tamén conditione, requiſita à Tridentino ſeſſ. 23. cap. 15. ibi.

Quamuìs Præsbyteri in ſuà ordinatione poteſtatem abſoluendi à peccatis accipiant; decernit S. Synodus nullum etiàm Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, ètiàm Sacerdotum audire, nèc ad id idoneum reputari, niſi, aùt Parochiale beneficium, aùt Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aùt aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratìs detur, obtineat &c.

Diximus, *ſi idoneus iudicetur, & approbationem &c.* quià ſi

Sacer-

Sacerdos sit simplex, & non approbatus iuxtà Tridentinum, non potest admitti à Parocho ad audiendas confessiones, quidquid dicant nonnulli recentiores cum Ledesma existimantes etiàm pòst Tridentinum, liberum esse Parochis cuicunque simplici Sacerdoti, etiàm, non obtenta Episcopi approbatione, suam iurisdictionem delegare posse ad audiendas suorum Parochianorum confessiones.

Quæres, quomodò conferatur iurisdictio. Respondetur, in huiusmòdi materia nullam adesse particularem, necessariam, & essentialem formulam, sèd satissuperquè esse quamcunque expressionem voluntatis delegantis, exteriùs tamèn delegato manifestatam. Communitér omnes Doctores. Séd hìc non modica difficultas insurgit, nimirùm, si nulla præcedente expressa, & speciali concessione iurisdictionis delegatæ sit æquè sufficiens ad eam habendam ratihabitio ipsius concedentis rationabilitér præsumpta e. g. Volo audire confessionem subditi alicuius Parochi, licèt nullam habeam iurisdictionem delegatam, sufficiat eam rationabilitér præsumere, eò quòd Parochus aliũdè in amicitijs mihi coniunctus sit, ratumhabiturus actum illius absolutionis, illumque approbaturus, quæ ratihabitio verè dicitur.

An verò requiratur, vt aliquo modo antè inchoatam confessionem mihi talis iurisdictio à Parocho de facto concedatur, quæ nuncupari solet de præsenti, sèd impropriè, vt infrà? Respondetur quòd prima sententia asserit sufficere ratihabitionem etiàm de futuro, quià retrotrahitur, vt habetur, *de regulis iuris in sexto*, aliqui aiunt ratihabitionem de præsenti sufficere, non autèm de futuro, vt cum Nauarro, & Syluestro in præsenti docent multi Doctores.

Dicimus itaquè ratihabitionem de futuro, nullo modo, conferre iurisdictionem necessariam prò huius Sacramenti validitate. Ratio est, quià Sacramentum pænitentiæ, dùm confertur, aùt debet esse validum, aùt inualidum, quandoquidèm pendere minimè potest à conditione de futuro, vt aliàs firmauimus, si dùm fuit collatum inualidum, nullo

modo

modo poterit deindé conualescere, quandò Parochus, puta, pòst horam ratam habuit confessionem præteritam.

Si verò dicamus fuisse validum collatum, neque asserere possumus, quòd tùnc debeat denuò iterari, negata à Parocho huiusmòdi ratihabitione, & consequentér concludimus, nullo modo, ratihabitionem de futuro esse sufficientem ad conferendam iurisdictionem in hoc foro, & sic omnia gesta à Confessario esse omninò frustratoria, & attentata, purganda equidém coram Deo, quià nullius roboris, & momenti, vt aperté firmant Doctores.

Ratihabitionem verò de presenti satis esse ad iurisdictionem conferendam. Ratio est, quià hæc impropriè appellatur, cum ratihabitio respiciat actum præteritum, scilicèt, quod gestum est, ratum habeatur. Ratihabitio verò de præsenti est illa, quæ versatur circà actum, qui fit de præsenti, & præsentem importat voluntatem concedendi iurisdictionem, aliquo exteriori signo, expressam, quæ nil aliud est, nisi ipsa actualis iurisdictionis concessio, & ideò suprà diximus, requiri, & sufficere prò huiusmòdi actus validitate. Ex his.

Inferre possumus primò minimè satis esse Parochum habere voluntatem internam concedendi hanc iurisdictionem, si aliquo externo actu eam Delegato non manifestauit. Ratio est, quià iurisdictionis concessio fieri debet, humano modo, sicùt consensus in quolibet contractu, humano modo, debet adhiberi, hoc solùm fit exprimendo actum internum, per externum, quià tùnc alius contrahens potest huiusmodi concessionem acceptare.

Quòd tùnc minimè adesset, si tamèn voluntas sit interna, & non exteriùs manifestata, quandoquidém huiusmòdi concessio est ad instàr cuiusdam donationis, vt optimé aduertunt Doctores, vt à delegato, & donatario acquiratur. Necessariò igitùr est intentio donantis, & ab eodem aliquo exteriori signo, per sensus exteriores manifestata, est communis sententia.

Inferre possumus secundo. Quòd quamuis nonnulli velint per ratihabitionem de præsenti concedi iurisdictionem, quando Parochus e. g. obseruat Sacerdotem suum audire subditum confitentem, & minimè contradicit, id tamén, vt notant aliqui vniuersalitèr verùm non est, quandoquidèm fieri potest, vt non contradicat, quia arbitratur esse Sacerdotem priuilegiatum, aùt alia ratione iurisdictionem habere confessiones audiendi, vel quià falsò putat pœnitentem solùm venialia confiteri, aùt quia non audet contradicere né lites, & iurgia excitentur &c.

Quarè multi Doctores concludunt, quòd ad hoc, vt in huiusmódi casu præsumi possit ratihabitio de præsenti primò necessarium est, vt Confessarius certus sit, quòd Parochus existimet eum nullam iurisdictionem habere, & prætereà, quòd si factum non approbaret, apertè contradiceret, quæ si verè adsint, tùnc præsumi poterit ratihabitio de præsenti.

Inferre possumus tertiò, quòd si Parochus videat Confessarium sui subditi confessionem audientem non ab initio, sed pòst mediam confessionem peractam e. g. vt modo explicato approbet factum, erit repetendum dimidium peractæ confessionis, absqué Parochi scientia, & conniuentia factę. Ratio est, quià, cum illa media confessio non sit facta legitimo Iudici, vtpoté debita carenti iurisdictione prò ea parte, non potuit esse Sacramentalis, & valida, ergò erit repetenda. Hoc autèm facilé fieri potest, si Confessarius suadeat pœnitenti, vt vnico verbo dicat se iterùm peccata in principio confessionis manifestata confiteri.

Inferre possumus vltimò, quòd, qui hoc modo incipit confessionem audire, licèt cum spe obtinendæ iurisdictionis, antequàm absolutio impendatur mortalitèr peccat, tùm quià in principio, vt supponimus, inualidé Sacramentalem cnnfessionem audit, & sibi vsurpat alienam iurisdictionem cum aperta iniuria Sacramenti, & pœnitentis, tùm etiám quiá se exponit periculo absoluendi absque

Yy iuris-

iurisdictione, si fortè Parochus non compareat.

Dices. an sit valida concessio iurisdictionis extorta á Parocho mendacijs, dolis, aut quacumque alia simili occasione? Sanchez ait, sicuti est valida licentia dolis, & mēdacijs à Parocho obtenta in ordine ad assistendum matrimonio, á pari idem dicendum erit de iurisdictione malitiosé obtenta ad audiendas confessiones, quià doli, & mēdacia non sunt causa finalis, sed impulsiua concedentis iurisdictionem, qua verò cessante, non cessat dispositio.

Minùsque rationabilitèr mens concedentis præsumitur, quòd, nimirùm, sit talis, vt in huiusmòdi casu, actus sit irritus: falsa tamén existente causa impulsiua, vt communitèr colligitur ex doctrina citati Authoris, nihilominùs, quód ad nos spectat nil ad præsens determinamus, sed alterius prudenti iudicio resolutionem relinquimus.

Sed quid, si aliquis Sacerdotem se fingat, cum reuerà minimè sit, & ab Ecclesiastico Superiore alicuius loci suæ Diœcesis deputaretur Parochus, vel Confessarius? Respōdetur, inualidas esse omnes absolutiones ab hoc ficto Sacerdote collatas, quià Ecclesia defectum ordinis supplere non potest, cum de iure diuino requiratur ad validum ministrandum hoc Sacramentum, vt aliás firmauimus, colligitur ex Tridentino sess. aliàs cit. ibi.

Prætereà declarat S. Synodus hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seù ipsorum Saeramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum, varietate, magis expedire videatur.

Séd omissis dicendis de communi errore, & titulo colorato, vt ait Sancius in Selectis, deuenimus ad firmandū esse magnum discrimen intèr Sacerdotem fictum Parochum, vel Confessarium, & Laicum paritèr fictum Confessarium, vel Parochum, quià in primo Ecclesia potest supplere defectum in omnibus, quæ ad ipsam pertinent,

non-

non verò in secundo, quia talis muneris est incapax, & negatiuè ad illud se hab et; Sacerdos verò solùm priuatiuè Vidè l. Barbarius ff. de officio Prætoris.

SECTIO XVII.

De Episcopi approbatione ad Confessiones audiendas.

SVpponimus Episcopi approbationem præcisè, vt sic, nullum ius, nullamque iurisdictionem ad audiendas confessiones Sacrdoti conferre, sed eam solùm esse tanquã conditionem quandam, ob quam persona existimatur idonea, & digna, cui iurisdictio conferatur, quæ conditio si desit in aliqua substantiali parte, Sacerdos inualidè confessiones audiret, Colligitur tàm ex Tridentino de casuum reseruatione sess. 14. cap. 7. ibi: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem*, quàm ex declaratione Sacræ Congregationis DD. Cardin. ipsius Concilij.

Supponimus insupèr huiusmòdi approbationem esse potiùs actum iustitiæ, quàm munus gratuitum. Propterea ex officio tenetur Episcopus personam alioqui idoneam, tàm quoàd mores: quám quoád doctrinam approbare, ità vt si nulla subsit iusta causa, iniuria manifesta fiat præsentato, his igitùr præmissis.

Quæres primò à quo Episcopo debet confessarius approbari, ab Episcopo pœnitẽtis, an verò ab Episcopo Confessarij? Respondetur, licét probabile sit, esse approbandum ab Episcopo pœnitentis, probabilius tamèn est, & omninò in praxi seruandum, huiusmòdi approbationem fieri debere ab Episcopo Confessarij, ità Coninchus, qui testatur, quòd bis, ità fuit declaratum á DD. Cardinalibus ex ore Summi Pontificis.

Quæres secundò, An approbatus in vna Diœcesi, & in aliam se transferat, possit ibi audire confessiones fidelium illius Diœcesis, à qua discessit? Respondetur, quòd satis suprá responsum fuit, vbi id concessimus, quòad confessarios ordinarios, nimirùm, Parochos, negauimus tamén quòad Confessarios extraordinarios Delegatos, & Regulares vt clarè habetur ex DD. Cardinalium responsione ibi addita.

Quæres tertiò, An cui iniustè approbatio denegatur, hoc ipso approbatus censeatur, itá, vt validè confessiones possit audire? Respondetur, duas ad id esse opiniones affirmatiuam vnam, alteram verò, quam nos sequimur, negatiuam, quià Tridentinum absolutè, vt diximus, in Confessario Ordinarij approbationem requirit; non obstantibus quibuscumque priuilegijs.

Addimus tamén Episcopum mortalitèr peccare si iniustè idoneo Sacerdoti approbationem neget, minùsque posse semél concessam sinè rationabili causa reuocare, quià huiusmòdi approbatio non est gratuita: sed est autenticum testimonium, & quidèm ex iustitia latum de personæ aptitudine, quód semél latum minimé sinè causa, vt diximus, reuocari potest.

SECTIO XVIII.

De Ministro quoàd Casus Reseruatos.

PRæmittimus, in Ecclesia Dei esse facultatem reseruandi peccata, non solùm quoád culpam, verùm etiám quòad censuram. Colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. ibi: *Vndè meritó Pontifices Maximi prò suprema potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores, suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. Nequè dubitandum est, quandò omnia, quæ à Deo sunt ordinata, quin hoc*

idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi in ædificationem tamèn, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita suprà reliquos inferiores Sacerdotes authoritate præsertim quòad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autèm delictorum reseruationem, consonum est diuinæ authoritati, non tantùm in externa politia, sed etiàm coràm Deo vim habere, &c.

Præmittimus insupér, peccata venialia propriè loquẽdo minimè reseruari, quià talis reseruatio inutilis esset, quandoquidèm fideles peccata venialia confiteri, non obligantur.

Difficultas esse potest de peccatis mortalibus internis, an, nimirùm, reseruari possint, puta, odium inimici capitale, hæresis interna, blasphemia, &c. Caietanus, & Sotus asserunt posse, quià supèr illis cadere potest iurisdictio, nihilominùs alij negant, cum de facto, nulla dari possint peccata merè interna reseruata.

Quæ verò reseruantur sunt externa, siuè actus externi peccaminosi simùl coniùncti cùm externa malitia, non tamèn omnia, sed grauiora, quià hæc facultas fuit concessa, non ad destructionem, sed ad ædificationem, vt dicit Concilium citatum. Reseruatio ipsa nil aliud denotat, nisi iùrisdictionis restrictionem, nè quis absoluat á talibus, & talibus peccatis.

Quæres. Quisnàm à reseruatis absoluere possit? Respõdetur, Superiores de facto sibi reseruantes peccata, posse ab eisdem absoluere. Ratio est, quià, reseruare peccata nihil aliud est, quàm ipsos Superiores sibi reseruare facultatem, vt confessarij abstineant, vt supra diximus, ab huiusmòdi absolutione, vt loquuntur Doctorés.

Facultas reseruandi peccata spectat ad Superiorem, qui in foro Sacramẽtali facultatẽ sibi reseruãdi peccata habet, & sic Sũmus Pont fex poterit absoluere à peccatis Episcopo reseruatis, & rursùs, quià eamdem facultatem potest alijs committere, adhùc ipsis inuitis Episcopis, quià vniùer-

uersalis Pontificia potéstas, non coarctari poteſt ab interiore.

Qui habet facultatem, & iuriſdictionem delegatam á Summo Pontifice,poteſt abſoluere à caſibus reſeruatis põtìficijs, non verò alijs. A caſibus reſeruatis Epiſcopos, poteſt abſoluere Summus Pontifex, & ipſi Ordinarij, vel alij, quibus fuerit hæc facultas delegata. Reſeruatio non auget peccatum, ſed ſolum iuriſdictionem aufert.

Quæres, An in aliquo caſu ſaltèm; Confeſſarius ſimplex à reſeruatis abſoluere poſſit? Reſpondetur, ſi pœnitens bona fide cum reſeruatis alia peccata non reſeruata ſimplici Confeſſario confiteatur, valida erit confeſſio, quandoquidèm abſolutio directè cadit ſupèr non reſeruata, indirecté verò ſupèr reſeruata.

Ratio eſt, quiá,ponitur debita materia,nimirùm peccata non reſeruata, cum debita attritione, vt ſupponimus; ſimilitér vera ponitur forma, & intentio miniſtri; ergò neceſſariò perficitur Sacramentum, directé quidèm, quoád non reſeruata, & indirecté quoàd reſeruata,vt diximus.

Vrgente verò aliqua neceſſitate, habentes caſus reſeruatos ſcientèr etiàm poſſe ſimpliciConfeſſario confiteri, ſolummodò habenti poteſtatem abſoluendi à mortalibus nõ reſeruatis, non ſolùm validè, ſed etiám licitè, cum onere tamèn reſeruata iterùm confitendi habenti facultatem directam abſoluendi á reſeruatis.

Diximus, *vrgente aliqua neceſſitate*, quià néc practicé, neque ſpeculatiuè eſt probabilis ſententia, quorundam antiquorum concedentium, ſimplicem Confeſſarium pœnitentem à non reſeruatis abſoluere poſſe, & prò reſeruatis eum ad Superiorem remittere, etiámſi nullà vrgeat neceſſitas aùt rationabilis cauſa.

Hoc non eſt prò confeſſarij arbitrio, vt hodiè à quibuſdam frequentatur, ſed male,nám licèt ſequentes huiuſmòdi ſententiam prò ſe quandam introductam allegent conſuetudinem, hanc tamèn nullam eſſe optimè alij probant,

cum

cum aliundé integritas materialis confessionis sit de iure diuino, nulloque modo, dimidiari debet, si grauis non vrgeat causa.

In proposito casu, confessio vtiqué dimidiaretur: Nám licét pœnitens omnia confiteatur peccata, confessio tamèn reseruatorum, cum coràm legitimo Iudice minimè fiat, nullius est momenti. Verùm quidém est, quòd pœnitens bona fide absolutionem recipiens, validè absoluitur, quiá saltèm ex parte illius confessio est integra formalitèr.

Séd quid de huiusmòdi Confessario esset dicendum; respondemus, quòd equidèm mortalitèr peccaret, nisi tamèn ignorantia (quæ in confessarijs minimè dari, neque supponi debet) vel saltèm iudicium probabilitatis contrariæ sententiæ eumdem excusaret, quòd est credibile, & in praxi contingere solet.

Quæres, qualisnàm debeat esse necessitas, vt id licitè, & validè fieri possit? Respondetur ad hoc, illam requiri, quòd pœnitens non possit integrè confiteri, vt firmauimus. Hac verò necessitate vrgente, siné vllo scrupulo vtique pœnitens à simplici Confessario, seù inferiore posset absolui, modò tamén superiùs explicato.

Séd quid dicendum si prætér peccata reseruata; adhùc paritèr habeat excommunicationem reseruatam? Breuitér respondemus, scilicèt, quòd in huiusmódi casu potest à simplici confessario absolui, licèt in hoc maior, & grauior requiratur necessitas, puta, si adesset propriæ infamiæ periculum, vel scandali aliorum, vt notant DD.

Instabis, An possit superior absoluere à peccatis reseruatis, & de non reseruatis remittere pœnitentem pró absolutione ad Confessarium inferiorem? Respondemus posse graui necessitate vrgente. Secús verò si nulla rationabilis concurrat causa id faciendi; præscindendo tamèn à sequentibus contingentijs.

Benè quidèm aduertunt Doctores, posse superiorem in pro-

proposito casu, Sacramentalem absolutionem minimè impendere, vel à peccatis huiusmòdi pœnitentis reseruationem tollere, vel denique saltèm eidem concedere facultatem quemcumqueConfessarium adeundi à quo valeat à reseruatis absolui.

Sed quid firmandum de obtēta gratia à sacra Pœnitentiaria, vel ab alio quocumque superiore, vt quis absolui possit à reseruatis cum clausula *prò hac vice tantùm*, nùm hæc licentia prodesse possit, si pòst ipsam obtentam, & antè confessionem nouum aliud committatur peccatum reseruatum, siuè censura, an tùnc necesse sit nouam impetrare facultatem?

Affirmatiuam quamplurimi DD. simplicitèr firmāt sententiā intér quos existit Azor. in præsenti p.p. lib.5.c.23. q.2. Néc tamèn desunt alij negatiuā adhùc simplicitèr defendentes, & paritèr afferentes huiusmòdi licentiam in casu proposito esse proficuam. ità Bonacina de legibus disput. 1. q. 3. p. 7. §. 1, n. 11. & alij.

Si verò pœnitens, non ex fragilitate; sed ex confidentia obtentę facultatis in nouum incidisset peccatum, siuè reseruatam censuram. Secùs omninó foret dicendum, quiá tùnc nullo modo præsumendum est superioris intentionem fuisse liberè concedendi licentiam, quandò iste sub illíus spe ad magis delinquendum alliceretur.

E contrà tamèn præsumi potest, quòd si pœnitens graui victus tentatione pòst obtentam facultatem in reseruationem relabatur, adhùc huiusmòdi priuilegio frui poterit, eò, quòd dicta licentia videatur ad tale reseruatum peccatum extendi, ex benigna concedentis præsumpta intentione, ità Vgolinus de potest Ep. cap. 36. §. 5. & Barbos. ead. alleg. 52. n. 9.

Prò eorum sententia afferentes huiusmòdi rationem, nimirùm, quià alioqui occasio peccandi præberetur, & illa extensio esset illicita iuxtà l. si vnius §. illud ff. de pactis, ergò è contrario sensu colligi potest; quòd si obtenta licen-

tia

tia occasionem peccandi minimè præbeat, ea pœnitenti proderit ex interpprætatiua concedentis voluntate.

Hoc tandem sempèr intelligendum erit, dummodò in huiusmòdi concessione expresfé minimè limitetur facultas ad absoluendum tantùm à censuris, siué á peccatis reserseruats; quiâ in tali casu, limitatio, irà afficere, vt concessio ad nouum peccatum commissum pòst obtentam licentiam, non se extenderet.

SECTIO XIX.

De obligationibus circà huius Sacramenti administrationem.

QVæres, an, & quandò Parochus suorum subditorum confessiones audire teneatur? Respondetur, nonnullos probabilem sustinere sententiam, asserentes, teneri Parochum solùm semél in anno, nempè, tempore Paschatis, & in articulo mortis suorum Parochianorum confessiones audire, quandoquidèm ipsi in huiusmòdi casibus, ex præcepto obligantur.

Verà nihilominùs,. & in praxi semper sequenda est sententia, nimirùm, teneri Parochum ad audiendas sui Parochiani confessiones totiés, quotiès ipse confiteri voluerit, ità Nauarrus, & quamplurimi alij Doctores, apùd ipsum, asserentes, & cum fundamentali ratione: primam sentèntiam parùm esse piam, & iure optimo, censurandam.

Inferunt alij, esse limitandam illam sentẽtiam, cum nullum habeat locum, si Parochus prouidi de alio idoneo Confessario, quiá tùnc poterit industria alterius Confessarij, suo muneri satisfacere, nisi subditi necessitas, talis non sit, quæ Parochi personam, ad audiendam confessionem requirat.

Instabis quotiès Parochus intrà annum confessionem sui

ſubditi audire teneatur? Reſpondent nonnulli teneri ſeptem, vel octo vicibus. Alij, ſed meliùs, aſſerunt minimè poſſe dari, & determinari certam regulam, quandoquidém conſiderari debeat pœnitentis indigentia, & extrema ſpiritualis ipſius neceſſitas.

Quód ſi ſæpiùs in peccatum relabatur, & ex deſiderio non permanendi in ſtatu ſuæ damnationis, & confiteri velit, totiés regularitèr loquendo, erit audiendus, quotiés peccauerit. Verùm tamén fatemur, quòd qui pronus, & facilis eſt ad eundem relapſum; non eſt itá promptus, ad veram emendationem, & ſic concludendum eſt, in praxi vix poſſe Parochum de huiuſmòdi confeſſionis frequentia ſolicitari.

Secùs veró ſi pœnitens, non vt à lethali culpa reſipiſceret, ſed ſola deuotione moueretur, & fortiús, ſi cum notabili Parochi incommodo, vellet confeſſionem frequentare, & præſertim ſi ſcrupulis laboret. Similitèr hoc eſſet dicendum de magna pœnitentium frequentia, ſi vltrá proprias vires grauaretur, quiá in his. & ſimilibus caſibus, Parochus confeſſiones totiès, quotiès ſubditus id peteret minimè audire teneretur.

Verùm addit Suarez diſp. 1. ſect. 1. num. 5. in præſenti, quòd ſi Parochus bìs, aùt tèr recuſat, vel confeſſionem audire differat, à culpa lethali erit excuſandus, præciſa ſubditi graui neceſſitate, & caſu, quo Parochus iniuſtè nollet eum audire, nèc ſtando in rigore iuris, poſſet alius Parochus ſupplere, cum ſit debitum proprij Parochi, qui actus non eſt denegandus.

De alia obligatione, quæ penes confeſſarios exiſtit circà pœnitentis interrogationem, de qua vniuerſalis regula nunquàm deſcribi poterit, eò, quiá intér pœnitentes alij exactiùs, & aliqui rudiùs confitentur. Immò nonnulli de leuibus, & paucioribus, & alij de multis, & grauibus peccatis ſe accuſant, vt ipſa quotidiana experientia docet. Vndè in vniuerſum hìc firmamus, quod totiès Confeſſarius

rius pœnitentem interrogare debet de quacunque culpa lethali, ac de circumstantijs speciem mutantibus, quotiès ipse aduertit eum verisimilitèr circumstantiam, vel peccatum omittere. An verò sit præmittenda interrogatio, vtrum debitum dolorem, & propositum habeat, conscientiam examinauerit &c. alij affirmant, & alij negant.

Quæ tamèn diximus, vel supponi debent, vel saltèm ad ea Confessarius pœnitentem disponat, dummodò aduertat illum in ijs deficere, meliùs tamèn se gereret Confessarius, si benè cogitat pœnitentem esse in aliquo peccato reseruato, quod verisimile est ipsum cognoscere, si antequã confessio inchoetur, eidem dicat circà reseruata iurisdictione carere, né absoluta confessione, vel saltèm, maiore eius parte, cogatur pœnitens inabsolutus recedere, quód molestissimum pœnitentibus esse solet, ac insupèr intelligere debet, ex quo pœnitens tempore, fuerit confessus ad meliùs percipiendum numerum peccatorum.

Licèt Medina C. de confessione doceat non esse, pœnitentem interrogandum de iteranda dimidiata confessione, quiá Confessarius benè aduertit, pœnitentem suam examinasse conscientiã, etiámsi oblitus fuerit alicuius peccati, nihilominùs asserendum est, quòd si pœnitens inculpabilitèr aliquod peccatum omittat, adhúc de eo erit interrogandus, licét æquè bené suam examinauerit conscientiam.

Et eò fortiùs dicendum est, quandò Confessarius de huiusmòdi omissione est certus, vel quandò deprehendit debitum examen minimè fuisse præmissum, regularitèr tamén loquendo, quandò putat Confessarius pœnitentem se satis examinasse, vel quiá penitùs est doctus, & consequentér non debet eum vlteriùs interrogare, quandoquidèm in tali casu, verisimile minimé est, eum aliquod peccatum omittere.

Aduertere maximé debent Confessarij, quód pueri, & puellæ sunt interrogandæ, cum magna cautela, & modestia, parùmque de peccatis, & circumstantijs peccatorum

ad sextum Decalogi præceptum pertinentibus, securiùs est aliquandò, tàm ob modestiam, quàm ob aliquod periculum vitandum, vel in se, vel in pœnitente, nonnullas interrogationes omittere, quàm eas præscrutari, quorum cognitio possit aliquandò detrimentum afferre.

Sunt nihilominùs iuxtà consuetum ordinem interrogationes faciendæ, tempore tamén, quo pœnitentes se accusant, minùsque erunt differendæ vsque ad finem earum confessionum, quandoquidèm multùm difficile sit peccata, & circumstantias memoriæ mandare, & retinere, ex qua occasione, damna quamplurima, tàm Confessarijs, quàm pœnitentibus occurrere soleant.

Sed quid si pœnitens illud silcat peccatum, quod Confessarius certò scit illud commisisse? Respondetur, si Confessarius manifesté cognoscat pœnitentem aliquod peccatum malitiosé, & culpabilitèr tacere, nullo modo, debet eum absoluere, quiá concurreret ad malum intrinsecè, & cum indigno impenderet Sacramentalem absolutionem, consequentèr Confessarius peccaret mortalitér.

Diximus, *certò*, quiá dùm Confessarius euidenti caret notitia illius malitiosæ, vel culpabilis omissionis, pœnitentem absoluere tenetur. Nèc in praxi poterit in tali casu pœnitenti denegari absolutio, quiá estò; quód non manifestet peccatum, quod certò scit Confessarius fuisse á pœnitente commissum, & non amplius confessum, nihilominùs pœnitens hìc, & nùnc potest habere causam rationabilem, vel saltèm ab eo iustam existimatam ob quam silcat peccatum, in quo casu pœnitens minimè erit absolutione indignus, cum delictum præsumi non debeat, nisi fuerit probatum, Megala par. 1. lib. 1. cap. 2. num. 12. & alij communitèr.

Quan-

Quandò Confessarius teneatur docere, & corrigere pœnitentem?

DVæ insupèr restant interrogationes à Confessarijs faciendæ, nimirùm, ignorantem pœnitentem docere, & corrigere Confessarius peccatorem docere tenetur, quotiès aduertit eum conscientia erronea laborare, & pro peccato habere peccatum, quod verè peccatum non est, quandoquidèm trepidat, vbi non est timor.

Rursùs, quotiescumque pœnitentis ignorantia est vincibilis, & culpabilis. Ratio est, quiá Confessarius non solùm est Iudex, verùm etiám Doctor, & Aduocatus ipsius pœnitentis, quem ex officio instruere, & docere tenetur ea, quæ pertinent ad salutem animæ illius, & hoc quandó id necessitas, & prudentia exigat, omnes communitér.

Addimus insuper, quòd si pœnitens interroget Confessarium, tàm intrá, quám extrá confessionem, vti Doctorem, nimirùm, ad capiendum consilium de aliqua re, quã ipse mediante bona fide existimabat sibi licere; tùnc Confessarius veritatem aperire tenetur, nec minùs tacere potest, vt pœnitens illicò à tali dubio remoueatur, ad hoc vti ægrotus spiritualis, remedia oportuna consequatur.

At si interrogatio non ex dubio, sed ex pœnitentis scrupulis proueniat, & habita veritatis notitia, verisimilis sit timor suæ ruinæ spiritualis, túnc poterit Confessarius responsionem subterfugere, simulando se non audiuisse pœnitentem interrogantem, alióque distrahere sermonem, & sic in sua bona fide relinquere, quam non amisit scrupulum habens, cùm quo bona fides bené stare potest. De dubio secùs dicendum, cum bonę fidei aduersetur, nequè simúl, bona fides, & dubium concordare possunt.

Sed quid dicendum de Confessario habente opinionem probabilem, opinioni probabili pœnitentis oppositam, & iste nullo modo, Confessario se intendit conformare? Respon-

pondetur, Confessariũ, posse pœnitentis opinionem sequi.

Sed audiamus modò quid dicat in proposito casu, Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 9. num. 28. At dicendum est (inquit ipse) vtrumque Confessarium id posse, quiá cum licitum sit pœnitenti opinionem probabilem sequi, non caret, eam sequens, dispositione requisita, vt licitè absolui possit; ergó vterque Confessarius potest illum audire, & absoluere.

Diximus, *Confessarium posse*, redeamus denuò ad Sanchez, & quid sub num. 29. dicat audiamus. Vtrum autèm vterq; teneatur in hoc casu absoluere, non constat inter Doctores hoc, nám Polancus (vt videri poterit apùd eumdem cit. Sanch.), affirmat proprium teneri, secùs de non proprio. At dicendum est, vtrumque absoluere, postquám confessionem audiuit. Nám licèt antè confessionem auditam alter, sit necessarius, alter verò minister volontarius; at confessione audita vterque tenetur ex ipsa Sacramenti institutione, ac Confessoris officio, pœnitentem bené dispositum absoluere.

Ratio est, quiá ad hoc Christus ligandi, & soluendi potestatem contulit, ac Sacerdotes iudices constituit. Recta ratio petit huius iudicij, & sicùt pœnitens Confessori rectè præcipienti obedire tenetur, ità Confessarius rectè dispositum tenetur absoluere; qualis est sequens opinionem probabilem.

Addunt tamèn Vasquez lib. 2. q. 19. ar. 6. disp. 62. cap. 7. n. 39. & 40. & Salas tom. 2. q. 21; tract. 8. disp. vnic. sect. 9. n. 82. Sacerdotem non proprium minimè teneri tùnc absoluere, obligatione adeò graui, vt alioquin mortalitèr peccet, & sæpè eum excusari, quòd id bona fide, & zelo suæ opinionis faciat. At cœteri Doctores non explicant, quanta sit hæc obligatio.

Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 32. tota sect. 5. solus dixit, esse grauem obligationem non tamén sempér sub mortali, & ità credimus esse, quiá ratio proposita ità suadet, ac

gra-

grauitèr conqueri, iure optimo, pœnitens potest, quòd si bené disposito, auditaque eius confessione, absolutio denegetur. Vide totum paragraphum cit. P. Sanchez 29.

Néc leuis videtur culpa institutioni Sacramenti, ac Confessoris muneri contraria. At crederemus ratione paruitatis materiæ hanc culpam esse venialem, vt si confessio esset itá breuis, aùt de solis venialibus facta, quàm cogere pœnitentem, vt cum alio Confessore sua, repetat peccata, non esset graue onus, nec notabilis iniuria.

Intrat tandèm prò tertio teste in hac quæstione Solarius 2. 2. q. 62. art. 2. controuers. 4. paulò anté solutionem ad argumenta, ibi. Obseruandum tertió est Confessarium debere homicidam ad satisfactionem, quàm hìc docemus pro damno naturali inducere omnibus suasionibus, & vijs, quibus poterit, quòd si pòst multam persuasionem, non vult illam facere, quiá nouit, & iudicat probabiliorem Soti opinionem, & vult illam sequi, est absoluendus, quiá licét hæc nostra opinio sit verior, & tutior, opinio nihilominùs Soti est satis probabilis, & non apertè falsa.

Nec est remittendus, vt aliqui volunt ad suum Parochum, quià cum nostra opinio, licèt verior sit, non tamén ità certa, vt opposita sit falsa, & quam non liceat amplecti, qui potest absolui á Parocho, potest absolui à quocunque alio Confessore, & in fine posse illum absoluere tanquám sequentem opinionem etiám probabilem, sempèr tamèn saluo SS. D. N. PP. Innocentij XI. Decreto supèr hac materia aliás descripto.

Quomodò se gerere debeat Confessarius prò emendandis defectibus in confessione commissis.

CVm triplicitèr possint occurrere in confessione Sacramentali defectus circà ea, quæ requiruntur ad illam benè faciendam; idcircò aduertimus, quòd si Confessari us sinè iurisdictione, intentione, aùt saltèm absque dispo-

posi-

po[illegible] absoluit, in talibus, ac similibus casibus, tenetur si ex parte pœnitentis defectus proueniant, illum admonere, modò absque scandalo id fieri possit.

Aduertimus paritér, quòd si defectus, vel error, non est circà substantiam Sacramenti; sed potiùs circà aliquid accidentale tendens in damnum tertij, puta, quandò Confessarius, cum mortali aduertentia positiué dixit, quód pœnitens non tenebatur restituere, cum esset obligatus, tùnc Confessarius tenetur errorem detegere, vel si hoc fieri nequeat, ex iusto titulo, damnum alteri secutum, stante suo prauo consilio, resarcire debet.

Huiusmòdi obligatio prouenit ex iustitia commutatiua præcipiente, vt ius alienum seruetur illæsum, & læsum in pristinum reducatur. Idem dici potest de Consulente furtum, quoad emendationem, & adæquatam restitutionem; ac insupér, si Confessarius malitiosé pœnitentem coegit ad restituendum, quod non debebat, vel aliquam prauam opinionem consulit, ex qua sequi poterit damnum tàm tertij, quàm pœnitentis.

At veró si non positiuè; sed omissiuè silendo, Confessarius pœnitentem non obligauit ad restituendum alienum eodem modo distinguendum est: nàm si accidit ex malitia tenebitur etiàm cum graui suo incommodo. Secùs tamen si inculpabilitér omissa fuit admonitio, in quo casu non teneretur ex iustitia ad restituendum damnum tertio, vel pœnitenti secutum; sed tantùm ex religione, Fillucius.

Dicimus deniqué, quòd si error contingat, non circà damnum tertij, sed circà confessionis integritatem, quià, nimirùm, Confessarius omisit aliquem numerum, vel peccàtum, vel saltém peccati circumstantiam, interrogare, regularitèr loquendo, ad nil aliud Confessarius tenetur, nisi ad agendam sui commissi erroris pœnitentiam.

Quàm

Quam probitatem, & scientiam Confessarius habere debeat?

CIrcà Ministri probitatem huius Sacramenti, dicimus, quòd illa minimè requiritur ad hoc,vt Sacramentum validum reddatur; nec minùs, quòd in gratia existat, neque quòd fidem habeat, quia Sacerdos in culpa lethali adhùc existens, vel si fuerit hæreticus, modò occultus, potest hoc Sacramentum validè conficere,si reliqua essentialia minimè desint: omnes communitèr.

Diximus, *hæreticum occultum*, quià si fuerit publicus, & denunciatus,hoc Sacramentum minimé validè administrare poterit, & hoc non ex probitatis defectu, sed iurisdictionis prouenit, quandoquidèm ab Ecclesiastica censurà huiusmòdi validus vsus impeditur, est sententia Catholica, de qua nemo dubitare potest.

Quòd si sermo instituatur de licita huius Sacramenti administratione, Confessarius tenetur sub mortali, dùm sacramentalitér absoluit se in statu gratiæ constituere, alioquin peccatum sacrilegij, & valdè graue committit; facilé tamèn Confessarius lethalis peccati conscius, & requisitus confessiones audire huius sacrilegij culpam euadere potest, si contritionis saltèm existimatæ, verùm actum eliciat.

Circá scientiam huius Sacramenti Ministri,hoc in vniuersum dicendum est, quòd tanta, ac talis Confessario est necessaria, quæ moralitér loquendo, sufficere valeat ad rité, & digné hoc munus obeundum sit, ponderatis locis, temporibus, ac personis, quarum personarum confessiones fuerint, excipiendæ. Sotus in 4. dist. 17. sect. 2. & alij communitér.

De suscipiente, eiusque præceptis.

Cui nàm sit hoc Sacramentum conferendum, & quid suscipiens obseruare debeat?

Dicimus primò, subiectum idoneum, & aptum ad huiusmòdi Sacramentum recipiendum, esse solùm hominem baptizatum, ac ratione vtentem. Quòd debeat esse viator baptizatus, patet ex dictis de Sacramentis in communi. Quòd verò spectat ad vsum rationis; est communissima Doctorum sententia.

Quód tandèm pertinet ad perpetuò amentes, vel infantes vsu rationis carentes, huiusmòdi Sacramenti pœnitentiæ minimè sunt capaces, quiá inter alia, hoc Sacramentum requirit, vt suscipientes liberum actum, verum dolorem, & efficax propositum habeant; quorum operum bonorum Infantes, & perpetuò amentes incapaces redduntur.

Attamén si quis non fuerit perpetuò amens, eò, quia aliquandò vsum rationis habeat, hic huius Sacramenti vtique capax erit; dummodò formalitèr illud explicitè petierit, vel saltém virtualitèr, antequàm in amentiam, vel frenesim incideret: puta, quiá tempore suæ sanæ mentis, signa pœnitentiæ exhibuerit, vel aliundè fuerit benè dispositus, quòd sempèr præsumitur, vsque dùm de contrario non constet, vt aliàs pluriés diximus.

Dicimus secundó. Quemlibet fidelem instantis tempore mortis, teneri sacramentalitèr confiteri, si copiam Confessarij habeat, & paritèr culpæ lethalis sit conscius, nunquàm tamèn dimissæ, vel saltèm indirectè remissæ, quià vrget diuinum præceptum, ac insupèr, quià sub mortali quisque tenetur in extremo vitæ periculo, eo, quo meliori modo potest suæ spirituali saluti consulere, vt hoc Sacramentum, tanquàm medium à Christo institutum, ad consequendam gloriam, recipiat.

Dici-

Dicimus tertiò, & vltimò iuxtà cap. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* quemcumque fidelem dummodò doli capacem, semél in anno teneri sua confiteri peccata proprio Sacerdoti, nimirùm, Parocho, quandò alium confessarium minimè commodè habere possit, saltém Regularem, qui á Sancta Sede Apostolica tali priuilegio non caret.

De Sigillo Sacramentalis Confessionis.

QVæres. Quo iure, & á quibus sit seruandum sacræ confessionis sigillum! Respondetur, cum Bonac in de Sacram. pœnit. disp. 5. q. 6, sect. 5. n. 1. *Sigillum confessionis esse obligationem, qua Confessarius ea reticere tenetur, quæ sibi manifestata fuerunt per confessionem.*

Dicitur sigillum per methaphoram, quiá sicùti ea, quæ in litteris sigillo munitis continentur, minimè legi possunt, alijsque manifestari, ità à simili verbis, aut signis, aut saltèm factis directè, vel indirectè ea, quæ audita sunt in confessione, vel aliquo modo, pertinent ad ipsam confessionem, quatenùs tamén est confessio, neque manifestari possunt.

Ex quo sequitur teneri confessarium audita confessione reticere, de iure diuino, naturali, & Ecclesiastico. Diuino, quià confessarius vices gerit Dei, & sicùt Deus remittit peccata, eorumque obliuiscitur. Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata,* & Ezech. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs.*

Ità à simili quoque Confessarius, vti Christi Minister omnia peccata in confessione audita prorsùs, immò sempér, & ad sempèr tenetur abscondere, & fortiús, quiá sub hoc eodem sigillo, creditur huiusmòdi Secramentum pœnitentiæ prò vniuersali salute instituisse Christum Redemptorem.

Diximus, *iure naturali*, quiá si aliquid sub secreto extrá confessionem ille, cui fuit reuelatum secretum, tenetur hoc ius, & secretum illæsum conseruare, & illud violando peccaret, contrá exhibitam fidem, & ad restitutionem pariter tenetur, si ex illa iniusta manifestatione aliquod notabile damnum pœnitenti sequeretur, à fortiori igitùr Confessarius percepta in confessione, silere tenetur.

Diximus paritèr, *Ecclesiastico iure*. Quiá Confessarius sigillum seruare tenetur, ex cap. aliás citato. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* vbi strictissimé confessarijs præcipitur, immò sub quamplurimis pœnis ad ipsius exactã obseruantiam, vide Menochium de arbitrarijs, & Mascardum in præsenti relatos à Bonacina.

Est talis, ac tanta huius sigilli obligatio, quód ob vllum finem licèt optimum, & præstantissimum poterit vnquàm frangi, aut violari. Immó omnes, vnanimi consensu, expresè firmant, in fractione sigilli, minimè dari potest paruitas materiæ, patet ex cap. *omnis vtriusque sexus*, pluriès citat. & paritèr habetur ex cap. *Sacerdos de pœnit. dict. 6.* ibi.

Sacerdos antè omnia caueat, nè de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nequè quòd absit prò aliquo scandalo: nàm si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

Quæres quænám sub sigillum cadant? Respondetur. Quodcumque mortale peccatum, siuè in genere, siué in particulari, etiámsi, cui peccata reuelantur minimè intelligat ea in confessione fuisse cognita, & consequentèr si hoc modo manifestentur, adhùc enormissimum committeretur sacrilegium. Bonacina.

Cadunt sub sigillum circumstantiæ omniùm peccatorum. Ratio est, quiá circumstantiæ, vel sunt proprié peccata, vel valdè immediaté ad ea pertinentes. Rursùs sub idem sigillum etiám cadunt obiecta peccatorum; Vndé si quis confiteatur e. g. Titium esse furem, concubinarium, adul-

adulterum &c. Confessarius absque fractione sigilli hæc minimè posset reuelare, eó, quòd obiecta à pœnitente confessa, adhùc pertinent ad Sacramentalem confessionem.

Materia huiusmódi sigilli, sunt omnia, quæ à pœnitente manifestantur ad meliùs sua declaranda peccata, etiámsi minimé peccata sint, vt si quis diceret e.g. se esse ex hæbreis genitum, vel illegitimum, aut quid simile, essent hæc vtique sub sigillo seruanda, licèt huic sententiæ opponantur nonnulli, & præsertim Ledesma.

Peccata etiám publica sunt materia sigilli, vndè confessarius minimè dicere poterit, sibi magno dolore confessum fuisse publicum furem, aut publicum homicidam. Secùs verò si alia via à confessario hæc scirentur, quandoquidèm de his loqui posset. Sed cautè, né audientes suspicarentur illum, confessionem reuelare: itá S. Angelicus Doctor.

Quæ hactenùs firmauimus intelligenda sunt, vt non extrà confessionem manifestentnr simùl reuelando pœnitentem; nàm alioqui manifestare peccata in genere, & in confessione audita, retento prorsùs peccatore, & quandó vllum est periculum, quòd audientes veniant in cognitionem personæ, quæ ea confessa est, non enim faceret contrá sigillum, neque vllum peccatum in rigore reuelare, sed meliùs faceret Confessarius, si etiàm ab his peccatis, eo modo manifestatis, loqui abstineret.

Quæres vltimó. An Confessarius vti possit notitia in confessione habita in ordine ad dirigendas aliquas act iones exteriores pœnitentis? Respondetur, ex probabiliori sententia id licere si prudentèr fiat, quandò nimirùm, vsus huius notitiæ, non esset causa, vt pœnitens pudore suffunderetur, & à confessione retrahatur; Syluester, & alij in præsenti cùm Bonacina.

Ex notata sententia deduci posset, quód si Confessarius in confessione nouit se à pœnitente occidendum, qui id exe-

exequi nequit absque scoplo, vel gladio, quibus caret, eò, quòd Confessario commodauerit, tunc dicimus, posse Confessarium huic pœnitenti gladium, vel sclopum denegare. Similitèr si Confessarius nouit eum, cui ipse confitebatur non esse Sacerdotem, aùt minimé iurisdictionem habere, quod in conessione audiuit, non ampliùs illi confiteri poterit.

Nec silendum est, quòd si Confessarius in confessione nouit se tali die, ad necem expectari, eadem die è domo non egredi poterit. Sicùti posset illud vinum in Missa adhibere, vel alitèr non bibere, in quo ex confessione sciret admixtum fuisse venenum. Ratio est, quiá in his, & similibus casibus, ex vsu talis notitiæ, nec confusio in pœnitente, neque auersio á confessione potest rationabilitèr oriri. Est opinio, quám multi defendunt.

Oppositam tamèn, vti probabiliorem sententiam tenent Riccard, Nauarrus, & alij, asserentes Confessarium, gladiũ restituere teneri, è domo exire, siluam, in qua insidiæ sunt paratæ, introire, venenatum vinum bibere, quandò de his, & similibus, notitia habita fuit in confessione, quia alioqui hoc esset indirecté confessionem reuelare, quæ est illicita.

SECTIO VLTIMA.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

QVæres, quinám sint præcipui effectus huius Sacramenti? Respondetur. Principalis, & primarius effectus est remissio omnium, & quorucumque grauiumpeccatorum; ità vt nulla sint peccata enormia, & in quocumque numero excedentia, quæ per Sacramentum pœnitentiæ minimè remitti possint. Ex quo fit Deum nemini certum numerum, neque certum peccatorum genus constituere, vltrà

quæ

quæ hominibus per suum auxilium, suamque deneget misericordiam. S. Thom. in præsenti communitèr receptus.

Secundus effectus, est remissio peccatorum, non solùm commissorum; verùm etiám oblitorum, aùt iusta causa omissorum, quæ indirectè dicuntur remissa, vt aliàs fusiùs firmauimus. Nihilominùs remanet obligatio huiusmòdi peccatorum indirecté remissorum, iterùm confitendi, vt liquidó patet ex dictis.

Tertius effectus est, remissio pœnæ æternæ, & eiusdem in temporalem commutatio, quandoquidém per huiusmòdi Sacramentum pœnitentiæ, rité, & rectè tamèn susceptum pœna æterna infernalis, non solùm remittitur, verùm etiàm in pœnam Purgatorij commutatur. Est de fide, vt habetur ex Tridentino sess. 6. cap. 14. & canon. 30. ibi.

Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ità culpam remitti, & reatum æternę pœnæ deleri, dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequàm ad regna Cęlorum aditus patere possit, anathema sit.

Quartus effectus, est collatio Sacramentalis, per quam pœnitens, efficitur cautiùs, & magis roboratur ad resistendum diabolicis tentationibus, vt omnes Doctores firmant. & hæc satis de Sacramento pœnitentiæ.

DISPVTATIO SEXTA.

De Extrema Vnctione.

SECTIO I.

De materia, & forma huius Sacramenti.

SVpponimus Extremam Vnctionem, esse veré, & propriè Sacramentum. Habetur ex Conc. Florentino, &

Tri-

Tridentino sess. 14. cap. 1. ibi. *Instituta est autèm sacra hæc vnctio infirmorum, tanquàm verè, & propriè Sacramentum noui testamenti à Christo Domino nostro, apùd Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autèm Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur (inquit) quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent supèr eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei &c.*

Supponimus insupèr hoc Sacramentum fuisse institutum, quoad designationem materiæ, & formæ in nocte vltimæ Cœnæ, ac etiám quoad potestatem illud administrandi, sed minimè quoad vsum, quandoquidém pòst Dominicam Resurrectionem sumpsit exordium, vt obseruant Doctores communitèr; his positis.

Quæres. Quæ nàm sit huius Sacramenti materia? Respõdetur. Materiam remotam esse oleum oliuarum, habetur ex suprá citatis Concilijs, & adhùc etiám probatur ex Verbis D. Iacobi, ibi. *Vngentes eum oleo.*

Oleum est certum, quòd debet esse benedictum, si loquamur de necessitate præcepti. De necessitate verò Sacramenti, est magna intér Doctores controuersia; nonnulli enim asserunt ad validitatem Sacramenti sufficere oleũ simplex absquè benedictione, quiá Iacobus Apostolus simplicitèr dixit *oleum*, non tamèn benedictum; itá Caiet. Nauar. & alij.

Contraria sententia communior est, asserens requiri prò materia, benedictionem olei: quiá Concilia Florentinũ, & Tridentinum dicunt materiam huius Sacramenti esse oleum benedictum, vt colligitur ex illis verbis. *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.*

Materia proxima huius Sacramenti est vnctio, habetur ex textu D. Iacobi, ibi. *Vngentes eum oleo*, & ex Tridentino citato. *Nàm vnctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam,*

qua

qua inuisibilitèr amima ægrotantis inungitur, repræsentat; formam deindè esse illa verba per istam Sanctam Vnctionem &c.

Necessarium non est, vt vnctio fiat per modum crucis, néc necessitate Sacramenti, quiá non colligitur ex traditione, scriptura, vel Concilijs. Neque de necessitate præcepti. Quarè si ægrotus simplicitér, absque tamén contẽptu, & scandalo, vngeretur non esset culpa lethalis, licèt Tabiena, Sylucster, & alij, contrariam sustineant sententiã.

Vnctiones à Conc. Florentino septèm numerantur, nempè, in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, & renibus. Quintuplex vnctio in quinque sensibus ex præcepto adhiberi debet, secundùm Doctorem Angelicum: Aliæ verò duæ, nimirùm, in renibus, & pedibus, sub præcepto minimè cadunt. Vnctio in fœminis circà renes fieri non debet, ac etiám in viris, quandò vix moueri possunt ob infirmitatem.

Huius Sacramenti forma est. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam,] indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti &c.* Quæ deindè sempér est repetenda, quandò aliæ partes distinctæ vnguntur, partem illam vngitur explicando, & hoc ex consuetudine, & ratione præcepti, vt patet ex Ecclesiastico vsu. Definitio dicitur. *Est Sacramentum Extremæ Vnctionis signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur. oleo benedicto, sub præscripta verborum forma.* Bonacina.

SECTIO II.

De Ministris huius Sacramenti, eiusque præceptis.

QVæres, quis sit huius Sacramenti Minister, & quæ eius præcepta? Respondetur quoad primam partem,

Ministrum esse solum Sacerdotem, & sic etiám in casu extremæ necessitatis, minimé potest inferior Sacerdote : hoc Sacramento administrare. Probatur ex traditione Ecclesiæ latinæ, & Concilijs. Et fortiùs ex D. Iacobi verbis, ibi, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, nimirùm, *Sacerdotes*.

Minister necessarius regularitèr, est Parochus in suas oues, quiá retinet iurisdictionem, si verò ipse iniquè nollet vngere infirmum, in casu necessitatis, quilibet Sacerdos illud administrare poterit, iurisdictio tùnc præsumeretur ab Episcopo, vel à Papa concessa, quiá hoc non cederet in alienæ iurisdictionis vsurpationem, sed potiùs in defensionem boni iuris, infirmo assistentis. Est communis.

Tria saltém Minister seruare tenetur. Primò ad conferendum fidelibus hoc Sacramentum, quandó id tempus opportunum requirit, posita notabili negligentia, peccaret mortalitér, si est Minister ex officio. Secundò debet esse in gratia saltèm per existimatam contritionem. Tertio quòd administretur ęgroto conuenientèr disposito, & iuxtà ritum Ecclesiæ : omnes communitér.

Parochus tempore pestis cum morali suæ propriæ vitæ periculo absolutè, non tenetur illud administrare, quià non est Sacramentum necessitatis, & alioqui infirmus Sacramentis Confessionis, & Communionis sufficientèr coadiuuari poterit.

Diximus, *Parochum absolutè non teneri*, dummodò huiusmòdi limitatio concurrat, scilicét, nisi Parochus moralitèr certus esset, quod infirmus extaret siné culpa læthali, & aliundè propriæ suæ vitæ periculum immineret. Hoc idem proportionalitér de SS. Eucharistia dici potest secundùm communem sententiam.

SE-

SECTIO III.

De suscipiente, eiusque praeceptis.

HViusmòdi Sacramenti adæquatum subiectum, est homo baptizatus, ratione vtens. Hæc conclusio patet ex dictis de Sacramentis in communi. Sèd tota difficultas est circà illam particulam, *ratione vtens*.

Dicimus igitùr; quód si homo baptizatus, non sit perpetuò amens, sed aliquandò vsum rationis habuit, vtiqué erit huius Sacramenti capax, dummodò formalitèr illud petierit, ac explicitè antequàm vsum rationis amitteret, vel saltém virtualitér, quiá, nimirùm, exhibuit signa pœnitentiæ, vel aliundé bené præsumitur, quód est semper præsumendum, nisi contrarium constet. Nauar. & alij communitèr.

Hoc Sacramentum recipiens, corpore debet esse infirmus, ea nimirùm, ægritudine, quæ ex se mortis affert periculum, alioquin si huiusmòdi infirmitas talis non sit, minimè ministrari poterit, quandoquidém sic colligatur ex illis Iacobi verbis. *Infirmatur quis in vobis &c.* est communis Ecclesiæ praxis, & paritér habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ibi.

Declaratur etiàm esse hanc vnctionem infirmis exhibendã; illis verò præsertim, qui tàm periculosè decumberent, vel in exitu vitæ constituti videantur, vndè Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterùm huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

Ex notatis igitùr inferre possumus, quòd licét quis existat in mortis periculo, vt est mòx suspendendus, nauigaturus, prœlium commissurus &c. non autèm corpore infirmus, huius Sacramenti est incapax, quandoquidém huius-

mòdi periculum minimè ex corporis infirmitate proueniat.

Ac non minùs similitér inferri possumus huiusmòdi Sacramenti minimè esse capaces de recenti parturientes, præscindimus tamén ab eo tempore, quandò actu nimiùm sunt agitatæ doloribus, cum saltèm in mortali periculo existant.

Idemque firmare possumus circá lethalitér vulneratos, veneno infectos, morsu viperarum læsos, & similes, esse huiusmòdi Sacramenti capaces, quandoquidém in se habent probabilem mortis causam, ex ipsa infirmitate inferendam, vt omnes recentiores fatentur.

Neque enim regularitér loquendo, expectandum erit, vt ægrotus vsu rationis priuetur, néc minùs, vt in tali constituatur statu, vt naturalitèr nequaquàm viuere possit. Adhibenda siquidem erit omnis prudentia, & circumspectio moralis, né infirmus debitis careat spiritualibus remedijs est communis.

Circà verò vnctiones dicimus quinque corporis partes esse inungendas, in quibus quinque sensus vigent, vt aliàs firmauimus. Quód si organo alicuius sensus, puta, oculo, manu &c. carere contingat, ille vngatur situs, in quo huiusmòdi sensus residere debebat, & sic carendo manu pars manui proxima vngatur, si brachio, brachio propinquior. itá omnes.

Tempore verò contagij, vel alterius grauis necessitatis vtiquè satis sufficiens esset vnam, vel saltém aliam solummodò partem vngere; sed tamén magis expositam, & non minùs commodam, proferendo, vt moris est, simùl præscriptam formam, vt firmat Layman. lib.5.tract.8.cap.3.nu.3. & alij apùd ipsum.

Quòd si necessitas màximè vrgens, & extrema esset; nec minùs commodè, nec omnes ægrotantis partes singillatim inungi possent, tùnc satis superque erít, vnum vngere oculum, vnam manum, vnam aurem, & sic de alijs simili-

militèr: ità Zambranus de casibus tempore mortis occurrentibus cap.5.n.9. Layman vbi suprà.

Duo deniquè sunt à suscipiente seruanda præcepta. Primum, vt reuerà ab ipso tanquàm infirmo hoc Sacramentum suscipiatur, quod tamén sub mortali minimè obligat, vt firmat in præsenti Conink. & inclinat Suarez, quòd non sit peccatum mortale, patet, quià non est medium necessarium, sed vtile ad salutem, licèt alij contrarium sustineant.

Secundum præceptum est, vt recipiens hoc Sacramentum digné disponatur. Digna autèm dispositio est, vt si quis in culpa lethali existat, saltém attritionem existimatam contritionem habeat, si copia Confessarij careat. Quòd si extrà huiusmòdi casus esset, & promptum Confessarium haberet, sub mortali, confessionem præmittere debet. Vide in præsenti Bonacinam, & alios apud eandem.

SECTIO VLTIMA.

De aliquibus huius Sacramenti effectibus.

QVæres. Quinám sint huiusmòdi Sacramenti effectus? Resp. proprium huius Sacramenti effectum, esse reliquias peccatorum tollere. Reliquias hìc intelligimus peccata mortalia, vel venialia, quæ interdùm pòst alia Sacramenta supersunt, vel posteà commissa sunt, vel non sunt remissa per priora Sacramenta malé suscepta, sed ignorantér, & inuincibilitèr, & sic infirmus, non potest ea confiteri, patet ex verbis S. Iacobi ibi. *Et si in peccatis sit remittuntur ei.*

Non minùs asserimus corporis sanitatem adhùc etiám esse huiusmòdi Sacramenti effectum. Est de fide. Colligitur paritèr ex eisdem Hierosolymitani primi Episcopi verbis, ibi; *& alleuiabit eum Dominus*. Sed hoc conditionaté in-


intelligendum est, nimirùm, si ægroti saluti spirituali expediat, corporalem salutem recuperare, ità Trid. sess. 14. can. 2. ibi.

Si quis dixerit, Sacram infirmorum Vnctionem, non conferre gratiam, nèc remittere peccata, nèc alleuiare infirmos: Sèd iàm cessare, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.

Et vltimò adhùc firmamus, hoc Sacramentum suos præstare effectus, non priùsquàm postrema perficiatur vnctio, cum sua essentiali forma, debitaque intentione ministri, vt dixit Angelicus Doctor, Sotus, & alij. Non est tamén improbabile, quòd per singulas vnctiones partialis conferatur gratia, vt aiunt in præsenti aliqui apùd Suarez.

Ex prima tamèn sententia sequeretur, quòd nihil gratiæ confertur, nisi quinta, & vltima vnctio perficiatur, vndè si priùs moreretur infirmus, ipsi hoc Sacramentum minimé prodesset. Ex secunda verò inferri posset, & probabilitèr, aliquandò per singulas vnctiones partialitér gratiam conferre, ità in præsenti Filluccius.

Immò néc improbabile videtur, quòd si minister in prima vnctione, totum velit conficere Sacramentum, totalis gratia, & Sacramentalis conferatur effectus. Reliquæ verò vnctiones in tali casu, ad Sacramentum pertinerent, tanquám partes eiusdem integrales, néc est improbabilis opinio apùd nonnullos recentiores.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Ordine.

SECTIO I.

De numero, materia, forma, & essentia Sacramenti Ordinis.

QVæres, quid sit ordo? Resp. *Est Sacramentum, quo specialis potestas traditur ordinato ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi in Sacrificio Missæ*, itá S. Angelicus Doctor; & Bonacina in præsenti disp. 8. q. vnica p. 1.

Dicitur, *Sacramentum*, quiá est signum sensibile, vt est manuum impositio, quo gratia, *ex opere operato*, confertur, & traditur potestas circá SS. Eucharistiam, vel mediaté, vel immediatè, & sic tàm ordines minores, quàm maiores comprehenduntur.

Dicitur paritèr hoc Sacramentum, *Ordo*, quiá per illum ordinem suscipiens constituitur in quodam gradu, nempè, Ecclesiastico ordine. Quód sit Sacramentum patet ex Tridentino infrá. Fuit autém in vltima Cœna á Christo institutum, quandó Apostolis dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quorum verborum huiusmòdi esse sensum docet Sotus, & alij in præsenti *Sicùti ego Eucharistiam consecro, & offero, similitèr vos Sacerdotes, & Episcopos instituo, & sic. Accipite potestatem consecrandi Eucharistiam, eamque in Missa Sacrificio offerendi.*

Sacrificium, & Sacerdotium (ait Trid. sess. 23. cap. 1.) *in Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit.*

rit. Cum igitùr in nouo testamento S.Euch.Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiàm oportet, in ea nouum esse visibile, & externum Sacerdotium, in quo vetus translatum est.

Hoc autèm ab eodem Domino Saluatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem eius, necnon, & peccata dimittendi, & renitendi, Sacra littera ostendunt, & Catholica Ecclesia traditio semper docuit.

Quæres, quòt fuerint ordines à Christo iustituti? Resp. septem, nimirùm, Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij. Ratio est, quiá, sicùti actus, qui circà SS. Eucharistiam mediaté, vel immediaté exercere possunt sunt septem; ità paritèr ad huiusmòdi actus debent esse ordines, seù potestates.

Primus est actus consecrandi, qui pertinet ad Sacerdotem. Secundus est actus immediatè ministrandi, & hic pertinet ad Diaconum. Tertius est actus præparandi materiam, quòd facit Subdiaconus. Quartus est istã præparare, & præsentare Subdiacono, & hoc munus Acolythi est.

Tres deniqué reliqui actus circà susceptionem SS, Eucharistiæ versantur, & ità infideles expellit ostiarius. Lector instruit, & Exorcista à Dæmone liberat oppressos, itá Bonacina de Sacramentis disp.8. q. vnica, & quamplurij alij, quos ipse citat, & sequitur. Colligitur paritèr ex Tridentino sess.23.cap.2.ibi.

Cum autèm, &c. Nàm non solùm de Sacerdotibus, sed, & de Diaconis Sacra littera, apertam mentionem faciunt, & qua maximè in illorum ordinatione attendenda sunt; grauissimis verbis docent, & ab ipso Ecclesia initio sequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria.

Subdiaconi scilicèt, Acolythi, Exorcista, Lectoris, & ostiarij in vsu fuisse cognoscuntur, quamuis non pari gradu, nàm Subdiaconi ad maiores ordines à Patribus, & Sacris Concilijs refer-

fertur, in quibus, & de alijs inferioribus frequentissimè legimus.

Dubium hic magnum ad præsens suboritur de Episcopatu, an nimirùm, sit ordo ab alijs distinctus? Respondere possumus secundùm communem sententiam huiusmodi ordinem, minimè ab ordine Sacerdotali distingui. Sotus in 4. sent. dist. 24. q. 2. ar. 3. hæc sequentia recenset.

Ad 2. arg. S. Thom. loc. cit. præsenti dist. respondet, quòd licèt Episcopo detur aliqua potestas, non solùm iurisdictionis, sed etiàm ordinis suprà illam quam habet simplex Sacerdos, nihilominùs illa non habet, ratione noui characteris, quià omnis character ordinis, ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur.

Episcopus verò, non tám ordinari dicitur ad illud Sacramentum, quàm eius facultatem præsupponere, & ideò licèt Diaconatus, quià per se potest esse Diaconus, antequàm sit Presbyter characterem per se imprimat, tamén Episcopus, quià non est via ad Sacerdotiũ, sed illud præsupponit, illudque perficiat, non imprimit characterem nouum; sed idem ipse character Sacerdotalis, dùm Sacerdos in Episcopum consecratur, fit exterior, & amplior, extenditur ad aliqua munera exequenda, quæ anteà nequiuerat.

Bonacina vbi suprà, licèt duplicem afferat sententiam, concludit tandém nullo modo dici posse Episcopatum esse ordinem, loquendo propriè de ordine, per quem confertur peculiaris potestas ad conficiendum Christi Corpus, & ad sacrificandum, seù loquendo de ordine propriè distincto à Sacerdotio.

Ratio est, quiá sequeretur octo esse ordines, quòd videtur contrá communem sententiam admittentem septém tantummodò ordines, & insupér, quià Sacerdos habet eandem potestatem circà sacrificium, quam habet Episcopus, quamuìs per Episcopatum conferatur peculiaris potestas, & character Sacerdotalis quodammodò extendatur, ad creãdos Sacerdotes, tamèn character Episcopatus, & character

Sacerdotalis propriè non dicuntur duo ordines, ſed vnus, qui dicitur extendi, & perfici in Epiſcopatu, vnumque integrum, & perfectum ordinem conſtituit, ſicùt non dicuntur duo ordines quandò Sacerdos accipit poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti, & poteſtatem abſoluendi à peccatis, ſed prior dicitur extendi, & perfici.

De prima tonſura nil aliud dicendum eſt, niſi quòd non ſit ordo, ſed quædam præparatio, & initium ad ordines, eò, quià per eam nulla conferatur poteſtas mediatè miniſtrandi circá SS. Euchariſtiam, ſicùt in alijs minoribus ordinibus confertur, ſed tantùm ad ordines diſponit, vt cathechiſmus ad Baptiſmum. ità omnes Theologi, licèt Canoniſtæ, tàm in Epiſcopatu, quàm in prima tonſura oppoſitum ſuſtineant.

Quæres, an omnes ordines ex ſe ſingillatìm ſuſcepti, ſint Sacramentum? licèt adæquata reſponſio ex citato Bonacina habeatur, nihilominùs hìc inſupér addimus Sacerdotium eſſe Sacramentum, ex Conc. Florent. & Trid. de Epiſcopatu, & Diaconatu, Theologi omnes id firmant, ac etiàm de Subdiaconatu, quiá hic ordo imprimit characterem, & habet votum caſtitatis, vt Diaconatus annexum.

Reliqui verò ordines eſſe etiàm Sacramentum non ambigitur, vt diximus. Ratio ex abundanti refertur, quià minores ordines minimè iterari poſſunt, & fortiùs, quiá per huiuſmòdi ordines ordinatus in certo gradu, & ordine Eccleſiaſtico circà miniſterium ſaltém mediatum ad SS. Euchariſtiam, conſtituitur.

Quæres, quænám ſit materia ordinis in communi? Reſp. Materiam remotam eſſe aliquod inſtrumentum, vel librũ, vel vas, quód traditur ordinandis in ſignum poteſtatis, nimirùm, ſpiritualis, quem ipſi recipiunt. Proximam verò eſſe traditionem talium rerum ex parte ordinantis, & earumdem acceptationem ex parte ordinati, omnes communitér.

Dubitabis, debent né dicta inſtrumenta ab ordinandis Phy-

Physicé tangi ? Resp. quòd duplex esse potest alicuius rei contactus. Physicus scilicèt, & moralis. Physicus contactus est realis, & immediata duorum extremorum coniunctio. Moralis est aliquod externũ signum, quo aliquid reputatur moralitèr tangi, hoc est, æquiualentèr, ac si physicé fuisset adhibitus contactus.

Modò ponimus exemplum. Si quis Episcopi vestes deoscularetur, potest eas tangere physicè, & moralitèr: Physicè si verè eas manu apprehendat, & ori immediatè admoueat: Moralitér verò si tantũ manu illas, non apprehendat, sed ostendat apprehendere, & ori admouere, realitèr tamẽ nec manu tangit, neque ore osculatur. His igitùr positis.

Dubium est, quandò ordinandus instrumenta tangere debeat ? Dicimus Episcopos in conferendis ordinibus debere omnia materialia instrumenta tangere, quiá idem debet esse, qui profert verba significantia traditionem potestatis spiritualis, & qui tradit materiam. Sicùti in Baptismo, idem debet esse, qui profert verba significantia ablutionem, & qui abluit; alioquin sensus formæ redderetur falsus; ergò idem dicendum est de Episcopo instrumenta tradente, itá in præsenti S.Tho.

Dicimus insupèr, licèt respectu ordinandorum, quòd pertinet ad ordinum validitatem probabilis sit opinio, contactum moralem esse sufficientem nimirùm, manuũ extentionem, ostendendo se illas materias, siué instrumenta, de quibus diximus, ab ordinante acceptare, vt docet Angelicus Doctor, Sotus, & alij.

Nihilominùs probabiliùs, & tutiùs est physicé materiam tangere, tùm quiá est communior opinio, tùm quià id probat vniuersalis vsus Ecclesiæ. Quarè licèt prior sententia pòst factum ad tollendos scrupulos suaderi possit; posterior tamèn antè factum sempèr est consulenda cum de præcepto physicé sint instrumenta tangenda; quòd præsertím in ordine sacerdotali est seruandum, vt optimè Caietanus probat.

Aliud emergit dubium, nimirùm, an quandò vnus confertur ordo, & plura adhibentur instrumenta sit necessarium omnia illa tangere? Resp. Si per diuersa instrumenta, diuersa tradatur potestas, omnia equidém sunt tangenda, quià per contactum ex parte ordinandi ponitur acceptatio.

Et sic firmamus, quód si non ponitur contactus nec physicus, neque moralis, nec minùs ponetur acceptatio, quam superiùs diximus esse materiam proximam huius Sacramenti, & consequentèr saltèm quoàd huiusmòdi partem irritus esset ordo.

Si verò per diuersa instrumenta eadem traditur potestas, necessè minimè erit ad ordinis validitatem omnia tangere, cum vnius contactus satis esse possit, & Acolytó sufficiens erit vnum vrceolum tangere ex duobus, quæ traduntur, & Subdiacono, cui traditur patena, & Calix Calicem satis erit tangere. Sotus, Syluester, & alij.

Nec silendum est optimum imperitis tradere documentum, & hoc ex præcepto ad vitandum scrupulum cum vtrumque, scilicèt, instrumentum omninò tangatur, vt habetur in Pontificali Romano, sicùti ex eodem satis esset ad valorem ordinis vna manu instrumenta tangere. Alij verò dicunt, vtraque manu esse instrumenta tangenda.

Quæres, quæ sit materia cuiusque ordinis in particulari? Resp. materiam gradus Episcopalis, licèt nonnulli velint esse capitis vnctionem, mitræ impositionem, baculi in manu traditionem, anulum in digito, librum Euangeliorum, manuum super caput impositionem.

Probabilius nihilominùs videtur solummodò esse manuum impositionem. Cętera verò esse Sacramentalia, & Cęremonias de iure Ecclesiastico institutas. Est probabilis opinio, quam in præsenti sequitur Fillucius cum alijs communitèr.

Asserimus insupèr, cum in Sacerdotio duplex conferatur potestas, vna panem, & vinum consecrandi; alia verò remittendi peccata, duplicem quoquè in hoc ordine esse

materiam, cum duplici forma, & quidém materiã, cum qua confertur potestas consecrandi est Calix cum vino, & patena cum hostia: materia veró, qua confertur potestas absoluendi est manuũ impositio super caput ordinandi. Bellarm. & alij communitèr.

Ex quibus benè equidèm patet, ordinem Sacerdotalem integrum, & adæquatum constare ex duabus partialibus ordinationibus, quorum vtraque essentialitèr requiritur ad constituendum perfectum Sacerdotem; & vtraque gratiam Sacramentalem confert, vt bené firmant omnes suprà citati Doctores.

Patet insupèr, quòd cum vtraque potestas diuersis conferatur temporibus, eò, quòd potestàs consècrandi traditur Sacerdoti intèr Missarum solemnia, & potestas absoluendi pòst absolutam Missam, vtique poterit vna absque alia conferri, & in huiusmòdi casu esset hic imperfectus Sacerdos, & consequentér esse tùnc supplendam omissam. Bellar.

Ex communi Doctorum sententia nonnulli hac distinctione vtuntur. Nàm si Sacerdos siné potestate absoluendi solùm potestatem consecrandi recipiat in hoc casu dicunt hanc validé esse collatam, nec ampliùs iterari debere, quià cum Sacerdos antequàm potestatem absoluendi recipiat, & hanc potestatem consecrandi exerceat, siquidém consecrat tùnc temporis cum Episcopo.

Hæc igitùr potestas est independens à potestate absoluendi, qua dùm actu consecrat, caret. Quaré validè consecrandi potestas conferri poterit absque potestate absoluendi. E contrà veró, quiá potestas absoluendi à potestate consecrandi dependet; si absque hac, illa conferatur, inualida erit collatio, & propterea iteranda. Coninck. cum communi.

Et vltimò equidém patet, quòd licét materia integra Sacerdotis sit Calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditio nihilominùs si vna tantummodó ex his traderetur vali-

validè esset ordo collatus, nec ex necessitate iterandus. Quarè si alicui tantùm fuisset traditus Calix cum vino, vel tantùm patena cum hostia, esset vtique verus Sacerdos.

Ratio fundamentalis est, quiá hoc ipso, quo quis recipit potestatem consecrandi vinum, consequentér paritér recipit etiám potestatem consecrandi hostiam, cum vna nequaquàm possit absolutè, & simplicitér separari, vt firmat Armilla, Henriquez, & alij.

Dicimus insupér, materiam ordinis Diaconatus esse traditionem libri Euangeliorum, & manuum impositionem, itá S. Tho. & quidèm quòd manuum impositio sit ordinis materia, ex Sacra Scriptura liquidò constat, vt Bellar. probat, de libri Euangeliorum, traditione ex Concilio Florentino clarè colligitur.

In primitiua autèm Ecclesia, in qua liber Euangeliorum minimé extabat, vel fuit, quòd hoc ad tempus dispensatum à Christo, itàut sine huiusmòdi materia, vt ait Bellarminus, ordo potuisset conferri, vel saltèm, vt asserit Henriquez etiám aliqua dabatur carta, qua materia fidei scripta continebatur.

Materiam ordinis Subdiaconi dicimus esse traditionem Calicis cum patena suprá posita absque hostia, & vino, & paritèr traditionem libri epistolarum. De prima apertè Conc. Florent. & Carthag. loquuntur. De secunda etiám liquidò patet eò, quiá si Diacono pro materia particulari traditur liber Euangeliorum, quiá Euangelia legere debet, itá Subdiacono Epistolarum traditur liber, quiá eas legere paritèr debet.

In Acolyto fatemur esse materiam, traditionem candelabri, & vrceoli vacui, per traditionem primi instrumenti confertur ferendi cereos accensos prò cantu Euangelij. Per traditionem secundi etiám aliquam potestatem conferri, vt firmat S. Thom. in præsenti; quem Filluccius sequitur.

Materiam exorcistæ esse traditionem libri exorcismorum,

rum, & Lectoris prophetiarum, ostiarij traditionem clauium, quibus datur potestas claudendi, & aperiendi Ecclesiam. Rursùs materiam huius ordinis esse traditionem timpani, quo fideles ad Missam conuocantur. Quòd verò spectat ad formam cuiuslibet ordinis videantur Doctores citati.

SECTIO II.

De effectibus ordinum.

QVæres quales nàm sint ordinum effectus? Respondetur, duos præcipuos numerari. Primùm gratiam. Secundùm characterem, & quòd per ordines conferatur gratia, & eius augumentum, *ex opere operato*, manifestè colligitur ex Concilijs superiùs citatis. Vide ampliùs in præsenti Valentiam. Est communis.

Asserimus adhùc omnes ordines etiàm in particulari cum recipiuntur, imprimere characterem, vt fusé osten, dunt Doctores de singul s agentes, idést, tàm de minoribus, quàm de maioribus. Imprimitur eorum character quãdò completè ponitur materia, & profertur debita forma.

In Ecclesia Latina solùm ordines sacri, si é maiores, votum castitatis habent coniunctum, per quòd ordinatus ad matrimonium contrahendum inhabilis redditur. Effectum ordinum insupér addimus esse immunitatem à foro seculari, dum modò ipsi Ecclesiastici in habitu, & tonsura incedant, quòd priuilegium ad primam tonsuram adhùc paritèr extenditur, Bonac.

Quæres, quis nàm sit huius Sacramenti ordinarius minister? Respondetur, esse Episcopum, quià sicùti ordo est quædam dignitas Ecclesiastica, ita debet ab eò conferri, qui in Republica Ecclesiastica, est velùt Princeps. Hic autèm est Episcopus, ergo hanc potestatem retinent Episcopi,

pi,

pi, licét hæretici, scismatici, suspensi, interdicti, & excommunicati fuerint. Imò Episcopatu priuati, quià huiusmòdi potestas per characterem confertur.

Quæres, Quale nàm sit ordinum subiectum? Respondetur, esse omnem masculum Baptizatum, licèt Infantem, insanum, hæreticum, ratione carentem &c. S. Thomas, & alij communitér. Ex quo inferri potest, validè ordinari infantes, & perpetuò vsu rationis carentes.

Probatur ex cap. vnico, *de ijs, qui per saltum ordinantur* vbi decernitur, non esse iterùm ordinandum, qui anté vsum rationis susceperat ordines minorès. Quandoquidém vsus rationis necessarius, in quocunque Sacramento, minimè videtur, vt saltèm patet de Sacramento Baptismi.

Dicimus, *Infantes, & perpetuo vsu rationis carentes, & amentes*, quià si quis rationis compos, deindè in amentiam incidat non potest validé ordinari, si priùs ordinem non petierit, quandoquidèm saltèm præsumatur habitualitér nolle eos recipere, vt notant Coninck, Reginal. & alij in præsenti.

De infantibus tamèn aduertendum est, quòd si Subdiaconatu initiarentur, non tenerentur posteà ex vi ordinis in pueritia suscepti, votum continentiæ seruare, eò, quià votum neminem obligare potest, à quo liberè, implicité, vel explicité non fuerit emissum, & neutrum de infantibus dici potest sic ordinatis, vt docent Doctores citati.

Dicimus paritér fœminas ordinum esse omninò incapaces, ac consequentér nequè posse Sacramenta administrare, cum minimé liceat, illas ad ordines promouere, eò, quià ordines prò obiecto Sacramentorum administrationem habent minùsque legitur Christum instituisse ministros, nisi tantummodò viros ergò fœminæ Sacramenti ordinis remanent incapaces. S. Thom. q. 3. tr. 1. quem intèr alios, refert, & sequitur Bonacina disp. 8. q. vnic. par. 5. num. 5. in præsenti.

Ac vltimò firmanus ad legitimè ordines suscipiendos, multas

multas conditiones requiri. Prima ordinatus debet esse Baptizatus. Secunda, vt sit confirmatus, sed si ordinaretur antè confirmationem peccaret tantùm venialitèr, vt asserit Sotus, Coninck, & alij, contrà Bonacinam dicentem peccare mortalitér.

Author ipse eruditissimus vtriusque partis huiusmòdi conclusionis rationem assignat prò contraria, quià ordo Confirmationis Charactere non indiget. Prò sua verò, quòd mortalitér peccat est, quiá prima initiandi tonsura prohibentur absquè Confirmationis Sacramento, & adducit Trid. sess. 23. cap. 4. ibi.

Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicij fugiendi fraude, sèd, vt Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

Tertia conditio est, vt ordinandus legitimam hábeat aetatem, & qui extrà huiusmòdi aetatem scientér ordinatur suspensionem incurrit. Quòd si ignorantér antè requisitum tempus ordines suscipiantur, suspensio non incurritur, nec vlla irregularitas, cum nulli bona fides nocere debeat. Quarta requiritur sufficientér scientia ad vsum cuiusquè ordinis suscipiendi iuxtà Trid. sess. 23. cap. 11. ibi.

Cumque hinc ad altiores gradus, & Sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo ijs initietur, quem non scientiae spes, maioribus ordinibus dignum ostendat. Hi verò non nisi pòst annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad Sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aùt Ecclesiae vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.

Quinta conditio est, vt vitae probitatis testimonium habeat. Sexta, vt titulo, quandò ad Sacros promouetur ordines, minimè careat. Septima, vt temporum interstitia obseruentur. Octaua, vt non sit irregularis. Nona, vt nulla sit irretitus censura. Decima, vt intentionem habeat suscipiendi ordines. Vndecima, vt sit in gratia con,

ſtitutus per Confeſſionem, vel ſaltém per exiſtimatam contritionem, ſi copiam confeſſarij non habeat, vt aliàs fuſius firmauimus, Vltima deniquè licèt eſſentialis minimè ſit, ſed ſaltèm decens, vt debitis vtatur veſtibus. Et hæc ſatis &c.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Magno Matrimonij Sacramento.

PARS PRIMA.

SECTIO I.

EA enim, quæ ad Matrimonij Sacramentum ſpectant perdifficillima, & innumera ſunt, idcircò ad clariorem intelligentiam eorum, quæ diſputanda erunt, totum hunc tractatum in quatuor diuidemus partes, & earumdem ſingulas in ſuas, proprias Sectiones explicabimus; Quarum prima ſit de Sponſalibus matrimonium præcedentibus tanquàm ad ipſum medijs ordinatis. Secunda de Matrimonio iuxtà ſuam naturam, proprietates, ac ſecundùm ſe. Tertia de eiuſdem Matrimonij proprietatibus. Quarta de impedimentis; ſequentes (licèt ſeniles ſuſtineamus labores) vt moris eſt, inſtitutum Doctorum de huiuſmòdi materia pertractantium.

De Sponſalibus.

Quid ſint Sponſalia, & quæ ad eorum valorem requirantur?

QVæres igitùr primó, vndè ſponſalia dicantur? Reſpondetur, deriuari á verbo *Spondeo*, quòd idem eſt, ac pro-

promitto. Habetur ex Vlpiano *l. 2. de verb. oblig.* erat enim veterum Romanorum mos, vt nuptura puella sponderetur, seú promitteretur à Patre, vel Tutore, vel saltèm ab Amicis, Viro &c. quarè ille *Sponsor, hæc Sponsa* appellata fuit: Vide Seruium Sulpitium apùd Gellium lib. 4. cap. 4.

Sponsalia tamèn sunt in duplici differentia. Alia sunt de præsenti; Alia de futuro. Prima à matrimonio rato, & non consummato minimè differunt, qua acceptione dicitur Matt. cap. 1. *Cum esset desponsata Maria Ioseph, antequàm conuenirent &c.* & adhùc patet ex eodem cap. *Maria Coniux appellatur Iosephi.*

Secunda sponsalia, dicuntur de futuro, quandoquidèm nil aliud sint, nisi promissio futuri Matrimonij. Iuxtà quàm distinctionem. Alia est Sponsa, & Sponsùs de futuro, & alia est sponsa, & sponsus de præsenti. Sponsus, & Sponsa de præsenti sunt, qui per verbum præsens contrahunt matrimonium, dicendo, *Accipio te in meam Vxorem.*

Sponsus, & Sponsa de futuro illi nuncupantur, qui matrimonium per verbum futurum sibi promittunt, matrimonium contrahendum, dicendo, *promitto te accepturum in meam Vxorem.* Et hæc est propria acceptio sponsaliorum, & sic sponsus, & sponsæ dicuntur, vt bené notant Couarruuias in 4. decreto p. 1. cap. 1. in fine, Sanchez de matr. lib. 1. disp. 1. & alij infrà citandi.

Quotiescumque in aliqua dispositione, statuto, testamento &c. de sponsis fit mentio, intelligenda erit de sponsis non de præsenti, sed de futuro, Idemquè dices si sermo sit de marito, vxore, & matrimonio, eò, quòd intelligenda sunt de matrimonio rato, & non consummato, idèst, non secuta copula carnali, quià nuptias non concubitus, sed consensus facit, *l. Nuptias de regulis iuris in 6.*

Dummodò ex scripturæ circumstantijs, & dispositione aliud non appareat, nimirùm, quandò dubium est, an dispositio sit fauorabilis, vel odiosa; nàm si fauorabilis sit nomine vxoris, etiàm sponsa de futuro comprehenditur,

& nomine mariti adhùc paritèr ſponſus de futuro. Secùs ſi odioſa, quià odia ſempér ſunt reſtringenda, & ſic nomine mariti, & vxoris, non veniunt ſponſa, & ſponſus de futuro.

Similitèr in dubio, nomine vxoris, vel mariti, vel ſaltèm matrimonij,non comprehenduntur ſponſalia contracta per verba de præſenti: nec ſponſæ, & ſponſi de præſenti antè conſummationem. Comprehenderentur quidém, ſi materia eſſet fauorabilis, aùt ſaltém indifferens. Sanchez loc. cit. cum communi, licèt contrarium defendat Pontius de matr. lib.12.cap.1.

Ex præmiſſis inferri poteſt, quòd ſi ſtatutum diſponat, vt filia nupta, Patri, vel Marito non ſuccedat, cum hoc ſit odioſum,non eſt intelligendum de ſponſa de futuro. Sicùti ob eandem rationem, vigente ſtatuto, vt abſquê filijs decedente vxore, vir aliquam dotis partem lucretur, ſi ſponſa nondùm cognita obeat (ſed de præſenti) vir nil lucrabitur, quià materia eſt odioſa, & nomine vxoris, non venit ſponſa de præſenti in odioſis.

Quæres, Quid nàm ſint ſponſalia, & quæ ad eius valorem requirantur? Reſpondetur, *Eſt promiſſio mutua futurarum nuptiarum. l.1. ff. de ſponſalibus*, & cap. *noſtrates* . 3. *q.* 5.

Dicitur, *promiſſio*, quià nudum propoſitum promittendi, non eſt ſufficiens ad contrahenda ſponſalia.

Dicitur *mutua*, quià ſponſalia non ſunt, in quibus altero promittente matrimonium, alter non repromittat.

Dicitur *futurarum nuptiarum*,quià per hoc ſponſalia propriè diſtinguntur à matrimonio rato, & conſummato. Bonacina.

Dicimus inſupèr ad ſponſaliorum valorem, tres conditiones requiri. Prima eſt immediata, vera, & deliberata matrimonij promiſſio certę perſonæ facta. Secunda, hæc promiſſio debet eſſe acceptata, & mutua. Tertia aliquo ſigno exteriori ſufficientér acceptari debet, & manifeſtari.

SE-

SECTIO II.

De Sponsaliorum obligatione, & quinàm possint ea contrahere?

SPonsalia legitimè inita sub mortali obligant, igitúr, qui fictè nuptias promittit, vel sinè animo se obligandi lethali culpa non caret, quià in hoc innominato contractu. *Do, vt des*, si vnus promittit, alter repromittere tenetur, alioquin notabile sequeretur damnum præsertim sponsæ. Vix enìm imposterùm nubere posset. Syluest. Nauar. & alij. Cessante tali notabili damno, non teneri ad consentiendum. Sanchez.

Ex his à fortiori dicimus, sponsum, vel sponsam nobilem, & diuitem, qui, vel quæ cum ignobili, vel paupere, hac non ignorata conditione, sponsalia contraxit, teneri stare sponsalibus, & matrimonium cum tali persona inire, nisi talis obligatio spontè remittatur, quià cum sciens, & volens hæc contraxerit sponsalia, non potest ea irritare ob nobilitatis, & diuitiarum disparitatem. Si vero scandala, & infelices exitus notabilitér ex tali matrimonio timerentur, ad fidem seruandam, nobilis, & diues, non teneretur, eò, quià in hoc casu cessat obligatio iustitiæ.

Qui ficta matrimonij promissione à fœmina bonæ famæ copulam extorsit, eàm ducere tenetur, si ob id ipsa suæ existimationis iacturam faceret, nec satis esset illam dotare si nollet; quiá promissio fuit de matrimonio, & non de dote, & sicùt mulier ex parte sua fidem seruauit; ità qui fictè exteriùs promisit paritèr obseruare tenetur; alioquin ex sua iniquitate, & fraude commodum reportaret, quòd non est admittendum.

Dicimus *bonæ famæ*, quià si malæ famæ fœmina erat, nequaquã talis obligatio vrgeret, cũ nihil damni eidẽ inferatur, sicùti si copula fuerit occulta, & fœmina æquè benè nu-

nuptura absquè vllo detrimento, minusquè in huiusmòdi casu deceptor cogendus esset stare promissis, quãdoquidèm nec ratione promissionis, nequè ratione damni, teneatur.

Si vir fictè promittat, vt copula sequatur, & fœmina pariter virum decipiat, simulando sui corporis integritatem, diuitias, nobilitatem &c. quibus verè caret, Vir illam nequaquàm ducere tenetur, quiá viri deceptio cum fœminæ deceptione est compensata. Bonacina cum alijs.

Fictè promittens nuptias, vt fœmina suæ voluptati consentiat, si vir sit notabilitèr impar nobilitate, aùt diuitijs, & mulier hæc bené sciebat, promissio est nulla, quià in huiusmòdi casu, mulier minimé decepta præsumitur, quandoquidém suspicari potuisset ficte à tali viro similia verba proferri. Nec vir cogendus erit ad illam dotandam, aùt aliquid eidem dandum, vt aiunt in præsenti Syluest. Sanch, Lessius, & alij.

Si veró fœmina viri inæqualitatem ignorabat tùnc vir fingens verum consensum, & hoc asseuerantèr, sed tamèn fœminæ fictè promittens coniugium, vt ea potiretur, ad illati damni æqualitatem, eam dotare tenetur, non verò ducere, non solùm, quià promissio fuit falsa, & sic nullam ponit obligationem; verùm etiàm, quià fœminæ vulgaris detrimentum, non est compensandum viri nobilis, & longè disparis conditionis, multò dispendio, Sanchez, & alij.

Pœna, quæ aliquandò contractui sponsaliorum apponi solet, in vtroquè foro irrita erit, quotiescunquè ob eam minùs liberi sponsi ad contrahendum matrimonium redderentur, quià matrimonia libera esse debent. Immò à quacunque minima coactione aliena, & hoc non eueniret, si sponsus, vel sponsa timore vitandi pœnam matrimonium contrahere deberet, & sic illicitè, & iniustè à nuptijs resiliret, habetur ex cap. *Gemma de sponsalibus*. ibi.

Gemma mulier nobis exposuit, quòd cum T. filia cum C. contraxit matrimonium. B. de Alferio, ea occasione, quòd intèr P. filium

filium suum, & prædictam puellam infrà septennium constitutos sponsalia contracta fuerunt, pœnam soluendam à Patre, quæ contraueniret in stipulatione appositam ab ipsa nititur extorquere.

Cum itaquè libera matrimonia esse debeant, & ideò talis stipulatio proptèr pœnæ interpositionem sit meritò improbanda. Mandamus quatenùs si est ità eundem B. vt ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.

Quæres, Quæ nàm personæ sint aptæ ad contrahenda sponsalia? Respondetur, quòd nemo ad ea contrahenda habilis reputabitur, nisi septennium completum habuerit, eò, quià antè dictam ætatem iura non præsumunt quemquam perfectum vsum rationis possidere. Propterea cap. *Literas*, cap. *asserimus de desponsatione impuberum*, & cap. *n. eodem in sexto*, irrita declarantur sponsalia inita anté dictam ætatem.

Dicimus insupèr, quòd si sponsi antè septennium sponsalia contraherent, & bené æquè sciant, & non minùs percipiant in ea ætate quid faciant, validé quidèm essent sponsalia, quiá malitia supplet defectum ætatis. *l. sponsalibus ff. de sponsalibus*, ac idem firmat Sanchez in præsenti cum alijs.

Contrahentes sponsalia antè legitimam ætatem, non peccant mortalitèr, si essent inualida, licèt contrarium nonnulli sustineant. Ratio est, quià sponsi in huiusmòdi casu, nemini personę, nulli virtuti, nec minùs Sacramento matrimonij faciunt iniuriam. Sanchez lib. 1. disp. 17. de matr.

De sponsalibus clandestinis, quæ sunt, quandò contrahuntur, sinè Parocho, & testibus, aùt absquè vllo teste vel scriptura, itaùt in foro Ecclesiæ de tali contractu nil constare possit, duæ adsunt sententiæ, prima ait esse inualida, quià pòst Trid. matrimonium clandestinum, ipso facto, est nullum, ergò etiàm eodem iure, inualida debent esse sponsalia, quià sunt dispositio, & quid accessorium ad matri-

trimonium. Hurtadus in præsenti diff. 16.

Sed omninò contrarium tenendum, quià ità decreuit Sacra Congregatio, vt ait Rebell. in præsenti nu. 49. Decretum, quòd statuit Tridentinum, vt matrimonium fiat coràm Parocho, & alijs testibus, hoc non habetur in sponsalibus, & vt veritas magis elucescat, nostro solito more hic Tridentini verba describimùs posita in sess. 24. cap. 1. de reformatione ibi.

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia liberè contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quandiù Ecclesia ea irrita non fecit, & proindè &c. Qui alitèr quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seù Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt eos, S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmòdi contractus irritos, & nullos esse decernit &c.

SECTIO III.

De modis, quibus Sponsalia dissolui possint.

QVæres, quòt, & quibus modis sponsalia dissoluantur? Respondetur, de facto dissoluuntur per subsequens matrimonium, quià matrimonium cum sit fortiùs vinculum præualet minori obligationi sponsalium. Si verò matrimonium sit nullum, non remanerent dissoluta priora sponsalia, respectu illius, qui illud contraxit; & sic tenetur seruare præstitam fidem, à qua alter sponsus liber esset, cum is, qui tali facto matrimonium contraxit suo iuri, videatur cessisse. Ità Sanchez.

Adhùc dicimus, priora sponsalia nulla esse, constante matrimonio, quià defuncta vxore, & soluto matrimonio sponsus ad priora sponsalia redire tenetur, & cum prima sponsa nuptias celebrare, quià priorum sponsalium obligatio

gatio

gatio per subsequens matrimonium non remansit extincta, sed suspensa, vndé cessante impedimento, ea obligatio reualidatur, saltèm respectu illius, qui iniustè à prioribus sponsalibus recessit. Ità Adrianus in 4. q.2. de matr. Hurtad dict.tit.disp.2.diff.7.n.26. & alij.

Dicimus insupèr, priora sponsalia cum Sempronia contracta minimè dissolui per posteriora inita cum Berta, adùc cū Berta secuta copula, etiàm sub promissione matrimonij, quià iniuria posteriori sponsæ illata, ius quæsitum ad nuptias priori non aufert, & fortiùs, quià cum, vt plurimùm copula sit secreta, nec de illa possit publicè constare, publica esse videretur priorum sponsalium dissolutio.

Vix enim fieri posset, si ex graui prioris sponsæ iniuria, regularitèr loquēdo, grauiora venirent scādala ex tā priorum, quàm posteriorum sponsalium dissolutione. Ità cum Soto, Nauar. Sanchez, Hurtadus, & alij recentiores contrà Rebell. lib. 4. sect. 8. & Pontium lib. 1. cap.14. asserentes in huiusmòdi casu posteriora sponsalia esse prioribus præferenda.

Per posteriora sponsalia, simplicitér non dissoluuntur priora, etiàmsi posteriora fuerint iuramento firmata, quià tale iuramentum in præiudicium tertij non obligat, iuxtà regulam iuris in sexto. Si verò dùm contracta fuerint, secunda sponsalia, superfit iusta causa dissoluendi priora, puta, per obitum, professionem, vel renunciationem, tùnc posteriora obligabunt. Couarr. 4. decr. q.1. cap. 4. p.75. n. 10. Rebell. lib.4. sect.8.

Asserimus similitèr, quòd si sponsus post contracta sponsalia ob necessariam causam in regiones longinquas abire cogeretur, ob Principis iussionem, in huiusmòdi contingentia sponsa tamdiù reditum sponsi expectare teneretur, quamdiù iustum vrgeret tale impedimentum. Habetur ex sæpiùs ff. de sponsalibus.

Limita tamèn, nisi alitèr intèr partes fuerit conuentum, quià tùnc pacto standum erit, & nisi insupèr sponsa incon-

tinentiæ periculo laboraret, vel saltèm aliqua graui necessitate præmatur, in his enim, & similibus casibus sponsa, sponsum minimè expectare teneretur, quiá non censeretur se obligare voluisse cum tanto suo incommodo, & iactura. Layman in præsenti.

Secùs tamèn, si causa longinquæ absentiæ sponsi non fuit necessaria, sèd iusta, & voluntaria, quià tùnc secundum l.2. c. de sponsalibus, & l.2. c. de repudijs, si sponsus sit intrà Prouinciam, biennio, si verò extrà, triennio sponsalium sponsum expectare teneretur, quòd est contrà Layman, qui in huiusmòdi casu optimè asserit Iudicem Ecclesiasticum iuxtà personæ qualitatem, & negocij tempus præcipere posse reditum.

Si sponsus in aliena Ciuitate suum figat domicilium, & degat, iustam equidèm dat causam sponsæ, vt à sponsalium fide resilire possit, quandoquidèm sponsus, hoc ipso, sponsalibus renunciasse videretur, dùm alibi collocat domicilium. Itá Abbas, & alij relati à Layman in præsenti, limitantes si aliò sponsus se diuertisset, causa alicuius negotij, vel studij.

Si sponsalibus, terminus fuerit præfixus, intrà quem essent celebrandæ nuptiæ, tùnc videndum erit, an circumstantia temporis fuerit apposita ad statuendam, & exequendam sponsalium obligationem, quiá in huiusmòdi casu illo tempore elapso, sponsalia minimé dissoluuntur. Layman cum alijs in præsenti.

Dissoluuntur sponsalia, si pòst ea inita, notabilis mutatio acciderit in alterutro sponso, quæ mutatio si antè præstitum consensum euenisset, nullatenus in sponsalia consensissent, quiá in casu grauis, & notabilis mutationis, alterum sponsum se obligare voluisse, minimè erit præsumendum. Layman.

Huiusmòdi mutationes notabiles sub his verbis enumerat ipse Layman; si sponsus, vel sponsa lepram, paralysim, morbum gallicum, epilepticum, vel alium incurabi-

lem

lem contrahat, si oculi, nasi amissionem, vel similem grauem corporis deformitatem incurrat, præsertim sponsa: Itèm si alteruter sponsorum notabilem famæ, vel grauissimam bonorum iacturam patiatur, vel si graues intèr sponsos, aut eorum parentes, & consanguineos inimicitiæ incidant, quià e.g. altera pars omninò se opponit matrimonio, vt ex eo infelices exitus timeantur.

Prætereà si sponsa dotem promissam afferre nequeat, aùt sponsus domicilium mutare, vel vagari constituat cum incommodo sponsæ. Ratio est, quià sponsalibus, seù nuptiarum promissionibus, quæ suaptè natura, & Ecclesiæ praxi, magnam animi libertatem, & promptitudinem postulant, ea tacita conditio in esse censeatur, si res in eodem statu permaneant; seù notabilis rerum mutatio non incidat. Nequè refert licét sponsalia iusta fuerint, quia iuramentum sortitur naturam, & conditionem actus, cui adiungitur. Cit. c. quemadmodum de iureiurando.

His adde: Tamétsi tempore sponsaliorum extiterit talis causa, puta, morbi contagiosi, aut incurabilis, æris alieni, infamiæ, violatæ pudicitiæ in sponsa, magnæ sæuitiæ, crebrę ebrietatis in sponso, quæ ab altero contrahente probabilitèr ignorabantur, ea posteà cognita, ius rescindendi sponsalia acquisitum esse. Cum enim sponsaliorum tempore defectus non apparebat; perindè erat, ac si non esset, seù de nouo existat: *Nam paria censentur non esse, & non apparere*. Argument. l. in lege fundi ff. de contrah. emptione. hactenus Layman.

Dissolui possunt sponsalia, non solùm per ingressum religionis, verùm etiàm per votum ingrediendę religionis, & profitendi emissum pòst contracta sponsalia, quià sicùti sponsus professionem in quacumque religione potest emittere, ità id licitè vouere, & sicùti se habent sponsalia ad matrimonium ratum, ità votum ingrediendæ religionis ad profitendum in ea; sed professio irritat matrimonium ratum, siuè sponsalia de præsenti; ergò etiam votum in reli-

ligione irritabit sponsalia de futuro. Doctor cit.

Dissoluuntur sponsalia, etiàm per votum simplicis continentiæ subsequens, non solùm, quià hæc tacita conditio, videtur inesse in sponsaliorum promissione, scilicèt, *Promitto tibi nuptias, nisi meliorem statum elegero.* Verùm etiam, quià promissum non percutit, in meliùs consilium mutantes. Cap. peruenit de iureiurando.

Huiusmòdi conclusionem firmauimus cum S. Thoma, Caietano, Soto, Nauarro, Henriquez, & alijs, contrà Caninchum, Sanchez, Layman, & ferè omnes Canonistas probabiliùs existimantes per votum simplex continentiæ subsequens minimè dissolui sponsalia iàm contracta, cò quià alteri sponso est ius acquisitum.

Dissolui possunt sponsalia si duo impuberes contrahant, siuè pubes cum impubere, per dissensum impuberis reclamantis illicò post adeptam pubertatem. Sunt autèm masculi impuberes illi, qui minores sunt quatuordecim annis; fœminę verò minores duodecim, quo tempore impuberibus non datur libertas resiliendi, nè proptèr defectum iudicij, sæpiùs sponsalia rescinderent. Habetur ex cap. de illis, & cap. à nobis de desponsal. impuberum.

Diximus, *statim post adeptam pubertatem.* Quod tempus ex Iure deducitur ad tres dies pertingere posse. l. filij c. de iudicijs; itaùt si elabatur triduum postquam impubes factus est pubes, & non reclamauerit, non possit ampliùs resilire; quià ius voluit, sponsalia perpetuò esse irreuocabilia. Ità Bonacina cum alijs.

Quòd si contingat alterū sponsum pubescere citiùs, altero resilire potest, nèc alteriùs pubertatem expectare debet, cum frustrá expectetur euentus, cuius nullus est effectus. Cap. cum contingat de officio delegati. Secùs verò si pubes contrahit cum impubere; nàm pubes si velit resilire non potest, etiàmsi impubes in id consensiat; sed impuberis pubertatem expectare tenetur. Sanchez.

Addit nihilominùs Filluccius, cum ipso Sanchez, quod ea,

ea, quæ hactenus diximus, adhùc etiam procedant cum sponsalibus à parentibus prò filijs impuberibus contractis, vel in sponsalibus præsumptis ex matrimonio per verba de præsenti contracto, sed minimè inito; in his impuberes resilire possunt, nisi ipsi iuramento sponsalia firmauerint.

Ratio est, quiá accedente iuramento, etiám adepta pubertate, minimè sponsis datur facultas, ea rescindendi. Habetur ex cap. litteris de sponsalibus. Et insupér, quiá cum iuramentum adueniat sponsalibus validis, ea insolubilia reddit. Ius enim in huiusmòdi sponsalibus non præsumit conditionem implicitam, sicùti in alijs. Itá Bonacina.

Dissoluuntur sponsalia etiam per superuenientem affinitatem ex copula illicita in gradum secundum habita. Patet ex cap. *veniens, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris*. Immò asserunt nonnulli, quod si quis contrahat cum Sempronia, & posteá contrahat cum consanguinea Semproniæ in 2. 3. vel 4. gradu, prima sponsalia minimè erunt dissoluta, non quià secunda inualida sunt. Sed quia impedimentum publicæ honestatis non pertingit, nisi ad primùm gradum. Reliquos verò inferiores non afficit Trid. sess. 24. cap. 3. de reformatione, ibi.

Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt: Sancta Synodus prorsùs tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam, in vlterioribus gradibus, iam non potest huiusmòdi prohibitio absque dispendio obseruari.

Solui possunt sponsalia, per fornicationem alter vtriusque sponsi, quiá sub ea conditione fidelitatis matrimonium promisisse censet, ergò ea minimè seruata, ex parte innocentis sponsi, corruit obligatio, cui fornicans volenti matrimonium contrahere, fidem seruare tenetur, ne alioqui delinquens commodum ex sua iniquitate reportet.

Et insupèr, quià fornicatio sufficiens est ad diuortium, ergò

ergò etiam ad soluenda sponsalia, vt loquitur in præsenti Layman, cum communi. Qui paritèr eruditè aduertit idem esse intelligendũ tàm de sponso, quàm de sponsa, si alteruter fornicetur, altero fidem seruante, eò, quòd in huiusmòdi casu vir, & mulier pares habeantur.

Quòd verò firmauimus in omnibus non procedit, & primò, quià si sponsus post contracta sponsalia fornicetur, & adhùc fornicetur sponsa. In hoc non quidèm sunt pares, nèc delictum sponsæ cum delicto sponsi compensari potest, eò, quià viri existimatio ob sponsæ fornicationem, grauitèr læditur, non verò vice versa, & sic sponsus, sponsam, & non sponsa, sponsum, vti fornicariam repudiare potest. Sanchez, & alij.

Secundò, si sponsa oscula, & impudicos admittat tactus alteriùs viri, sponsus sponsalia rescindere potest: Si verò vir alteriùs fæminæ illicitos tactus, & impudica admittat oscula, sponsa sponsalia minimè annullare potest; quià, vt diximus, in primo casu, viri existimatio læditur, non verò sponsæ, vt in secundo casu.

Limitant tamèn in præsenti Sanchez, & Coninchus solummodò in sponso; quando nimirùm, tactus, vel oscula impudica alteriùs fæminę essent adeò frequentia, vt iure optimo, sponsa timere possit, de huiusmodi sponsi amore, & animi sui morali perturbatione.

Tertiò, si sponsa etiam nolens ab alio fuerit cognita viro, meritò repudiari potest. Colligitur ex cap. Raptum 27. q.2. Non tamèn sponsa erit repudianda si absquè sua culpa constaret violentèr fuisse cognitam. Alij contrarium tuentur, quià tunc est facta in sponsa notabilis mutatio, quòd satis fundamentum præstare potest resiliendi à sponsalibus.

Si adsit causa moralitèr euidens, & multò magis physicè; vel saltèm probabilis sufficiens ad dissoluenda sponsalia, & hæc publica non sit ad ea dissoluenda non erit necessaria Iudicis auctoritas, sed poterunt secretè propria pote-

potestate dissolui, vt quàmplurimi docent Doctores.

Ratiò est, quià, cum ex vna parte nullo caueatur iure, vt Iudicis sententia ad id sit expectanda; & ex alia nullum verisimilitèr possit oriri scandalum, ex huiusmódi dissolutione, cum, vt supponimus, sponsalia sint secreta, sponsus, qui ius habet ad resiliendum non est cogendus Iudicem adire.

Nèc minùs dicendum est, si sponsalia sint publica, & publica adhùc sit causa resiliendi, quia si tùnc propria auctoritate dissoluerentur, equidèm posset oriri scandalum; meritò igitùr interponenda erit Iudicis auctoritas, vt docent Coninchus disp. 23. Rebell. lib. 4. q. 8. sect. 9. Hurtadus disp. 2. dist. 2. &c.

Hoc tamèn minimè procedit, quando de iustitia causæ non habetur purum dubium, & merè negatiuum seù opinio probabilis, quià tùnc cum melior sit conditio possidentium sponsalia, non possent ea, nèc auctoritate publica, nequè priuata, dissolui. Ita citati Doctores.

Rogabis, qualisnam requiratur probatio in foro externo ad sponsalia dirimenda? Respondetur, si ob dirimens impedimentum sponsalia dissolui petantur, vel etiàm solùm matrimonium impediens, in eò casu vnus sufficit testis, qui esse debeat iuratus, cum de tertij præiudicio maximè agatur. Et debet insupèr deponere impedimentum, reddendo causam de sua scientia, nèc satis est, si dicat id ab alijs audiuisse.

Limita tamèn, nisi esset probandum impedimentum prouenìens ex consanguinitate, quià adhoc satis esset, si testis diceret intèr sponsos à duobus maioribus fide dignis huiusmòdi consanguinitatem intercedere, vt optimè firmant Sanchez lib. 1. disp. 71. Coninchus disp. 23. Hurtadus, vbi supra diffi. 19. & alij apud eosdem.

Et vltimò dicimus dissolui posse sponsalia ètiàm iuramento firmata, per mutuum liberum dissensum, quandoquidèm quisque suo iuri renunciare potest, cùm prò se sit intro-

introductum. Quòd verò ad iuramentum spectat, remittente homine obligationem ex parte sua, suam paritèr remittit Deus, cum hæc sit accessoria, vt firmant communitèr Doctores citati.

PARS SECVNDA

De Matrimonio secundùm se.

SECTIO I.

QVæres, vndè dicatur matrimonium? Respondetur, dici à matre, vel quià nubit, vt mater fiat, secundùm Glossam institut. de patr. potest. litt. Q. *Vel est Maris, & fæminæ coniunctio indiuiduam vitæ societatem retinens*, vt habetur ex cap. illud de præsumpti. Vel quià matrimonium est velùti matris munimen, eò, quià fœmina per coniungium, viro munitur. S. Thom. in 4. dis. 25. q. 1. art. 1. Vel deniquè matrimonium dicitur, quià in educanda prole magis laborat mater, quàm Pater. Omnes communitèr.

Quæres, quotuplex sit matrimonium? Respondetur, quòd ad præsens spectat, duplex est; Vnum, quòd consistit merè in humano contractu, vt non solùm comprehendantur matrimonia infidelium; verùm etiàm ea, quæ antè Christi institutionem, in veteri lege fuerunt contracta. Alterum verò, quòd licèt consistat in humano contractu, fuit nihilominùs talis contractus à Christo eleuatus ad causandam gratiam. & constituendum Sacramentum, eodem modo, quo ab eodem Redemptore aqua elementaris fuit eleuata ad conferendam gratiam baptismalem.

Huiusmòdi matrimonium, nil obstante, quòd suprà diximus, secundùm Bonacinam in præsenti communitèr ab omni-

omnibus receptum, definitur. *Est coniunctio maritalis legitima viri, & fœminæ in vsum coniugij, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*. Vt paritèr colligitur ex l. 1. ff. de ritu nuptiarum, & ex cap. illud præsumpt.

Dicitur, *coniunctio*, quià in hoc consistit matrimonium, nimirùm, quòd vsquè ad alteriùs coniugis vitam, sempèr perdurat; non quidèm in mutuo consensu, neque in mutua corporum traditione, cum hæc minimè sint manentia, sed potiùs transitura.

Minùsque consistit in obligatione petendi, vel reddendi debitum coniugale, quià hæc, vel per adulterium alterutriusque partis commissum, vel per vtriusque coniugis religionis ingressum, amittitur. Vinculum matrimonij est perpetuum, & indissolubile.

Dicitur, *maritalis*, ad differentiam promissionis sponsalium, quæ reuerà promissionem coniunctionis maritalis continent, sed minimè sunt ipsa actualis coniunctio, vt est matrimonium.

Dicitur, *legitima*, quiá ipsi contrahentes matrimonium, minimè esse debent, aliquo legitimo impedimento, irretiti.

Dicitur, *viri, & fœminæ*, ad insinuandam, & explicandam materiam, & non minùs subiectum huiusmòdi contractus.

Dicitur, *in vsum coniugij*, quandoquidèm hic sit finis, circà quem hoc matrimonium respicit, & versatur.

Dicitur vltimò, *retinens indiuiduam vitæ consuetudinem*. Ad exprimendam huiusmòdi matrimonij insolubilitatem.

Hoc matrimonium fuit á Deo in Paradiso terrestri institutum, quandò nostris parentibus dixit Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*.

Quæres, quid sit matrimonium, vt Sacramentum? Respondetur, *est maris, & fœminæ coniunctio, cum talibus, & talibus circumstantijs intèr fideles*, quem contractum ad esse

Sacramenti Christus eleuauit. Habetur ex Trid. sess. 7. can. 1. & sess. 24. can. 1. ibi.

Si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septèm legis euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sèd ab hominibus in Ecclesia inuentum, neque gratiam conferre, anathema sit.

Instituit Christus hoc Sacramentum, vt reliqua, vel in nocte vltimę Cœnę, vel pòst Resurrectionem. Quòd sit Sacramentum rursùs, ratione probatur, quiá est signum rei sacræ, repræsentans vnionem Christi cum Ecclesia, practicum, & gratiam causans, *ex opere operato*, fidelibus, illud ritè suscipientibus.

Duos adhùc intèr alios præcipuos effectus confert matrimonio coniunctis; vnum, nimirùm, quiá carnis concupiscentiam reprimit; alterumque, vt ipsi coniuges fideliter concorditèr simùl cohabitando prolē nutriant, & domestica opera communicent. Est omnium communis sententia: ex quo.

Inferre possumus, matrimonium, vt Sacramentum, intèr infideles minimè extare; quià ipsi cum Baptismo careant, qui omnium Sacramentorum ianua nuncupatur, sunt omninò incapaces matrimonij, vt Sacramentum est.

Hinc S. Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 7. ait. *In Ciuitate Domini, in monte sancta eius, in Ecclesia nuptiarum, non solùm vinculum; sèd etiàm Sacramentum commendatur.*

Inferre adhùc possumus, quòd cum hoc Sacramentum intèr vtrosque contrahentes vnicum sit. Hinc est, quòd vterque, quandò confertur, capax esse debet gratiæ Sacramentalis. Vndè si quis fidelis, cum infideli nuberet minimè Sacramentum conficeretur, ità Sotus in præsenti, & alij communitèr.

Quæres, quæ sint materia, forma, & ministri huius Sacramenti? Respondetur, quòd materia remota sunt corpora contrahentium. Ratio est, quià sicùti materia remo-

ta

ta venditionis est domus e.g. ità materia remota matrimonij sunt vtriusque coniugis corpora; est enim iste contractus similis contractui venditionis, vt asserunt Henriquez Layman, & alij communitèr.

Itém sicùti materia proxima in venditione, est ipsamet traditio domus, quæ emptori fit à venditore per aliquod externum signum, puta, exhibendo claues Domus, ità materia proxima in Sacramento Matrimonij, vti contractus, materia erit corporis traditio, aliquo sensibili signo manifestata. Sanchez lib. 2. disp. 5. & alij contrà Nauarrum existimantem esse consensum, contrà Angelum, & Victoriam asserentes esse verba, & contra Layman. dicentem esse coniuges.

Néc prętermittamus eruditissimum Bonacinam superiùs citatum dicentem. Notandum est primò. Nos hic non loqui de materia, & forma matrimonij completé sumpti, sed de materia, & forma, materialis matrimonij, cum enìm Sacramentum sit quid artificiosum, debent inesse duæ formæ, & duæ materiæ, quarum vna dicitur materia, & forma totius; altera verò dicitur materia, & forma partis.

Notandum secundo, vt cognoscatur, quæ sit materia, & forma Sacramenti Matrimonij, quatenùs est Sacramentum, inspiciendum esse, quænàm sit materia, & illius forma, quatenùs est contractus. Matrimonium enìm consistit in contractu; qui à Christo fuit eleuatus in Sacramentum ad conferendam gratiam: materia autém contractus materialis, est traditio corporum; forma est acceptatio, qua perficitur, & completur matrimonium.

Notandum tertio, proprium esse formæ perficere, complere, & determinare materiam; materia enim de se, est quid imperfectum, quòd perficiendum est per formam. Propterea in contractu illa dicenda est forma, quæ determinat, & complet contractum, illa dicenda est materia, quæ est velùt quid imperfectum, & determinatur, & completur per formam. Cum autém in contractu matrimonij

mutua traditio corporis sit quædam inchoatio contractus, & aliquid imperfectum; acceptatio verò sit illius perfectio, & complementum, sequitur mutuam corporum traditionem esse materiam Sacramenti Matrimonij, eò, quòd traditio corporum sit imperfecta, & inefficax, donèc acceptetur. Ipsam verò acceptationem vtriusque coniugis esse formam Sacramenti Matrimonij, eò, quòd per acceptationem perficiatur matrimonium.

Quoàd Ministros, dicimus non esse Sacerdotem, vt falsò arbitratus fuit Melchior Canus, sed simplicitèr esse ipsosmet contrahentes. Quòd verò, non sit Sacerdos patet, quià antè Tridentinum intèr fideles matrimonium clandestinum adhùc validum erat, non solùm ratione contractus; verùm etiàm ratione Sacramenti, & nihilominùs tùnc non aderat Sacerdos Minister. Quòd verò ministri sint ipsi contrahentes. Probatur, quià Sacramentorum ministri sunt, qui ea conficiunt, formam proferendo; sed formam Sacramenti Matrimonij ipsi proferunt coniuges per verba, vèl per signa, quæ acceptationem significant; ergò ipsi contrahentes erunt huius Sacramenti ministri, Sanchez, & alii communitèr.

Sed hìc non modica insurgit difficultas, nimirùm. An quandò intèr absentes per procuratorem, vèl epistolam corâm Parocho, & testibus initur matrimonium, sit verùm Sacramentum? Nonnulli negatiuam sustinent sententiam, fundati forsàn sub æreo principio, nempè, quòd ad rationem huius Sacramenti, tàm præsentia recipientis, quàm conferentis requiratur, sed coniuges, qui in tali casu debent recipere, & conferre sunt absentes, quandó Procuratores e.g. Romæ matrimonium contrahunt, ergò &c.

Probatur, quià si matrimonium, vt obijcit Bonacina, intèr absentes celebratum esset matrimonium, non opus esset posteà coniugere sponsos præsentes in facie Ecclesiæ; sed hoc est falsum, quandoquidèm sponsi præsentes de nouo coniunguntur in Ecclesia; ergò dicendum est matrimonium

nium

nium intèr absentes celebratum, non esse validum Sacramentum; aút saltèm dicendum esset Sacramentum matrimonij aliquandó iterari posse. Caietanus opusc. de matr. q.3. Victoria in Sum.n.244. & alij.

Communior tamèn sententia est, esse Sacramentum. Ratio est quià huiusmòdi matrimonium est insolubile, & non minùs, quàm intèr præsentes initum fuisset; ergò est Sacramentum; nàm eatenùs matrimonium Sacramentum est, quatenùs est insolubile. Christus enìm eleuando matrimonij contractum ad rationem Sacramenti, illud minimè mutauit; ergò sicúti potest hic contractus validè per Procuratorem iniri, ità poterit ad rationem Sacramenti eleuari. Coninck. disp.24. dub.2. Hortad. disp.3. de matr. difficul. 18. num.66.

Ad obiectionem factam à Bonacina, vbi suprà, respondetur cum Sanchez lib.2. disp.11.n.20. & 21. ibi. Cæterum tenendum id matrimonium valere, nèc correctum esse cap. *final. de procurat. in sexto*. Probatur, ex praxi totius Ecclesiæ passìm enìm post Tridentinum celebrantur matrimonia per Procuratores, essetque intolerabilis in Ecclesia error tót matrimonia irrita permittere, & n.121.

Ad secundùm dicò exigi præsentiam realem per se, vèl per Procuratorem, & verè Parochum, & testes intelligere consensum absentium, medio procuratore, ad id specialitèr destinato, cum omninò absentis personam agat; hæc Sanchez.

Corroboratur paritèr nostra conclusio, auctoritate ipsius Bonacinæ loc.cit. ibi. Contractum iterari tantummodò ad tollendos scrupulos, sicùti possunt iterari contractus, vèl dicas, Sacramentum Matrimonij, non iterari; sed suppleri solemnitates omissas, vèl saltèm dicas, contractum confirmari, vt si primus, defectu consensus, non fuit validus, fiat secundus, & Sacramentum recipiatur.

Notandum hìc est, quòd licèt in primitiua Ecclesia coniux ad fidem conuersus cum coniuge infideli potuerat coha-

cohabitare, vt habetur 1. Corinth.7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hac consensit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consensit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem &c.*

Ad præsens verò, Catholica fide crescente, Sacri Canones sanctissimè alitèr decreuerunt, & hoc ad euitanda quamplurima mala, & præsertìm alterutrius coniugis peruersionem, vt habetur ex cap. *Quarundam de Iudæis*, ibi. *Iudæi, siuè Saraceni, nequè sub alendorum puerorum suorum obtentu, nèc prò seruitio, vèl alia qualibet causa, christiana mancipia in domibus suis permittantur habere; excommunicentur autèm, qui cum eis præsumpserint habitare &c.*

Nemo igitùr mirari debet si mos est Romæ, vt cum Iudæus ad Fidem conuertitur, alteri quadraginta dies conceduntur ad effectum deliberandi, an conuerti velit, quibus elapsis, si respuat, quoàd thorum, & habitationem à conuerso coniuge separetur, licèt absque fidei iniuria, & Creatoris contumelia alius cohabitare vellet, vide Layman. lib.5. tract.10. cap.3. p.2. n.1. & signantèr Rebell. lib.3. de matrim. q.10. sess.1. alij particulares casus apùd eosdem videri possunt circà huiusmòdi materiam.

SECTIO II.

De Matrimonio Clandestinò.

QVæres, Quotuplex sit Matrimonium Clandestinum? Respondetur, duplex. Vnum, quòd celebratur sinè Parocho, & testibus, & dicitur clandestinum simplicitèr; Alterum verò, quòd celebratur sinè denunciationibus, & dicitur clandestinum secundùm quid, eò, quòd fiat clam à Vicinia, licèt coram Parocho, & testibus. Nos igitùr priùs

priùs dè Matrimonio clandestino simplicitèr, & posteà de matrimonio secundùm quid breuitèr agemus.

Matrimonium à solis sponsis in præsentia duorum, vèl trium testium, sed absquè Parocho, vèl de eius licentia, alio Sacerdote sinè testibus celebratum, est ipso facto, & iure, nullum. Colligitur ex Concilio Tridentino sess.24. cap.1. de reformatione ibi.

Præcipit S.Synodus, vt in posterium, antequàm matrimonium contrahatur tèr à proprio contrahentium Parocho, tribus diebus continuis festiuis in Ecclesia intèr Missarum solemnia publicè denuncietur intèr quos matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur &c. & infrà.

Qui alitèr quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seù Ordinarij licentia, & duobus, vèl tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S.Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmòdi contractus irritos facit, & annullat &c.

Ex quo habetur, quòd licèt attento iure naturali, & diuino, matrimonia clandestina per se non sint inualida, vt cum S.Thom. ait Sotus in 4. dist.28. q.1. art.2. ibi. Matrimonium clandestinum genere suo ab ijs nudatum incommodis, quæ accidere solent, & Ecclesiæ prohibitione nullum est peccatum. Nàm quemadmodùm potest quisque sua bona alteri absquè arbitris, & testibus tradere, ità, & se potest alteri coniungere.

Si opinio illa, quàm dist.26. recitauimus, scilicèt, quòd per consensum contrahentium non confertur gratia, nisi interueniat forma Sacerdotij, *ego vos coniungo*, consequens fieret, peccatum per se esse mortale absquè Sacerdote contrahere; sed iám diximus; nihil probabilitatis eiusmòdi opinionem continere &c.

Et quamuìs per accidens, idèst, proptèr scandala, & occasiones peccandi antiquitùs in Sac. Concilijs fuerint prohibita

bita

bita, non tamèn inualidata, vt fatentur Hurtadus de matr. disp. 5. diff. 1. & alij. Ad præsens de Iure nouo Tridentini cit. in ijs regionibus, in quibus hoc ius obligat, irrita omninò, & nullius sunt valoris. Immò tali contrahentibus modo, sunt etiàm impositæ pœnæ, vt diximus.

Nèc inferatur ex dictis, quomodò Ecclesia in Sacramento matrimonij potuerit mutare materiam, ac etiám efficere, vt illa corporum traditio, quæ priùs facta absquè Parochi, & testium præsentia, erat sufficiens ad huiusmòdi Sacramentum, & hodiè est etiám adhùc sufficiens in ijs regionibus, in quibus Tridentinum, saltém quoàd hoc, non fuit receptum, pòst idem Tridentinum, nihilominùs fuit reddita inepta, itaùt, si cum ea solùm matrimonium celebretur, sit prorsùs nullum, vt liquidò habetur ex citato decreto, & fortiùs, quiá Ecclesia circá materiam, & formam Sacramentorum á Christo institutas immediatè, nullam variandi potestatem habet.

Licèt Soto, & alijs hæc difficultas adèò ardua visá fuerit, vt eam ipsi indeterminatam reliquerint. Immò 40. Episcopi, & alij Doctores in Concilio Tridentino antequám itá Ecclesia statueret, fuerunt in contraria sententia, solutio, nihilominùs est facilis, nám, vt aduertunt quamplurimi recentiores, Christus minimé instituit pró materia matrimonij qualemcunque consensum, mutuò tradendi, & mutuò acceptandi ius in corpora contrahentium, sed illum tantummodò, qui legitimus, & validùs haberetur in ratione contractus pró translatione habendi reciproci iuris.

Ecclesia tamèn inualidum, & nullum potuit reddere consensum, & per consequens contractum irritum, sinè duorum saltém testium, & Parochi præsentia, & sic mutando Sacramenti materiam, non eam certé formalitèr mutauit; idèst, non aliam ab ea distinctam instituit, quam instituerit, sed illam materialitér mutauit, siuè, quòd in idem reincidit, indirectè materiam Sacramenti Matrimonij mutauit, minimé verò directè, quòd á simili confirmatur, quando-

qui-

quidem homines facere possent, quòd hæc vox, *corpus*, significet *lapidem*, & viceuersà, hæc vox *lapis*, significet *corpus* cum nomina sint ad placitum.

Huiusmòdi autém intèr homines conuentione facta, tùnc Eucharistiæ forma, eadem non esset, quæ hodié ab Ecclesia seruatur, nèc dici potest. *Hoc est ènim Corpus meum*, séd esset omninò illa alia proferenda, nimirùm; *Hic est ènim lapis meus*; & consequentèr minimè dici posset Eucharistiæ formam minimè mutasse, nisi solummodò materialitèr, & indirectè, idèst, quoàd illam verborum mutationem, quæ priùs per verbum *Corpus, &c.* exprimebatur, nùnc verò per verbum *lapis, &c.* exprimeretur, quòd est materiale respectu formæ, ità à pari, dicendum de proposita difficultate, quę solutio nil distare videtur ab ea, quam in præsenti afferunt sequentes Doctores.

Bonacina de matr. q.2.p.1.vnic.prop.num.2.ait esse peculiare hoc in matrimonio, vt Ecclesia possit circà illud aliquid apponere. Nàm Ecclesia habet peculiarem potestatem circà matrimonium; quatenùs habet ius constituendi contractum, quem Christus eleuauerit in Sacramentum. Cum igitùr Ecclesia possit variare contractum, ità ùt sit validus, si fiat cum talibus circumstantijs, consequens est, vt Ecclesia dicatur posse aliquid apponere de necessitate Sacramenti matrimonij, quòd non accidit in reliquis Sacramentis, in quibus Christus non constituit aliquid prò eorum materia, quòd sit in potestate Ecclesiæ, quamobrém Ecclesia non potest in Baptismo e. g. loco aquæ naturalis, substituere aliquid aliud, cum Christus prò materia Baptismi determinauerit aquam, quæ non potest ab Ecclesia variari, & sic de cæteris Sacramentis. Non tamén hinc licèt inferre, Ecclesiam mutare substantiam, seù materiam, & formam Sacramenti matrimonij, cum illius materia, & forma, adhùc sit contractus, qui subditur imperio Ecclesiæ.

Sèd quidèm Sanchez de matr. lib. 3. disp. 4. num. 6. 3. conclus. hoc modo discurrit: Potuit Concilium, & de facto

ità fecit, irritare matrimonium Clandestinum, quatenùs est Sacramentum, non directè, & immediaté. Cum Sacramentorum institutio, ac destructio, non subiaceat potestati Ecclesiæ, sèd indirectè, & remotè, destruendo scilicét, directè, & proximé contractum humanum, vndè consequentèr destructum, & irritum manet matrimonij Sacramentum. Quòd sic explicatur, quòd sublato fundamento tollitur ædificium, *Cap. cum Paulus* 1.*q.*1. & sublato priori, tollitur posteriùs ab ipso dependens. *Cap. translato de constit.* Sèd contractus humanus, qui subiacet ecclesiasticæ potestati, est fundamentum, & materia Sacramenti matrimonij; ergò irritato per Ecclesiam contractu humano, indirectè, & consequentèr irritatur Sacramentum matrimonij, sicùt Ecclesia non potest directè annullare Sacramentum pœnitentiæ; At potest indirectè auferendo iurisdictionem ministri à qua pendet quòd clariùs sic explico, sequitur Sanchez.

Ecclesia nequit efficere, ùt si quis fateatur Sacerdoti iurisdictione prædito, ablutionemque recipiat, Sacramentum irritum sit, àt potest auferendo iurisdictionem à ministro efficere, vt absolutio ab ipso præstita à peccatis auditis, nulla sit, quià illud esset omnibus requisitis ad Sacramenti valorem concurrentibus, directè Sacramentum annullare: Hoc autèm tantùm est destruere fundamentum ad Sacramenti valorem prærequisitum, quo destructo consequentèr, & indirecté destruitur sacramentum. Similitèr contingit in matrimonio: Ecclesia énim concurrente personarum habilitate, & contractu valido ad mutuam corporum traditionem sufficienti, efficere nequit, vt Sacramentum matrimonij inualidum sit: potest tamèn destruere fundamentum statuendo, vt contractus humanus, non sit legitimus, ac sufficiens ad corporum traditionem, nisi certæ solemnitates concurrant; quibus deficientibus indirectè, & consequentèr inualidum redditur matrimonij Sacramentum ex dictis.

Infertur primò, esse culpam lethalem contrà formam à

Tri-

Tridentino præſcriptam, matrimonium celebrare abſquè Parocho, & ad minùs duobus teſtibus, quandoquidèm contrahentes facerent contrà huius Sacramenti reuerentiam, & conſequentèr matrimonium ob contractum nullitèr initum, irritum eſſet, vt patet ex ſuperiùs firmatis.

Infertur Secundò, non eſſe neceſſarium in ipſamet Eccleſia materiali matrimoniũ celebrare, & quòd etiàm domi poteſt hoc iniri, modò ibidem Parochus, & ſufficientes teſtes præſentes exiſtant, quià etiàm ſi domo fiat, adhùc in facie Eccleſiæ celebratur per phyſicam, vel moralem ſaltèm Parochi pręſentiam, & teſtium, vt ſupponimus, de tali matrimonio Eccleſiæ conſtat, itá ſacra Congregatio Tridentini Concilij.

Infertur Tertiò, Parochum, propria manu, in libro matrimoniorũ ſuæ Eccleſiæ ſpecialitèr teneri adnotare locum, tempus, nomina, cognomina, Parentes, regiones, coniugum, teſtes, & alias neceſſarias circumſtantias ad hunc effectum, & rursùs ſi Parochus, vél alius ab Ordinario delegatus Sacerdos matrimonio, interfuit, vt habetur ex Rituale Romano.

Quòd ſi in hoc negligens fuerit, non equidèm lethalem culpam euitabit, quandoquidém de re graui agatur, & mumeri ſuo maximé deficiat, vltrà quòd, non ordinaria poſſent euenire ſcandala, quæ forsàn in dies nonnulla experiuntur, & iure optimo, à ſuo Ordinario grauitèr erit puniendus. Vide Tridentinum loc. cit.

Infertur Quartò, quòd licèt teſtes ſint mulieres, parentes, vél etiàm infames, adhùc ad hunc effectum idonei teſtes cenſentur, quòd ſępeſæpius in pagis occurrere poterit: cum teſtes omni exceptione digni ſi requirerentur, matrimonia in dubium reuocari poſſent, vbi tàm Parochi, quàm contrahentes communitér ignorant, an ſint teſtes idonei, & ſic eorum defectum Parochorum auctoritas ſupplere poterit.

Infertur Quintò Ideò Tridentinum, Parochum, & teſtes requirit, vt ſi opus fuerit apud Eccleſiam, matri-

monia conludentér probari possint, debeantque ipsi, quòd intér sponsum, & sponsam agatur intelligere, & percipere hisque concurrentibus, matrimonium validum esse censendum, etiàm si ipsi inuiti, & aliundè per vim, & metum siué dolum ad id protraherentur.

Ratio primi est, quià alioquin testificari non possent matrimonium fuisse contractum eò, quòd ipsi testes, & Parochus, quod gestum fuerat, memoria, & intellectu non perceperunt. Secundi ratio est, quià, quæ geruntur ab eisdem intelligantur tanquàm in tali actu præsentes, & de eo fidem facere possent, nil obstante, tàm testium, quàm Parochi reluctatione, & repugnantia.

Néc minùs satis esset si Parochus, & testes solummodò intelligerent verba, aùt sola viderent signa, si per verba, & signa copulatiuè quid á sponsis agatur minimè percipiant, & paritèr dicimus, quòd vsu rationis carentes, dormientes, & alij similes inualidè possent in testes adhiberi in celebrandis matrimonijs, cum ea, quæ fiunt minimè percipere valeant.

Infertur Sextò ad essentiam matrimonij, non requiri Parochum aliqua proferentem verba, quià Tridentinum solam exigit illius presentiam ad valorem matrimonij, & fortiùs, quià matrimonij minister, non est Sacerdos, séd ipsi contrahentes, & licèt Tridentinum præcipiat, Parochum proferre illa verba, *ego vos coniungo, &c.* non ea tamèn efficiunt. nèc dicunt Parochum huius Sacramenti, & coniunctionis esse intèr sponsos causam efficientem, sèd eandem à sponsis causatam approbare

Immò Sanchez, & alij docent, Sacerdotem huiusmòdi verba omittentem peccare quidèm, sèd venialitèr ob materiæ paruitatem, peccatum mortale equidèm committerent matrimonium contrahentes coràm inuito Parocho, & testibus extrà grauem necessitatem, quandoquidèm huiusmòdi actus tenderet in contemptum, & magnam Ecclesiæ irreuerentiam, quam ipsemet Sacerdos repræsentat.

Infer-

Infertur Septimò, si vnus testis successiuè pòst alterum matrimonio celebrando intersit, non est sufficiens, sèd omninò exigitur, vt simùl, & semèl, & eodem tempore, præsentialitèr adsint, vt sint contestes, quià Tridentinum requirit præsentiam testium, vnà cum Parocho, ergò copulatiuè & non disiunctiuè debent interesse, aliàs non plené posset per testes singulares de matrimonio constare.

Infertur Octauò Parochum matrimonio interessentem, alterius contrahentis, idést, proprium sponsi, vél sponsæ, debere esse, ùt expresè ex Tridentino citato habetur, quià Parochus talis esse debet, qui suam facultatem alteri delegare possit huiusmòdi matrimonio assistendi; sèd hæc facultas concedi minimé potest, nisi à Parocho sponsi, vél sponsæ, ergò, &c. ità Nauar, Sanchez, & alij.

Séd modò hæc difficultas insurgit, scilicèt, An ex mente Tridentini necesse sit, vt si matrimonium celebretur in Ecclesia sponsi, vél sponsæ, assistere debeat eidem sponsæ Parochus sponsi, vèl sponsi Parochus sponsę. Pontius de matr. lib. 5. c. 3. ait, mentē Cōcilij esse, vt ille tātùm Parochus matrimonio intersit, in cuius Parochia celebratur, quem sensū ipse comprobat ex. DD. Cardinalium declarationibus.

Sèd si verba ipsarum declarationum rectè perpendantur, confirmare ibi non videntur ità voluisse Concilium, vt si, hoc modo matrimonium celebretur inualidum foret, sèd importare quandam rationabilem congruentiam, laudabile est, vt Parochus ille matrimonio assistat, in cuius Parochia initur, & sic quoàd validitatem multi dicunt non esse contrà mentem Concilij, si Parochus sponsę in Parochia sponsi, & è contra matrimonio assistit.

Ratio est, quià hæc iurisdictio, cum non sit contentiosa, sinè cognitione causę fieri potest, licèt eam Parochus non admittat in aliena Parochia, sicùti eam iurisdictionem audiendę confession s sui Parochiani in propria non admittit, vt sensit Sanchez. de matr. lib. 3. disput. 23. & Filliccius in præsenti.

Immo

Immò Nauarrus Consilio secundo de sponsalibus expressè refert se audiuisse EE. DD. Cardinales Concilij Tridentini interpretes declarasse præsentiam Parochi vnius contrahentium matrimonio sufficere in quacumque Parochia illud contrahatur.

Sèd dubitari potest. An Parochus debeat esse Sacerdos, quandoquidèm dari possit casus, quòd aliquis de Beneficio Parochiali fuerit prouisus, licèt minimè fuerit sacro Sacerdotali ordine insignitus, de quo poterit oriri dubium, an possit matrimonio aliquandò interesse?

Nonnulli negatiuam, sèd probabilem defendunt sententiam, rationem desumentes ex illis Concilij verbis, nimirùm, *Qui non alitèr quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de eius licentia, &c.* Quæ *non alitèr* significat, pari modo, Parochum esse debere Sacerdotem, & est implicatiua, vt similitèr legenti patet.

Alij verò probabilius existimant, de necessitate in Parocho, non requiri ordinem Sacerdotalē, quià Tridentinu m de Parocho explicitè nil dixit, sicùti id expressit de alio, cui facultas delegatur. Sèd nequè implicitè, nàm illa vox *alius*, non sempèr similium est implicatiua, vt patet Mat. 15. *et cum eo Crucifixi sunt duo latrones, vnus à dextris, & alius à sinistris;* & tamèn sermo erat de Christo, qui non fuit latro.

Secundò, quià Parochus non dùm Sacerdos omnia exercere potest, quæ non pendent ab ordinis potestate Assistentia per Parochum matrimonio exhibita non est actus ordinis Sacerdotalis, nèc actus iurisdictionis, sèd solùm requiritur ob personæ auctoritatem quæ, etiàm in Parochum non Sacerdotem existit.

Ex qua conclusione liquidò habetur, Parochum excommunicatum, etiàm vitandum, suspensum, irregularem, &c. validè posse matrimonio assistere, & validè paritèr posse alteri facultatem concedere matrimonio assistendi, quià isti actus, non sunt iurisditionales, & Parochus sempèr est Parochus, donèc non fuerit sua cura ab habente potestatem priuatus. ità Nauarrus.

Quæ-

Queres, qualis habitatio requiratur in Parochia, vt Parochus fiat proprius sponsorum iuxtà decretum Tridentini? Respondetur, requiri animum habitandi in ea Parochia per maiorem partem anni, & actualem habitationem ex animo inchoatam, vt alibi fusissimè diximus.

Hinc fit, vt docet Sanchez de matr. in præsenti, siuct domicilium, non solum animo, sèd animo, & facto constituitur, ità vt transferatur, & deperdatur, nimirùm, deperditione habitationis in eo domicilio. Vndè sola animi mutatione perpetuò manendi dùm priùs illud domicilium habitationis non mutatur, acquisitum non deperditur.

Probatur, quia omnis res, quæ per quascumque causas nascitur per easdem dissoluitur c. 2. *de reg. iuris in sexto*; sèd domicilium habitationis, non acquiritur solo animo habitandi, sèd animo, & facto, nempè, ipsa habitatione, vt per *l. domicilium*, *& l. Ciues verb. larem c. de incolis lib.* 10. *&c. ac l. non vtiquè verb. constituerit ff. eodem.*

Ergó similitèr non deperditur solo animo illud mutandi, sèd opus est animo, & reali mutatione. Itèm probatur ex ea lege Domicilium ibi. Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione, & ità tenet ibi Glossa. *verbo domicilium*, & meliùs *l. originin ad finem.* c. de municipijs lib. 10. &c. ex quo.

Infertur primò, Parochum originis non censeri proprium in ordine ad assistendum matrimonio. Est autèm Parochus originis ille in cuius Parecia quis nascitur. Ratio est, quià nomine proprij Parochi in Tridentino, non venit Parochus originis, sèd Parochus domicilij, & habitationis, modo explicato. Gloss. *c. statutum de rescript. in 6.*

Infertur Secundò, Parochum non dici proprium, si sponsus in eius Parochia fuit ad modicum tempus habitaturus, & posteà ab ea discessurus, puta, intèr quatuor, vel quinque menses, vt habetur ex cap. *is qui de sequnaturis in 6.* & tenuit Sacra Rota Romana in quatuor decisionibus, & multi

multi viri doctissimi, vt refert Menochius in suis Concilijs.

Ex quo sequitur consequentèr, quòd si sponsi Rus causa recreationis proficiscerentur, & ibi mansuri per maiorem partem anni, Parochus ruris minimè esset eorundem proprius, néc minùs coràm eo, vel alio de eius licentia, sponsi validè matrimonium contrahere possent.

Quæres vltimò, qualis requiratur licentia in Sacerdote, vt matrimonio assistat? Respondetur nullam facultatem specialem requiri; generalem, verò satis esse. Generalis etiàm esset, si Parochus curam suæ Parcciæ alteri Sacrdoti demandaret, quandoquindèm in huiusmòdi commissione facultas assistendi matrimonio continetur, cum hoc paritèr ad curam Parochiæ pertineat.

Secùs verò, si Parochus expresè Sacerdoti commisit solommodò curam administrandi Sacramenta, nàm cum matrimonium, respectu Sacerdotis non sit Sacramentum, cum non illud ipse perficiat, sèd contrahentes, tùnc hæc facultas, non intelligeretur concessa, poterit tamèn solo verbo concedi, néc aliquam requiri scripturam.

SECTIO III.

De faciendis, vel non faciendis denunciationibus.

QVæres, quid sint denunciationes, & quomodò adhibendæ in matrimonio? Respondetur, denunciationes esse quasdam monitiones in celebrando matrimonio præmittendas, puta, si quis impedimentum aliquod nouerit illud manifestare teneatur: quæ in Concilio Lateranensi priùs præceptæ fuerunt, & posteriùs renouatæ à Tridentino. Vidè Sectionem præcedentem in principio.

Si verò huiusmòdi denunciationes etiàm concurrente mali-

malitia, & manifesta iniustitia omitterentur, matrimonium absquè eis celebratum adhùc validum erit, quandoquidèm de essentia contractus minimè sint necessariæ, & rursùs, quià Tridentinum de denunciationibus alloquens decretum irritans non ponit, vt ponit quandò de Parochi, & testium præsentia mentionem facit.

Addimus insupèr faciendas esse tribus festiuis diebus de præcepto continuis, non immediatis, sèd interpellatis, nèc fieri posse in tribus festis Pentecostes, eò quià intèr vnam, & alteram, saltém interstitium duorum dierum mediare deberet, nèc satis esse vnam, die secunda Pentecostes præmittere, & alteram Dominica sequenti, quia Tridentinum præcipit immediatè fieri vnam pòst aliam, & intèr vtramque alium diem festum mediare debere ab altera omissa.

At verò si pòst ritè, & rectè præmissas denunciationes, adhùc infrà spatium duorum mentium matrimonium minimè celebratum fuisset, eædem denunciationes iterùm, & omninò essent faciendæ, nisi aliud in contrarium Episcopo, & màgis expediens videretur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus relinquit. Vide Tridentinum aliàs citatum.

Denunciationes sunt faciendæ intèr Missarum solemnia diebus festiuis, eò quià in illis diebus, maior populi numerus in Ecclesia confluat, & faciliùs impedimenta deteguntur. Nèc esset contrà mentem Tridentini, si non in die festo, nequè infrà Missarum solemnia fierent, dùm aliundè maior populi copia in Concione alicuius insignis Prædicatoris ad eum audiendum conueniret, vt docet Sanchez.

Denunciationes necessariò in Parochia vtriusque sponsi sunt faciendæ, dummodò matrimonium contrahentes fuerint diuersæ Pareciæ, vt exactissimè communis fidelium praxis obseruat iuxtà Tridentini præscriptum supèriùs citati, sub illis verbis: *In Ecclesia intèr Missarum solemnia pu-*

blicè denuncietur intèr quos matrimonium sit contrahendum, &c.

Si Parochus vnam ommitteret denunciationem, minimè in culpam lethalem incideret, quandoquidèm hoc esset, quid leue, dummodò aliundè, moralitèr loquendo, sciat. quòd matrimonio nullum subsit impedimentum. Sanchez. Sed alij putant, Parochum lethalitèr peccare, vnam ommittentem denunciationem, cum non sit in ejus arbitrio, & meritò puniri posset ob Episcopo. Et præsertím nulla vrgente necessitate, hæc est paritèr sententia probabilis.

Huiusmòdi denunciationes nonnullæ, vel omnes antè, vèl pòst matrimonium ommitti possunt, si verisimilitèr adsit periculum malitiosè forè impediendum matrimonium, posito, quòd denunciationes præmittantur, vel saltèm pòst celebrationem suppleri debeant, vt expresśè habetur ex Tridentino, pluriès in præsenti citato ibí.

Quòd si aliquandò probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tòt præcesserint denunciationes: tùnc, vèl vna tantùm denunciatio fiat, vèl saltèm Parocho, & duobus testibus, vel tribus præsentibus matrimonium celebretur; deindè antè illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant &c.

SECTIO IIII.

De necessario consensu vtriusque coniugis.

IAm superiùs firmauimus, materiam, & formam matrimonij, esse mutuam corporum traditionem, & acceptationem in vsu coniugij, aliquo exteriori signo, manifestatam, sed eò, quià huiusmòdi traditio, & acceptatio, sinè mutuo, & sensibili consensu minimè dari possint, idcircò in præsenti de tali consensu breuitèr agemus.

Quæres; An consensus vtriusque coniugis, mutuus sit matrimonio necessarius? Respondetur, quòd adeò est necessarius, vt absquè eo matrimonium nullum redderetur, patet ex Cõcil. Flor. *in decreto de matrimonio*, ex cap. *Cum aliquid*. Et ex cap. *Tuæ de sponsalibus*. Probatur, quià matrimonium, vt Sacramentum, vti materia essentialitèr requirit consensum; sed hic contractus sine mutuo consensu stare nequit, ergò matrimonium est nullum sine tali consensu quià materia, sua caret essentiali parte. Sanchez.

In hoc tamén contractu materia est ius, & potestas in corpora, non autèm est copula saltèm explicitè, & expressè volita, quidquid sit de copula volita, & implicité. Ratio est, quià materia huius contractus pertinet ad essentiam matrimonij; sed de essentia matrimonij, non est copula saltèm explicitè intenta, quòd patet, quià B. Virgo verum contraxit matrimonium, & tamèn non consensit in copulam, vt ait S. Thom. nàm exercitium copulæ, nunquàm ipsi fuit in proposito, quià à Deo fuit certificata nequaquàm subsequi debere. Ergò sine consensu ad actum copulæ potest esse matrimonium validum.

Quæres, qualis debeat esse iste consensus? Respondetur solùm internum minime sufficere, sed necessario aliquo exteriori, & signo sensibili debere manifestari, quià étiam in ratione contractus, consensus per externum signum propalari debet, & in ratione Sacramenti, signum debet adhiberi sensibile, vt clarè constat ex ipsa Sacramenti definitione. quòd dicitur esse signum sensibile.

Dicimus insupér ex signis externis sensibilibus non magìs necessarió vnum, quàm aliud requiri, sed quodcunque satis esse, dummodò per illud sufficientér consensus exprimatur. Ex quibus principijs colligere possumus necessariò minimé requiri verba, nisi ad clariorem probationem, & hoc modo intelligendum est cap. *Vnicum de sponsalibus impuberum in 6.*

Satis igitùr equidém esse nutus, scripturam, & alia quæcumque signa, explicantia tamén, & explicité requisitum consensum. Ratio est, quià in Concilio Florentino prò materia matrimonij sensibilitèr, non requiritur aliquod signum in particulari, sed quodcumque satis esse, modò certé, & non dubié per illud exprimatur consensus, vt diximus. Vide Bonacinam, & aliàs apùd ipsum.

Consensus simulatus, & fictus omni iure est irritus. patet ex cap. *Tua nos de sponsalibus* ibi, *Nos autèm quid iuris sit rescribentes diximus, quòd si res ità se habuerit, videlicèt, quòd illatam non proposuit ducere in vxorem, nèc vnquàm consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cum in eo, nèc substantia coniugalis contractus, nèc forma contrahendi coniugium valeat inueniri, quoniàm ex altera parte dolus solummodò affuit, & defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fædus perficere coniugale.*

Probatur similitèr ex cap. *Sufficiat*. 27. q. 2. quià, vt pluriès diximus, sine veró consensu contractus matrimonij minimé subsistit, quandoquidém simulatus contractus, non est contractus, ergò inualidus, & consequentér grauitér peccaret contrahens tàm contrà iustitiam, quàm contrà reuerentiam huius Sacramenti. Quomodò deindè, & coràm quibus consensum legitimum præstare teneatur, videbimus infrà.

Sed hìc magna occurrit difficultas, An, nimirùm, coniux deceptor pòst fictè celebratum matrimonium primum cum Sempronia, iniat cum Berta secundùm, sed validum: Ecclesia, quæ deceptorem minimé audire debet, illum coarctat ad primum inualidum matrimonium redire, & consequentér à secundo valido recedere, quòd equidém inualidum præsumeretur, modò quæritur quid erit agendum.

Respondetur si nulla ratione deceptor in facie Ecclesiæ primi matrimonij fictè contracti, nullitatem probare possit, firma secundi remanente validitate, prò certò Eccle-

siæ

fiæ obligatur parere, & primò viam adire vxorem, simulquè cohabitare, se tamèn à copula abstinendo, licèt ad eam ab Ecclesia per censuras compellatur, omnemque pœnam in foro externo patientèr substinere, & nequaquàm adulterio consentire, quòd Ecclesia néc minus præcipere intendit, immò nequé potest, ità in præsenti Angelicus Doctor, & alij.

Si intér coniuges dum matrimonium contraxerunt, aderat impedimentum, puta, affinitatis, vel consanguinitatis, vtriusque sponsi, inualidus equidèm erit consensus quandoquidèm vterque habitus fuit supér ineptam materiam ad contractum matrimonij, & consequentèr huiusmòdi matrimonium inualidum erit, cum ad eiusdem validitatem, vtriusque partis requiratur nouus consensus.

Petes quomodò in praxi talis consensus vtriusque coniugis, sublato dirimente impedimento, reuocari possit: Sanchez in posito casu, hoc sequenti modo distinguit. Si affinitatis, vel consanguinitatis impedimentum, siuè aliud quodcunque simile sit, vtrique coniugi notum, vel tale impedimentum esset, quod absquè vllo infamiæ periculo, aut manifesti scandali propalari posset, & tunc dicit ipse Author nullam adesse difficultatem, quandoquidém ab vtroque coniuge facilè consensus haberi possit.

Si verò impedimentum est vni tantùm (& hìc est difficultas) & non alteri coniugi notum, & primus minimè manifestari possit sinè suo graui periculo scandali, vel infamiæ, puta, quià vir suæ vxoris carnalitèr sororem cognouit, antequàm intèr ipsos matrimonium initum fuisset, & absquè dispensatione, vt supponimus, obtenta, quomodó possit ab inscio coniuge nouus haberi consensus, cum quamplurima scandala oriri possint.

Nèc desunt Theologi modos referentes, quibus facilè omnia pericula, & scandala euitari possent. Primus est si coniux criminis conscius, petat ab altero inscio, vt prò sua

con-

consolatione ipsum habeat in coniugem, & sic eo annuente, ipsa similitèr respondeat: ego quoquè meum te volo in coniugem.

Secundus probabiliùs est, si coniux impedimenti ignarus de nullitate prioris matrimonij certior fiat, retenta causa, vel circumstantijs necessariò examinandis, si id periculosum, foret, posset inscio coniugi æquiualens dari notitia nullitatis matrimonij, hac ratione e. g.

Si coniux impedimenti conscius, alteri dicat. Me nè ità diligis, vt si non esset inter nos matrimonium iterùm contraheres, & me in coniugem acceptares? quo affirmante, alter coniux dicat, se quoquè idem velle. Tertiùs est, si copulam coniuges affectu maritali habeant.

Verùm ad hoc saltèm requiritur, quòd coniux, cuius culpa matrimonium fuit redditum nullum, huiusmòdi nullitatis sit conscius, & fuerit in ea priùs dispensatus, quæ dispensatio sempèr prærequiritur quotiescumque hoc modo consensus reuocatur, & matrimonium contractum fuit irritum; alioquin sinè dispensatione consensus caderet in personas ineptas, non minùs quàm id acciderit antè ablatum impedimentum in matrimonio coràm Parocho, & testibus contracto.

Aduertendum tamèn est, vt alias diximus, quòd si huiusmòdi matrimonio nullo, semèl Parochus interfuit, & testes bona fide existimantes, valideque marrimonium celebrari, & coniuges tùnc nullo laborantes impedimento, cum deindè reuocatur consensus necessè minimè erit, id iterùm facere coràm Parocho, & testibus, quandò hæ solemnitates sinè scandalo, & infamiæ periculo, nequeant adhiberi.

Ratio est, quià Tridentinum præcipit, & requirit ad clandestina matrimonia euitanda, præsentiam Parochi, & testium, cum ènim Ecclesiæ de huiusmòdi matrimonio satis constet, iterùm Parochi, & testium præsentia adhibenda

da minimè necessaria erit, quòd etiàm in casibus suprà recensitis fieri nequaquàm posset, quià magna, vt plurimum, inconuenientia sequi possent.

Quòd hactenùs diximus, duplici modo, est limitandum. Primò si matrimonium contractum fuisset coràm Parocho, & testibus, qui benè nouerant sponsos eo impedimento dirimente laborare, nàm tùnc ijsdem præsentibus, esset consensus renocandus.

Ratio est, quià, testes ad probandum matrimonij valorem, non haberentur idonei sed potiùs nullitatem, secundò limitandum est, quandò impedimentum alioquin occultum, periculum est, né in foro exteriori publicum fiat, in quo etiàm casu, coràm Parocho, & testibus iterùm esset celebrandum.

Optimum deniquè consilium est, in his, & similibus casibus, & abundantiùs esse, si renocandus erit consensus iterùm in facie Ecclesiæ à Sacra Pœnitentiaria dispensationem impetrare, vt nil obstante Tridentini decreto, denuò intèr se ipsos sponsi secretò valeant contrahere, & matrimonium conualidare, minimè adhibitis Parocho, & testibus, quæ dispensatio ferè sempér conceditur, quandò sinè scandalo iterùm Parochus, & testes matrimonio interesse nequirent.

Quæres vltimò, quomodò Confessarius se gerere debeat, quandò aliquod impedimentum dirimens intèr audiendas confessiones deprehendat. Respondetur, quòd si existente pœnitente in bona fide, & inuincibilitèr impedimentum ignorante siué iuris, siué facti sit, & Confessarius aliunde aduertat, & timet, quòd si de illo pœnitentem admoneat, admonitio ei non erit proficua, & intèr coniuges póst talem notitiam peccaminosa sequeretur copula, quæ antè carebat culpa, & malitia, ob bonam coniugum fidem, male faceret Confessarius, si hanc nullitatem coniugi alioqui in bona fide existenti, propalaret. Nauar. Couarru. Sanchez, & alij.

SE-

SECTIO V.

De consensu coacto, & conditionato.

PRæmittimus (vt notum est) consensum coactum à spontaneo distingui, & huiusmòdi consensus in hac materia, ille dicitur, qui per vim, & metum extorquetur. Duplex autèm est metus, alius leuis, quo, nimirùm, attentis omnibus circumstantijs, quis prudentèr minimè moueri potest ad aliquid faciendum, huiusmòdi enìm essent minæ à fœmina, viro interitate, vi secum nubat.

Alius verò est metus grauis, qui communiter cadens in virum constantem nuncupatur, & hic contingit, quandò quis ad aliquid faciendum cogitur, quòd reuerà alioqui minimè faceret, eo metu cessante, huiusmòdi est metus mortis, infamiæ, corporis cruciatus, amissionis bonorum, & similium.

Poterit insupèr hic metus á duplici causa habere principium, intrinseca vna, extrinseca altera, Intrinseca sunt causæ naturales, vt est periculosus morbus, tempestas, incendium, sæua animalia, & similes. Extrinseca verò est causa libera scilicèt, homo huiusmòdi metum intentans, vt cum latrones e. g. alicui mortem minantur, nisi eisdem certam pecuniæ summam transmittat.

Et tandèm hic grauis metus ab extrinseco, hoc est, ab homine incuti potest, tàm ad non extorquendum matrimonium, quàm ad illud iuste, vel iniuste extorquendum, quæ hæc omnia specialitér habentur, non solùm ex Sanchez, verùm etiàm ex quamplurimis Doctoribus intrà citandis. Hisque igitùr præmissis.

Quæres, an consensus coactus ob metum irritet matrimonium? Respondetur, metùm cadentem in virum constantem

ſtantem ab extrieſeco iniuſtè incuſsum ad extorquendum matrimonium, illud in vtroque foro irritum reddere. Ratio eſt, quia conſenſus in matrimonio, debet eſſe ſpontaneus, & liber, eò, quia vnionem Chriſti cum Eccleſia repræſentat, quæ fuit libera, & ſpontanea. Ergò conſenſus per metum cadentem iniuſtè incuſsum ab extrinſeco ad extorquendum matrimonium, non eſt ipſius matrimonij validitati ſufficiens, habetur ex cap. *Cum locum de ſponſalibus* ibi.

Cum locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit, neceſsè eſt, vbi aſſenſus, cuiuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & vbi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cuius eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de inuitis ſolet nuptijs prouenire.

Quo circà mandamus, quatenùs puellam, de cuius matrimonio, quandò ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honeſtè teneri, donèc prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſinè contradictione cuiuſquàm valeat executioni mandari.

Metum cadentem in virum conſtantem iuſtè tamen incuſsum ad extorquendum conſenſum in matrimonium probabile eſt illud non irritare. Ratio eſt quia huiuſmodi metus potiùs oriri cenſetur ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco, qui metus minimè matrimonium annullat, vt infrà, eò quòd non tollit ſimpliciter ſpontaneum, & liberum.

Et ſic ponamus exemplum. Si Titius in fraganti ſtupro deprehendere, & Pater puellæ ſtupratorem apud Iudicem minitetur ſe accuſaturum, niſi eius filiam in vxorem accipiat, ex huiuſmodi delicto metus equidem prouenire cenſetur, quòd verè ſtuprator commiſit, & lex promulgata, quæ illum ad matrimonium contrahendum compellit, & non ab extrinſeco oritur metus, ſed ab intrinſeco, eò, quia

Pater ; qui minatur non reputatur metum inferre.

Immò potiùs dicendum erit, Patrem indifferenter ad iustam delicti commissi denunciationem vitandam, medium matrimonij proponere, & afferre. Itá Sanchez, & Filluccius, qui etiam cum alijs loquitur contrarium esse probabile, idest, matrimonium ob talem metum irritari, eò, quià videtur metus iniustè incussus à persona priuata potestatem non habente ad matrimonia alios compellendi, & aliunde satis constat matrimonium liberum esse debere.

Quemcunque metum iniustum, siué grauem, siuè leuem, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, siue iustum, siue iniustum, dummodò ad extorquendum matrimonium minimè incutiatur, contractum non irritare ; quià tùnc vere dici potest, quod in tali casu nubens spontanee, & libere nubat. Voluntarié enim illud eligit medium ad vitandum periculum, vt apertè deducitur, ex cap. *licèt de Regularibus*.

Validum quoque fore matrimonium initum cum concubina, ex metu præsentaneæ mortis, naturaliter tamen prouenientis, vel morbi, naufragij, immó etiam ex timore inferni: Ratio est, quià talis metus est incussus ab intrinseco, non verò ab extrinseco: ergò sicuti vota emissa, ob huiusmòdi metum valida sunt, ità etiàm à pari matrimonium, Sanchez, & alij.

Itèm à simili fore adhùc matrimonium validum à Caio contractum in carceribus detento ; qui, vt se ab eisdem liberari posset Iudicis filiam in vxorem ducit, etiàmsi Iudex minimè Caium detineat, vt filiam suam sibi in coniugem ducat, quia licèt hic metus sit cadens in constantem virum, nullatenùs supponi debet, quòd ad extorquendum matrimonium à Iudice incutiatur, vt liquidò patet ex cap. *Cum locum de sponsalibus*.

Ac insuper dicimus validè nubere ęgrotum cum filia medici

dici

dici, si iste mederi nequeat nisi filiæ nubat. Ratio est, quiá tùnc, vt merces, & stipendium matrimonium exigitur, & sicùti exactio stipendij in alijs negotijs, & rebus minimè libertatem tollit, ità simili modo libertatem necessariam matrimonio minimè tolleret Sotus cum alijs in præsenti.

Inferre etiàm possumus, metum grauem in ordine ad irritandum matrimonium non solùm esse metum grauis alicuius mali, verùm etiàm eumdem præstare nullitatis effectum adhùc metum leuis mali, dummodò iste metus fœminæ, puero, vel viro alioqui timido, & vili, fuerit incussus, ac etiam proueniat á causa extrinseca.

Ratio est, quiá licèt huiusmòdi metus ex se grauis non sit, nihilominùs talis censetur ratione earum personarum, quandoquidèm etiam fœmina baculo, & vir gladio terretur. Sunt igitùr in his, & similibus contingentijs attendendæ sexus, ætatis, & pusillanimitatis, qualitates, vt indé verè dicatur si fuerit metus grauis, vel leuis incussus.

Et ab opposito sensu etiam fateri possumus, quod quandò benè ponderatis omnibus circumstantijs metus incussus dici possit moralitèr leuis, non verò grauis, matrimonium ex eo contractum minimè nullum erit, quia matrimonium ex metu contractum, irritum appellatur, quiá sic Ecclesia determinauit, & nullitatem ex metu graui, & non leui prouenire declarauit, ità S. Tho. Sotus, &c.

Dicendum adhùc restat, metum cadentem in constantem virum, licèt probabile sit ipso facto minimé sponsalia dirimere, sicuti matrimonium, quandoquidèm maior in hoc requiratur libertas, quam in sponsalibus, sed tantummodò ei exhibere ius, qui metum est passus irritandi sponsalia, vt occurrit in alijs contractibus. Probabiliùs tamèn est per huiusmòdi metum etiam sponsalia dirimere, vt liquidó colligitur ex cap. *ad litteras de desponsatione impuberum.* ibi.

Litteras tuæ fraternitatis accepimus; ex quarum tenore perpendimus, quod cum quidam esset perfectæ ætatis, quandam

puellam in cunabilis desponsauit; procedente verò tempore, matrem puellæ cognouit, & eam in uxorem accepit, & infrà. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus vir matrem puellæ antequam septimum annum complesset, in uxorem accepit, matrimonium non dissoluas, cum desponsationes huiusmòdi nullæ sint, quæ in cunabulis fiunt: Verùm si postquàm puella septimum annum compleuit, prædictus vir matrem eius accepit uxorem, cum sponsalia ex tunc placere consueuerint intèr eos sententiam diuortij non differas promulgare, nec ipsum filiam, seu matrem habere permittas.*

Quæres, quid de consensu conditionato? Resp. quatuor modis matrimonium celebrari posse. Primo apponendo consensui causam explicatam per particulam *Quia*, puta, *duco te in meam uxorem, quià pulchra es.* Secũdo apponendo modum, qui explicari solet per particulam *Vt*, puta, *duco te, vt diues euadam*. Tertio apponendo demonstrationem, explicatam per particulam *Quæ*, puta, *duco te, quæ nobilis es.* Quarto deniquè apponendo conditionem explicatam per particulam *Si*, puta, *duco te, si parentes consenserint.*

Dicimus insupèr huiusmòdi conditiones multas, & varias esse. Aliæ enim sunt *necessariæ.* Aliæ *contingentes.* Aliæ *intrinsecæ matrimonio*. Aliæ *extrinsecæ*. Aliæ *honestæ*. Aliæ *turpes*. Aliæ *possibiles*. Aliæ *impossibiles*. Aliæ *contrariæ substantiæ matrimonij*. Aliæ *non*. Aliæ deniquè *de præterito*. Aliæ *de præsenti*, & aliæ *de futuro*, ex præmissis.

Colligimus primò, consensum præstitum matrimonio, sub modo contrario substantiæ matrimonij esse irritum, puta, si quis dicat *contraho tecum, dummodò venena sterilitatis procures*, aùt *ad adulterandum tradas*. Ratio est, quià contrahens sub tali modo ad illum obseruandum obligatur, ergò hac ratione, per huiusmòdi consensum ad seruandum modum coniux teneretur pro quo nulla dari potest obligatio, quià continet intrinsecè malum, quòd est peccatum.

Prò huiusmòdi conclusionis firmitate, adducimus Sanchez

chez de matr.lib.5.disp. 19. & non minùs Coninchum in fine suæ disputationis 29.hoc diximus, quiá pro contraria sententia extant. Ledesma q. 47. ar.5. dubit.3. Hurtadus disp.7.difficult.15.& Sotus dist.29.q.2.ar.1.Qui his loquitur verbis.

Si quis dicat, *Accipio te,quæ,* vel *quià venenum sterilitatis potasti*, matrimonium contrahit, siuè potauerit illa, siuè secùs, licèt eiusmòdi potatio fini matrimonij obstet, quià non apponitur, vt conditio. Imò quamuis dicat, *quià scio te sterilitatem procuraturam, vel pretio amicos recepturam,* & ratio est, quià illa non ceu conditionem apponit, sed, quià vxorem sterilem solùm, vt illecebris carnis accurrat, quærit, vel quæ illum quomodocunqué sustentet, etiàm turpi lucro, &c

Conclusio hæc facili ratione probatur. Quoniam illa, quæ matrimonium variant, vel vitiant,ad substantiam, seù ad vim contractus spectare debent. Demonstratio autèm, & modus, & causa ad vim contractus non spectant, sed ad causas, quæ contrahentes mouebant, vel ad opiniones rerum, quas conceperunt.

Quocircà, quamuis demonstratio, aut causa sit falsa, nihil refert: vt quispiam dicat. *Contraho tecum, quam Pater mihi desponsauit,* aut, *quià parentibus nostris perplacet*. Tùnc quamuis falsum illud sit, nihilominùs matrimonium tenet. Falsa enim demonstratio, legatum, aut contractum non vitiat.*l.falsa ff.de cond.& demonstr.*

Colligimus secundo, consensum,sub demonstratione,& causa proprié sumptis, præstitum matrimonium non suspendere; habentur enim pro non adiectis,eo,quià ad substantiam matrimonij non pertinent, puta,si quis dicat,*duco te,quià pulchra es,*vel,*quià nobilis es.*

At si demonstratio, & causa,naturam conditionis sapiant, tùnc de eo matrimonio iuxtà adiectam conditionem iudicandum erit, puta si quis contraheret dicendo, *duco te,quia libera es,* vel, *quæ das centum*, & intenderet sub con-

dicatur, *contraho tecum si prolis generationem euites*. Ratio est, quià talis conditio ipsam substantiam contractus destruit, quià sine substantia nil certè subsistere potest; vt asserunt omnes Doctores.

Et hoc tàm verùm est, vt si conditio ex se turpis minimè sit; immò potiùs licita, & honesta, si nihilominùs sit matrimonio contraria, adhùc ipsum matrimonium nullum reddet, huiusmòdi enim erit conditio in perpetua viuendi castitate, vel saltém ingrediendi religionem pòst bimestre tempus, quod ab omnibus conceditur.

Similitér pactum nunquám petendi, vel reddendi debitum, vt liquidò patet ex cap. *finali de conditionibus appositis*. S. Thomas, Sotus, Nauarr. & alij, nihilominùs non est improbabilis Hurtadi sententia, conditionem contrà bona matrimonij, non tamén contrà substantiam, matrimonium non inualidare, vt ipse satis probat.

Colligimus vltimò, conditionem impossibilem, vti talem benè cognitam prò adiecta minimè haberi, & sic matrimonium non irritare, puta, si quis dicat contraho tecum, si Cœlum digito tetigeris, vt habetur ex citatis cap. & insuper quiá talis conditio, cum sit (vt omnibus patet) impossibilis, seriò applicata, seu apposita, & animo matrimonium suspendendi, minimé censeatur, & fortiùs, quiá pro non adiecta Ecclesia determinauit.

Et itá á pari conditio non necessaria, puta, *contraho tecum, si cras Sol orietur*, matrimonium non suspendit, quòd sub hac conditione initum validum esset, etiam non expectato eius euentu, & quod de conditione impossibili dictum est, adhùc dicendum erit de conditione turpi, puta, *contraho tecum, si furtum commiseris*, est hæc impossibilis, quiá, quod de iure fieri nequit, impossibile veré dicatur. Omnes communitèr.

PARS

PARS TERTIA.

De Proprietatibus Matrimonij.

IN ſecunda parte de matrimonij eſſentia actum fuit, in præſenti agendum reſtat de eiuſdem proprietatibus, & effectibus, qui ex matrimonio proueniunt, pertractare, & cum vna ipſius matrimonij potior ſit proprietas mutua coniugalis debiti redditio: idcircò de hac primo loco breuitèr ſecundùm noſtrum morem diſcurrere debemus.

SECTIO I.

De mutua coniugalis debiti redditione.

QVæres primò, an actus coniugalis ſit licitus? Reſp. eſſe licitum, & abſque culpa veniali etiám, exerceri poſſe. Ratio eſt, quià matrimonium á Deo fuit inſtitutum; ergò eius vſus ſecundùm ſe non poteſt eſſe malus; immò erit meritorius, ſi cum circumſtantijs debitis exerceatur. Aduertimus tamén hunc actum non eſſe meritorium, *ex opere operato*, licét coniugalem, ſed, *ex opere operantis*, cum iſte actus non ſit Sacramentum, nequé pars illius.

Quæres ſecundò. An ſub mortali coniuges ad inuicem petenti debitum reddere teneantur. Reſp. omnium Doctorum eſſe affirmatiuam ſententiam, nec dubitari vnquàm poterit, cum habeatur ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. ibi. *Vxori vir debitum reddat, ſimilitèr autèm, & vxor viro.*

Probatur inſupér ratione, quià vir in matrimonio, quò ad vſum coniugij in ſuam vxorem tranſtulit poteſtatem, & è conuerſo, vxor in virum; ergò vterque alteri, quod ſuum

consolatione ipsum habeat in coniugem,& sic eo annuente, ipsa similitér respondeat: ego quoqué meum te volo in coniugem.

Secundus probabiliùs est, si coniux impedimenti ignarus de nullitate prioris matrimonij certior fiat, retenta causa, vel circumstantijs necessariò examinandis, si id periculosum, foret, posset inscio coniugi æquiualens dari notitia nullitatis matrimonij, hac ratione e. g.

Si coniux impedimenti conscius, alteri dicat. Me né ità diligis, vt si non esset inter nos matrimonium iterùm contraheres, & me in coniugem acceptares? quo affirmante, alter coniux dicat, se quoqué idem velle. Tertiús est, si copulam coniuges affectu maritali habeant.

Verùm ad hoc saltèm requiritur, quòd coniux, cuius culpa matrimonium fuit redditum nullum,huiusmòdi nullitatis sit conscius, & fuerit in ea priùs dispensatus, quæ dispensatio sempèr prærequiritur quotiescumque hoc modo consensus reuocatur, & matrimonium contractum fuit irritum; alioquin sinè dispensatione consensus caderet in personas ineptas, non minùs quàm id acciderit antè ablatum impedimentum in matrimonio coràm Parocho, & testibus contracto.

Aduertendum tamèn est, vt alias diximus, quòd si huiusmòdi matrimonio nullo, semèl Parochus interfuit,& testes bona fide existimantes, valideque matrimonium celebrari, & coniuges tùnc nullo laborantes impedimento, cum deindè reuocatur consensus necessè minimé erit, id iterùm facere coràm Parocho, & testibus, quandò hæ solemnitates sinè scandalo, & infamiæ periculo, nequeant adhiberi.

Ratio est, quià Tridentinum præcipit, & requirit ad clandestina matrimonia euitanda, præsentiam Parochi, & testium, cum ènim Ecclesiæ de huiusmòdi matrimonio satis constet, iterùm Parochi, & testium præsentia adhibenda

da minimè necessaria erit, quòd etiàm in casibus suprà recensitis fieri nequaquàm posset, quià magna, vt plurimum, inconuenientia sequi possent.

Quòd hactenùs diximus, duplici modo, est limitandum. Primò si matrimonium contractum fuisset coràm Parocho, & testibus, qui benè nouerant sponsos eo impedimento dirimente laborare, nàm tùnc ijsdem præsentibus, esset consensus renocandus.

Ratio est, quià, testes ad probandum matrimonij valorem, non haberentur idonei sed potiùs nullitatem, secundò limitandum est, quandò impedimentum alioquin occultum, periculum est, nè in foro exteriori publicum fiat, in quo etiàm casu, coràm Parocho, & testibus iterùm esset celebrandum.

Optimum deniquè consilium est, in his, & similibus casibus, & abundantiùs esse, si renocandus erit consensus iterùm in facie Ecclesiæ à Sacra Pœnitentiaria dispensationem impetrare, vt nil obstante Tridentini decreto, denuò intèr se ipsos sponsi secretò valeant contrahere, & matrimonium conualidare, minimè adhibitis Parocho, & testibus, quæ dispensatio ferè sempér conceditur, quandò sinè scandalo iterùm Parochus, & testes matrimonio interesse nequirent.

Quæres vltimò, quomodò Confessarius se gerere debeat, quandò aliquod impedimentum dirimens intèr audiendas confessiones deprehendat. Respondetur, quòd si existente pœnitente in bona fide, & inuincibilitèr impedimentum ignorante siué iuris, siué facti sit, & Confessarius aliunde aduertat, & timet, quòd si de illo pœnitentem admoneat, admonitio ei non erit proficua, & intèr coniuges pòst talem notitiam peccaminosa sequeretur copula, quæ antè carebat culpa, & malitia, ob bonam coniugum fidem, male faceret Confessarius, si hanc nullitatem coniugi alioqui in bona fide existenti, propalaret. Nauar. Couarru. Sanchez, & alij.

SE-

SECTIO V.

De consensu coacto, & conditionato.

PRæmittimus (vt notum est) consensum coactum à spontaneo distingui, & huiusmòdi consensus in hac materia, ille dicitur, qui per vim, & metum extorquetur. Duplex autèm est metus; alius leuis, quo, nimirùm, attentis omnibus circumstantijs, quis prudentèr minimè moueri potest ad aliquid faciendum, huiusmòdi enìm essent minæ à fœmina, viro interitate, vi secum nubat.

Alius verò est metus grauis, qui communiter cadens in virum constantem nuncupatur, & hic contingit, quandò quis ad aliquid faciendum cogitur, quòd reuerà alioqui minimè faceret, eo metu cessante, huiusmòdi est metus mortis, infamiæ, corporis cruciatus, amissionis bonorum, & similium.

Poterit insupèr hic metus à duplici causa habere principium, intrinseca vna, extrinseca altera, Intrinseca sunt causæ naturales, vt est periculosus morbus, tempestas, incendium, sæua animalia, & similes. Extrinseca verò est causa libera scilicèt, homo huiusmòdi metum intentans, vt cum latrones c. g. alicui mortem minantur, nisi eisdem certam pecuniæ summam transmittat.

Et tandèm hic grauis metus ab extrinseco, hoc est, ab homine incuti potest, tàm ad non extorquendum matrimonium, quàm ad illud iuste, vel iniuste extorquendum, quæ hæc omnia specialitér habentur, non solùm ex Sanchez, verùm etiàm ex quamplurimis Doctoribus intrà citandis. Hisque igitùr præmissis.

Quæres, an consensus coactus ob metum irritet matrimonium? Respondetur, metùm cadentem in virum constantem

ſtantem ab extrieſeco iniuſtè incuſsum ad extorquendum matrimonium, illud in vtroque foro irritum reddere. Ratio eſt, quia conſenſus in matrimonio, debet eſſe ſpontaneus, & liber, eò, quia vnionem Chriſti cum Eccleſia repræſentat, quæ fuit libera, & ſpontanea. Ergò conſenſus per metum cadentem iniuſtè incuſsum ab extrinſeco ad extorquendum matrimonium, non eſt ipſius matrimonij validitati ſufficiens, habetur ex cap. *Cum locum de ſponſalibus* ibi.

Cum locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit, neceſsè eſt, vbi aſsenſus, cuiuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & vbi de ipſo quaritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cuius eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de inuitis ſolet nuptijs prouenire.

Quo circà mandamus, quatenùs puellam, de cuius matrimonio, quandò ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honeſtè teneri, donèc prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſinè contradictione cuiuſquàm valeat executioni mandari.

Metum cadentem in virum conſtantem iuſtè tamen incuſsum ad extorquendum conſenſum in matrimonium probabile eſt illud non irritare. Ratio eſt quia huiuſmodi metus potiùs oriri cenſetur ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco, qui metus minimè matrimonium annullat, vt infrà, eò quòd non tollit ſimpliciter ſpontaneum, & liberum.

Et ſic ponamus exemplum. Si Titius in fraganti ſtupro deprehendere, & Pater puellæ ſtupratorem apud Iudicem minitetur ſe accuſaturum, niſi eius filiam in vxorem accipiat, ex huiuſmodi delicto metus equidem prouenire cenſetur, quòd verè ſtuprator commiſit, & lex promulgata, quæ illum ad matrimonium contrahendum compellit, & non ab extrinſeco oritur metus, ſed ab intrinſeco, eò, quia

Pater; qui minatur non reputatur metum inferre.

Immò potiùs dicendum erit, Patrem indifferenter ad iustam delicti commissi denunciationem vitandam, medium matrimonij proponere, & afferre. Itá Sanchez, & Filluccius, qui etiam cum alijs loquitur contrarium esse probabile, idest, matrimonium ob talem metum irritari, eò, quià videtur metus iniustè incussus à persona priuata potestatem non habente ad matrimonia alios compellendi, & aliunde satis constat matrimonium liberum esse debere.

Quemcunque metum iniustum, siuè grauem, siuè leuem, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, siue iustum, siue iniustum, dummodò ad extorquendum matrimonium minimè incutiatur, contractum non irritare; quià tùnc vere dici potest, quod in tali casu nubens spontanee, & libere nubat. Voluntarié enim illud eligit medium ad vitandum periculum, vt apertè deducitur, ex cap. *licèt de Regularibus*.

Validum quoque fore matrimonium initum cum concubina, ex metu præsentaneæ mortis, naturaliter tamen prouenientis, vel morbi, naufragij, immó etiam ex timore inferni: Ratio est, quià talis metus est incussus ab intrinseco, non verò ab extrinseco: ergò sicuti vota emissa, ob huiusmòdi metum valida sunt, ità etiàm à pari matrimonium, Sanchez, & alij.

Itèm à simili fore adhùc matrimonium validum à Caio contractum in carceribus detento; qui, vt se ab eisdem liberari posset Iudicis filiam in vxorem ducit, etiàmsi Iudex minimè Caium detineat, vt filiam suam sibi in coniugem ducat, quia licèt hic metus sit cadens in constantem virum, nullatenùs supponi debet, quòd ad extorquendum matrimonium à Iudice incutiatur, vt liquidò patet ex cap. *Cum locum de sponsalibus*.

Ac insuper dicimus validè nubere ægrotum cum filia medici

dici, si iste mederi nequeat nisi filiæ nubat. Ratio est, quiá tùnc, vt merces, & stipendium matrimonium exigitur, & sicùti exactio stipendij in alijs negotijs, & rebus minimè libertatem tollit, ità simili modo libertatem necessariam matrimonio minimè tolleret Sotus cum alijs in præsenti.

Inferre etiàm possumus, metum grauem in ordine ad irritandum matrimonium non solùm esse metum grauis alicuius mali, verùm etiàm eumdem præstare nullitatis effectum adhùc metum leuis mali, dummodò iste metus fœminæ, puero, vel viro alioqui timido, & vili, fuerit incussus, ac etiam proueniat á causa extrinseca.

Ratio est, quiá licèt huiusmòdi metus ex se grauis non sit, nihilominùs talis censetur ratione earum personarum, quandoquidèm etiam fœmina baculo, & vir gladio terretur. Sunt igitùr in his, & similibus contingentijs attendendæ sexus, ætatis, & pusillanimitatis, qualitates, vt indé verè dicatur si fuerit metus grauis, vel leuis incussus.

Et ab opposito sensu etiam fateri possumus, quod quandò benè ponderatis omnibus circumstantijs metus incussus dici possit moralitèr leuis, non verò grauis, matrimonium ex eo contractum minimè nullum erit, quia matrimonium ex metu contractum, irritum appellatur, quiá sic Ecclesia determinauit, & nullitatem ex metu graui, & non leui prouenire declarauit, ità S. Tho. Sotus, &c.

Dicendum adhùc restat, metum cadentem in constantem virum, licèt probabile sit ipso facto minimé sponsalia dirimere, sicuti matrimonium, quandoquidèm maior in hoc requiratur libertas, quam in sponsalibus, sed tantummodò ei exhibere ius, qui metum est passus irritandi sponsalia, vt occurrit in alijs contractibus. Probabiliùs tamèn est per huiusmòdi metum etiam sponsalia dirimere, vt liquidó colligitur ex cap. *ad litteras de desponsatione impuberum.* ibi.

Litteras tuæ fraternitatis accepimus; ex quarum tenore perpendimus, quod cum quidam esset perfectæ ætatis, quandam

puellam in cunabilis desponsauit;procedente verò tempore,matrem puellæ cognouit, & eam in vxorem accepit, & infrà. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus vir matrem puellæ antequam septimum annum complesset, in vxorem accepit,matrimonium non dissoluas, cum desponsationes huiusmòdi nullæ sint,quæ in cunabulis fiunt: Verùm si postquàm puella septimum annum compleuit, prædictus vir matrem eius accepit vxorem,cum sponsalia ex tunc placere consueuerint intèr eos sententiam diuortij non differas promulgare, nec ipsum filiam, seu matrem habere permittas.*

Quæres, quid de consensu conditionato? Resp. quatuor modis matrimonium celebrari posse. Primo apponendo consensui causam explicatam per particulam *Quia*, puta, *duco te in meam vxorem,quià pulchra es.* Secũdo apponendo modum, qui explicari solet per particulam *Vt*, puta, *duco te,vt diues euadam*. Tertio apponendo demonstrationem, explicatam per particulam *Quæ*, puta,*duco te, quæ nobilis es.* Quarto deniquè apponendo conditionem explicatam per particulam *Si*, puta, *duco te, si parentes consenserint.*

Dicimus insupèr huiusmòdi conditiones multas, & varias esse. Aliæ enim sunt *necessariæ*. Aliæ *contingentes*. Aliæ *intrinsecæ matrimonio*. Aliæ *extrinsecæ*. Aliæ *honestæ*. Aliæ *turpes*. Aliæ *possibiles*. Aliæ *impossibiles*. Aliæ *contrariæ substantiæ matrimonij*. Aliæ *non*. Aliæ deniquè *de præterito*. Aliæ *de præsenti*, & aliæ *de futuro*, ex præmissis.

Colligimus primò, consensum præstitum matrimonio, sub modo contrario substantiæ matrimonij esse irritum, puta, si quis dicat *contraho tecum, dummodò venena sterilitatis procures*, aùt *ad adulterandum tradas*. Ratio est, quià contrahens sub tali modo ad illum obseruandum obligatur, ergò hac ratione, per huiusmòdi consensum ad seruandum modum coniux teneretur pro quo nulla dari potest obligatio, quià continet intrinsecè malum, quòd est peccatum.

Prò huiusmòdi conclusionis firmitate, adducimus Sanchez

chez de matr.lib.5.disp. 19. & non minùs Coninchum in fine suæ disputationis 29.hoc diximus, quiá pro contraria sententia extant. Ledesma q. 47. ar.5. dubit.3. Hurtadus disp.7.difficult.15.& Sotus dist.29.q.2.ar.1.Qui his loquitur verbis.

Si quis dicat, *Accipio te,qua*, vel *quià venenum sterilitatis potasti*, matrimonium contrahit, siuè potauerit illa, siué secùs, licèt eiusmòdi potatio fini matrimonij obstet, quià non apponitur, vt conditio. Imò quamuis dicat, *quià scio te sterilitatem procuraturam*, *vel pretio amicos recepturam*, & ratio est, quià illa non ceu conditionem apponit, sed, quià vxorem sterilem solùm, vt illecebris carnis accurrat, quærit, vel quæ illum quomodocunqué sustentet, etiam turpi lucro, &c

Conclusio hæc facili ratione probatur. Quoniam illa, quæ matrimonium variant, vel vitiant, ad substantiam, seù ad vim contractus spectare debent. Demonstratio autèm, & modus, & causa ad vim contractus non spectant, sed ad causas, quæ contrahentes mouebant, vel ad opiniones rerum, quas conceperunt.

Quocircà, quamuis demonstratio, aut causa sit falsa, nihil refert: vt quispiam dicat. *Contraho tecum*, *quam Pater mihi desponsauit*, aut, *quià parentibus nostris perplacet*. Tùnc quamuis falsum illud sit, nihilominùs matrimonium tenet. Falsa enim demonstratio, legatum, aut contractum non vitiat.*l.falsa ff.de cond.& demonstr.*

Colligimus secundo, consensum,sub demonstratione,& causa proprié sumptis, præstitum matrimonium non suspendere; habentur enim pro non adiectis,eo,quià ad substantiam matrimonij non pertinent, puta,si quis dicat,*duco te,quià pulchra es*,vel,*quià nobilis es.*

At si demonstratio, & causa,naturam conditionis sapiant, tùnc de eo matrimonio iuxtà adiectam conditionem iudicandum erit, puta si quis contraheret dicendo, *duco te,quia libera es*, vel, *qua das centum*, & intenderet sub

con-

conditione contrahere, atque itá sensus esset, *dúco te si libera es*, vel *si das centum.*

Colligimus tertió, matrimonium contractum sub conditione de præterito, vel de præsenti, puta, si dicat *contraho tecum si filia Caÿ est, si nauis aduenit*, equidém validum esse, dummodò conditio vera sit. Inualidum tamèn, si falsa. Ratio est, quiá quilibet contractus est validus, iuxtá contrahentium intentionem.

Vndè si conditio de præsenti, vel de præterito vera sit, tûnc validum erit matrimonium, quiá talis est contrahentium voluntas; si verò falsa erit, inualidum, quià in huiusmòdi casu, minimé contrahentes se obligare intendunt, ità S.Tho.Bonacina,Layman in præsenti, & alij.

Colligimus quarto,matrimonium contractum,sub conditione de futuro,séd tamèn honesta, puta, *duco te, si tuus Pater consenserit, si mille in dotem dederis*,non esse validum, nequé inualidum, sèd suspensum remanere quousqué conditio purificetur. Ratio est, quià conditio proprié dicta, valorem actus suspendit, cui apponitur, habetur ex cap. supèr eo de conditionibus appositis, ibi.

Postulasti vtrum ille, qui in quandam mulierem consensit, si pater eius suum præstaret assensum sit ad consummandum matrimonium compellendus. Respondemus, quòd cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reseruatur, ac conditionem ipsam canonica non improbent instituta, nisi voluntas patris postmodùm intercedat, nequaquàm cogendus est ad matrimonium contrahendum.

Nàm licèt Alexander Papa responderit, quòd sponsalia interposita conditione contracta, ipsa non impleta, si consensus de præsenti intercedat, vel carnalis copula subsequatur, dissolui non debeant, sed firmitèr obseruari, nequaquàm est nostra diffinitioni aduersum, cum huiusmòdi consensus non sit de præsenti habendus, licèt per verba de præsenti euidentiùs: qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo, consistit.

Sed, an purificata conditione necesse sit, nouum elice-

re

re consensum; An verò sufficiat consensus sub conditione præstitus. Resp. pòst adimpletam conditionem renouandum esse consensum, quo non renouato, matrimonium non esse validum, docuerunt S. Tho. & alij apùd Sanchez in præsenti.

Ex quo firmarunt, quód si Caius sub conditione contraxerit matrimonium cum Berta, si pòst adimpletam conditionem simpliciter contrahat cum Sempronia priùs non renouato consensu cum Berta, hoc secundum matrimonium esse validum; non vero primum, cum primum iuxtá hanc sententiam pòst adimpletam conditionem non sit validum, quod probatur ex cap. ex eo cit.

Nihilominùs contraria sententia communior, & tanquám probabilior est, nimirùm, minimè requiri purificata conditione ad matrimonij valorem, nouum consensum, sèd illum eumdem de conditionato in absolutum transire, ex quo oppositū omninò sequitur in casu proposito de Caio, quandoquidèm primum matrimonium validum esset, etiā non renouato consensu, sèd solùm purificata conditione, non verò secundum.

Probatur conclusio, quià contractus sub honesta conditione de futuro celebratus hoc ipsò perficitur, & conualidatur, quòd conditio purificatur. Habetur ex *l. potior ff. qui potiores in pignore habeantur*, vbi dicitur: *Cum semèl conditio extitit, perindè habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est sinè conditione facta esset*; & *l. hæc venditio ff. de contrahenda emptione* sub his verbis: *Conditionales emptiones tunc perficiuntur, cum adimpleta fuerit conditio.*

Confirmatur paritèr ratione, quià conditionata sponsalia statìm purificata conditione sunt valida, nec nouo indigent consensu, ergò etiám matrimonium sub conditione celebratum, ità Innocentius, Abbas, Sanchez, & alij quamplurimi, quos in præsenti citat, & sequitur Layman.

Colligimus quinto. Conditionem contrà substantiam matrimonij, aut eius bona, irritum illud reddere, puta, si dica-

dicatur, *contraho tecum si prolis generationem euites*. Ratio est, quià talis conditio ipsam substantiam contractus destruit, quià sine substantia nil certè subsistere potest; vt asserunt omnes Doctores.

Et hoc tàm verùm est, vt si conditio ex se turpis minimé sit; immò potiùs licita, & honesta, si nihilominùs sit matrimonio contraria, adhùc ipsum matrimonium nullum reddet, huiusmòdi enim erit conditio in perpetua viuendi castitate, vel saltém ingrediendi religionem pòst bimestre tempus, quod ab omnibus conceditur.

Similitér pactum nunquám petendi, vel reddendi debitum, vt liquidò patet ex cap. *finali de conditionibus appositis*. S. Thomas, Sotus, Nauarr. & alij, nihilominùs non est improbabilis Hurtadi sententia, conditionem contrà bona matrimonij, non tamén contrà substantiam, matrimonium non inualidare, vt ipse satis probat.

Colligimus vltimò, conditionem impossibilem, vti talem benè cognitam prò adiecta minimè haberi, & sic matrimonium non irritare, puta, si quis dicat contraho tecum, si Cœlum digito tetigeris, vt habetur ex citatis cap. & insuper quiá talis conditio, cum sit (vt omnibus patet) impossibilis, seriò applicata, seu apposita, & animo matrimonium suspendendi, minimé censeatur, & fortiùs, quiá pro non adiecta Ecclesia determinauit.

Et itá á pari conditio non necessaria, puta, *contraho tecum, si cras Sol orietur*, matrimonium non suspendit, quòd sub hac conditione initum validum esset, etiam non expectato eius euentu, & quod de conditione impossibili dictum est, adhùc dicendum erit de conditione turpi, puta, *contraho tecum, si furtum commiseris*, est hæc impossibilis, quiá, quod de iure fieri nequit, impossibile veré dicatur. Omnes communitèr.

PARS

PARS TERTIA.

De Proprietatibus Matrimonij.

IN secunda parte de matrimonij essentia actum fuit, in praesenti agendum restat de eiusdem proprietatibus, & effectibus, qui ex matrimonio proueniunt, pertractare, & cum vna ipsius matrimonij potior sit proprietas mutua coniugalis debiti redditio: idcircò de hac primo loco breuitèr secundùm nostrum morem discurrere debemus.

SECTIO I.

De mutua coniugalis debiti redditione.

QVæres primò, an actus coniugalis sit licitus? Resp. esse licitum, & absque culpa veniali etiám, exerceri posse. Ratio est, quià matrimonium á Deo fuit institutum; ergò eius vsus secundùm se non potest esse malus; immò erit meritorius, si cum circumstantijs debitis exerceatur. Aduertimus tamén hunc actum non esse meritorium, *ex opere operato*, licét coniugalem, sed, *ex opere operantis*, cum iste actus non sit Sacramentum, nequé pars illius.

Quæres secundò. An sub mortali coniuges ad inuicem petenti debitum reddere teneantur. Resp. omnium Doctorum esse affirmatiuam sententiam, nec dubitari vnquàm poterit, cum habeatur ex Apostolo 1. Corinth. 7. ibi. *Vxori vir debitum reddat, similitèr autèm, & vxor viro.*

Probatur insupér ratione, quià vir in matrimonio, quò ad vsum coniugij in suam vxorem transtulit potestatem, & è conuerso, vxor in virum; ergò vterque alteri, quod suum

eſt ex iuſtitia reddere tenetur, tempore, quo ab altero exigatur, & hoc verum quidèm eſt, tàm ſi coniux expreſsè, quàm ſi tacité petat. Taciti, & expreſſi eſt idem iudicium. *l. de quibus in ſide ff. de legibus.*

Tacitè verò, vt plurimùm vxores petere ſolent præ pudore; immó quadam naturali honeſtate, expreſsé non audent. Vndè ſi vir in ea quibuſdam ſignis petendi debitum voluntatem percipiat, non expectata manifeſta petitione reddere tenetur. Idemque dicendum eſt de vxore reſpectu viri, ſi aliquandó præ naturali verecundia, vel reuerentia, puta, ſi vxor valdé nobilis eſſet; vel alia ratione manifeſtè petere, quod raró accidit, non auderet.

Néc dubitare debemus, quòd ſi tūc ipſa huiuſmòdi viri voluntatem conijciat reddere teneretur, & licét non adſit phyſica petitio, adeſt tamén ſaltèm moralis redditio, ſicùti minimé petere; sèd reddere, quandò coniux in altero aduertens periculum incontinentiæ petit, ſub mortali tenetur reddere, itá S. Thom. in 4. diſt. 32. q. vnic. art. 2. quæſt. 1. Nauarr. cap. 16. n. 26. Layman lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 1. Sanchez in præſenti, & alij.

Huiuſmòdi concluſio intelligenda eſt, vt ex genere ſuo ſit peccatum lethale, quandò exigenti debitum coniugale, non reddatur, sèd non autèm totiès, quotiés petatur, eò, quòd coniuges ad reddendum ex iuſtitia, non tenentur, ſicùt i non ſempér eſt mortale, alienum ex iuſtitia non reddere; ità in præſenti ſempér non eſt culpa lethalis negare debitum, licèt talis ſit ex genere ſuo. Et in particulari lethale non eſt debitum negare, attentis circumſtantijs, loci, perſonæ, temporis, & alijs rationabilitèr obſeruandis, vt infrá, ex his poſitis.

Infertur primò, mortalem culpam minimé eſſe negare debitum coniugi, qui illud petit, non exigendo ex rigoroſa obligatione iuſtitiæ, séd tanquàm quoddam amicitiæ coniugale ſymbolum, dummodò in pœnitente periculum incontinentiæ minimè adſit. Ratio eſt, quià negare matrimonia-

moniale debitum, ex genere suo sempér est mortale, vt diximus; cum hoc contrà iustitiam, vel saltèm contrà charitatem tendat; sed in casu proposito, nec iustitia, nequé charitas læderetur, ergó, &c.

Quòd si petatur quomodò in praxi dignosci possit, quãdò coniux debitum ex iustitia, & quandò amicabilitèr. Resp. si petés ęqué omninò repulsam sufferat, illicò acquiescat, & nec aliud vlterius tentet, tùnc signum est, debitum ex amicitia fuisse petitum. Secùs si bilis, iracundia accendatur, & de negato coniugio conqueratur, quià tùnc conijci ex hoc poterit, quod coniugale debitum ex iustitia petierat, & negans aliquandò mortalitèr peccabit, vt ex præmissis claré colligitur.

Infertur secundò. Quòd si coniux nimiùs sit in petendo sollicitus, ità vt in hoc limites rectæ rationis excedat, aliquando non erit lethale debitum denegare. Ratio est, quià coniux non se obligauit ad redditionem debiti totiès, quotiès illud immoderatè petitur, sed tantummodò moderatè; ergò tunc negans non facit contrá ius immoderaté petentis, & paritèr, quià sempér datur modus in rebus, & maximé in copula coniugali; qua ex frequentia, multa mala prouenire solent.

Infertur tertió. Neutrum coniugem, in probabili vitæ periculo, vel saltém notabilis ægritudinis teneri reddere debitum, quandoquidém vsus coniugalis est equidém ordini naturæ conformis, sed ipsa natura priùs proprij indiuidui conseruationem; posteà prolis generationem exigit; ergò cum huiusmòdi periculo debitum coniugale minimé reddendum est, ità Doctor Angelicus communitér receptus.

Ex qua illatione consequentér sequitur, coniugem febri laborantem minimé teneri debitum reddere, præsertìm si etyca; & maximé si fuerit grauitér vulneratus: Immò neq; post prandiũ immediaté sumptũ, quãdoquidém copula in his, & similibus casibus, cruditatem, & humorum generat

corruptionem, vt Paludanus apud Sanchez testatur se à quodam audiuisse medico, virum quendam in phthisim incidisse, quià post prandium actum coniugalem semper solitus erat exercere.

Nequé tenetur reddere debitum, si alter coniux morbo laboraret gallico, aut contagioso, vt est lepra, cum periculo propriæ infectionis, & vniuersalis regula sit, quód quotiescumque rationabilitér graue sanitati nocumentum inferendum timeatur, reddendi debitum non est obligatio. Immò non raró lethalitér peccare posset, si hoc durante periculo, reddatur, eò, quià coniuges vitæ propriæ dominium non habent, & alioqui ex præcepto naturæ indiuiduum conseruare omnes tenentur, ità Doctores communitér.

Nec à veritate dissonum est, idem esse dicendum, quando coniux debitum reddendo, animaduertat hoc fieri in graue petentis dispendium, puta, si notabilitér petentis sanitati copula noceret, & in huiusmòdi contingentia, cum irrationabilitér á petente exigatur licité negari potest. Diximus, *graue nocumentum, & dispendium*; quia si leue, & momentaneum ex copula timeretur, vt esset leuis stomachi dolor, capitis, &c. ob id debitum non esset denegandum. Sanchez.

Infertur quartó: Vxorem non teneri reddere, si probabilitér timeat, quod si conceperit in partu obiret, vel saltém experta fuerit se prolem mortuam parere; non enim, vt diximus, cum probabili perdendæ vitæ periculo, erit debitum reddendum. Si verò huiusmodi non adsit periculum, & adhùc cum magna difficultate, vel aliquali mortis timore, mulier sit sæpé solita parere dicimus in tali casu non videri esse immunem à reddendo, quia hoc in maximum sui mariti onus cederet, qui perpetuò probabili incontinentiæ periculo viuere cogeretur.

Infertur quintò. Vxorem prolem lactantem, debitum coniugale minimé reddere teneri, quotiescunque præ mariti

riti paupertate, eam alijs nutriendam tradere non posset. Ratio est, quia prolis damnum damno matris æquiparatur, quo imminente, vt iam superiùs firmauimus, debitum minimé reddere tenetur, vt loquitur Sanchez cum Bonacina in præsenti, alijque plurimi.

Infertur sextò. Si tempore furoris, totalis amentiæ, ebrietatis, &c. debitum petatur, licitum non esse reddere. Ratio est, quia ebrius, vel furiosus, minimé humano modo petit, & per consequens coniux negans alteri debitum non ei facit iniuriam, si tamén in huiusmodi pœnitente adesset incontinentiæ periculum, ex charitate coniux reddere teneretur. Bonacina.

Infertur septimó. Nullam esse culpam lethalem negare debitum eo solo fine, ne filij multiplicentur, quos omnes præ nimia paupertate Coniuges non sunt habiles alendi, quiá sicùti hæc magna incommoditas, & impotentia enutriendi filios à redditione æris alieni debitorem excusaret; itá à redditione debiti coniugalis coniugem absoluit, non tamén hoc licitum esset, si tali egestate non fuerint grauati, ob solam filiorum multiplicationem. Sanchez.

Infertur octauò, Coniugem se notabilitér reddentem impotentem ad debitum, medijs licitis, vel illicitis, puta, nimis ieiunijs, corporis afflictationibus, & consequentér extenuando vires, quibus ad commodé reddendum debitum indiget, peccare mortalitér contrà iustitiam. Ratio est, quia sicuti coniux sub mortali ad reddendum tenetur, itá sub eodem onere tenetur vitare, quæ notabilitér debiti redditionem impediunt.

Si veró hæc ob nimiam fornicationem euenerint, huiusmòdi circumstantia in confessione necessarió esset manifestanda, & præter fornicationis peccata, adhùc etiam contrá debitum matrimonij, quod reddere ex crebris fornicationibus se inhabilem reddidisse, explicare teneretur. eò, quiá noua videtur insurgere species peccati. Sāchez lib. 9 de matrim. disp. 3. & alij, quos citat, & sequitur Bonac. q. 4. p. 1. in præsenti.

Quæ-

Quæres. An sit reddendũ debitum coniugi illicitè petẽti? Præmittimus ex duplici principio accidere posse petitionem coniugalem esse illicitam. Primò ratione personæ petentis; quandò nimirùm circumstantia malitiæ se tenet ex parte coniugis petentis, puta, si quis petens, votum castitatis habeat, vel peccet animo committendæ fornicationis.

Secundò modò poterit esse illicita petitio, ratione actus coniugalis, quando scilicèt, circumstantia malitiæ se tenet ex parte actus, puta, si in publico, in Ecclesia, &c. petatur debitum, cum periculo impediendi generationem vel genitam prolem enecandi, vt benè aduertit in præsenti Layman, cum Bonacina, & alijs.

Præmittimus insupèr, aliquandò posse petitionem esse illicitam, non tamén iniustam, vt accidere posset in habente votum castitatis. Hic enim illicitè quidèm, sed minimè iniustè peteret. Ratio est. quià nihil obstante huiusmòdi voto adhùc ius petendi retinet. Aliquandò petitio poterit esse iniusta, & illicita, puta, si matrimonium ex vtraque parte inualidè fuisset contractum, His præmissis.

Dicimus primò si petitio sit tantùm illicita, ratione alicuius circumstantiæ se tenentis ex parte personæ petentis, Coniugem non solùm posse, verùm etiám teneri coniugi, sic illicitè petenti reddere debitum, eò, quià illicitè petens, minimé iniustè petit, cum ius suum petendi adhùc retineat, ergò si negatur, fiet contra alienum ius, idest, ipsius coniugis.

Addimus insupèr, quiá debitum coniugale reddens, peccato illicitè petentis minimé cooperatur, quandoquidém circumstantia malitiæ, quantum est ex se, actum coniugalem non afficiat, vt supponimus, & reddens ex parte sua, actum de se bonum exercet. Immò coniugibus licitum est, & consequenter peccato petentis minimè cooperatur.

Sanchez verò cum alijs positam conclusionem duobus pro-

probat modis. Primò, si vir fornicario petat affectu. Secundò autem si petens probabilitèr adhùc de matrimonij valore dubitet, quia tùnc vxor reddere teneretur, si tamèn sit certa de eiusdem matrimonij validitate; eò, quia circumstantia malitiæ in his casibus non ex parte actus, sed potius ex parte personæ se tenet.

Dicimus secundò debitum minimè reddi posse absque mortifera culpa quotiescumquè illicitè petitur ob circumstantiam se tenentem ex parte actus, quià ipse actus est illicitus, & peccaminosus; ergò tàm petens, quàm reddens exercentes huiusmòdi actum illicitum, mortalitèr peccabunt.

Quarè mortiferum equidem esset peccatum in publico reddere debitum; quandoquidèm humanæ aduersaretur honestati, & non minùs, quià id fieri nequit sine proximi scandalo, idemque forè dicendum de coniugatis publicè tactibus impudicis vtentibus. Vide Sanchez, & Bonacinam in præsenti.

Immò à fortiori asserimus extrà necessitatem in loco sacro reddere debitum, minimè posse absque peccato mortali, eò, quiá per publicam seminis effusionem siue licitam, siuè illicitam, Ecclesiam pollui, & sacrilegium committi. Aspectus, cogitationes, desideria, nutus, tactus licèt obscænè habiti intèr coniuges in Ecclesia, non sunt sacrilegia, quià effusio seminis in tali loco prohibetur.

Quæres. Quomodò peccent coniuges in morosis delectationibus. tactibus, aspectibus; & turpibus colloquijs intèr se habentes. Respondetur, coniuges absque lethali culpa de præhabita copula, aut habenda licèt apprehensa, tamquàm præsenti, dummodò pollutionis periculum vitetur, & consensus, in ea, morosè delectari posse.

Ratio est quia si coniuges absque peccato mortali in copulam matrimonialem liberè consentire possunt, etiamsi alter sit absens, & copula intèr eos minimè habenda, ergò à fortiori de ea poterunt delectari; quandoquidèm id mi-

nùs

nus est; ità S. Thomas, Caietanus, Sanchez, nonnulli verò asserunt esse mortale.

Ad faciendum coniugalem amorem; vel ad habendam copulam, posse coniuges sinè mortali, & veniali vti tactibus, aspectibus, & turpibus colloquijs, quià sicùt in his casibus ex se est honestus, & licitus finis, ità etiàm media, quæ ad eundem finem ordinantur. Vidé citatos Doctores.

Si ex tactibus ad bonum finem ordinatis, vt ad fouendum coniugalem amorem pollutio sequatur non erit mortale, dummodò absit periculum consentiendi in eũ, & Sanchez vlteriùs progrediendo ait non esse mortale si pollutio sequatur ex tactibus impudicis, & venialitér peccaminosis, vt tactus verendarum partium, modò illi tales non sint, vt inchoata, pollutio euenire possit.

Ratio est quià cum huiusmòdi tactus intér coniuges liciti sint, in pollutionem directè minimé influunt, neq; eius causa dicuntur, & consequentèr in eis vacare: certò pollutione adhúc præuisa, non erit culpa lethalis dummodò absit periculum consensus, vt passim recentiores loquuntur. Vide Sanchez.

Queres, An sit peccatũ mortale petere, vel reddere debitũ extante aliquo impedimẽto matrimoniũ dirimente? Respondetur si coniux certus sit de aliquo dirimente impedimento, siuè ecclesiastico, siue iure diuino, coniugi ignoranti, nèc petere, neque reddere debitum, potest. Ratio est, quià in nullo casu fornicatio potest esse licita, vt ex sacris litteris liquidò patet; sed tunc illa copula saltèm respectu scientis fornicaria esset accedendo nimirùm, ad eam, quàm certó scit non esse suam. Rebell. Layman, Fillucius, & alij.

Non tamèn me latet nonnullos dixisse non esse mortale, si coniux impedimenti, & nullitatis conscius vsum sui corporis bona fide petenti permittat, quandó id ei minimé denegare posset sinè manifesto suæ vitæ periculo, vel famæ iactura, quòd sit probabilis nostra, concurrentibus neces-

sita-

sitatibus dictis, opinio aliorum iudicio prudenti, remittimus.

Si Coniux bona fidè matriminium contràxit, & posteà de eius valore dubitare incipiat, antequám diligentiam adhibeat, qua dubium tollatur, debitum petenti reddere tenetur, modò ipse à petitione abstineat, quià sicùti, qui dubitat, an res sit sua antè præmissa diligentiam ea vti non potest, ità dubitans de matrimonij valore, matrimonio non vti potest, quia petitio est actus dominij, non redditio, quiá propter dubium alteriùs, alter coniux sua possessione non remanet spoliatus,

Quòd autem hucusque firmauimus, intelligendum est de solo dubio speculatiuo, & non practico, quia si coniux practice dubitaret, an hic, & nunc sine culpa lethali possit reddere, tali dubio non deposito, vtique peccaret mortalitèr, quià operans cum dubio practico, & aduertens id esse lethale, mortiferè peccat ob euidens periculum, cui peccandi se exponit. Laym. & omnes communitèr.

Coniux, qui mala fide matrimonium contraxit, dubitans de eius valore, nec anté, neque pòst ádhibitam diligentiam, durante dubio pètere potest. Quià huic coniugi non suffragatur possessio. vt poté, qui mala fide inchoauit actũ reddere tamèn tenetur, si alter bona fide contraxerat, quod si vterque mala laborauerint, huiusmòdi durante dubio ob allatam rationem, neuter nec reddere, neq; petere potest. Doctores citati.

Si Coniux non dubitet, sed opinetur de matrimonij validitate, petere minimè potest, quià magis est opinari de validitate matrimonij, quám de illo dubitare, sed dubius, modo prædicto, carét iure petendi, ergò opinans. Quòd si diligentia præmittatur, & nullitatis opinio adhùc perseueret, qui bona fide contraxit petere potest, quià in tali casu, par est ratio de dubitante, ac de opinante pòst diligentiam præmissam, vt diximus.

SECTIO II.

De Fide thori seruanda.

QVæres ad quid teneantur Coniuges, vt fides thori seruetur? Respondetur, coniuges omninò aliā personam minimè dicere posse, altero viuente coniuge, aliás adulterij crimen committere, & consequentèr aliud non posse contrahi matrimonium, quandiù de absentis coniugis obitu certitudo non habetur, ita Layman. lib. 5. tract. 10. c. 3. n. 1. & clariùs colligitur ex cap. in Præsentia de sponsalibus, ibi.

In præsentia nostra quæsiuisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos, causa captiuitatis, vel peregrinationis absentes. vltrà septennium præstolatæ fuerint, nèc certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum, licèt supèr hoc solicitudinem adhibuerint diligentèr, & pro iuuenili ætate, seù fragilitate carnis nequeunt continere, petentes alijs matrimonio copulari.

Consultationi ergò tuæ talitèr respondemus, quòd quantocunque annorum numero, ità remaneant, viuentibus viris suis, non possunt ad aliarum consortium canonicè conuolare, nèc auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donèc certum nuncium recipiant de morte virorum.

Quæres, quæ notitia in particulari requiratur, vt sufficiens, & certa sit ad contrahendas futuras nuptias? Respondetur, quód si vnus iuratus testis de obitu absentis mariti, deponat, secundùm Abbatem in descripto Capitulo *in Præsentia*, dicitur de morte viri sufficientèr constare, negat tamén Bartol. l. 2. §. si dubitetur ff. quemadmodùm testamenta aperiantur.

Similitèr, an sufficientèr dicatur constare de morte viri per communem, & publicam famam, affirmat Clarus lib. 5. sent.

sent. §. fornicatio n.31. verb. sed pone contra Abb.nu. 6. Veracrux p.1. speculi ar.42. concl.2, negat tamén Abbas, cum Layman citatus, ibi.

Requri certitudinem moralem, qualis ordinaria non habetur per vnius testimonium; multò minùs per famam, si sola sit: Secùs si quæ singula non sufficient simùl concurrant, vel aliæ etiam coniectutæ, seù adminicula credendi adsint, puta, si vir senex fuit, vel in acie conflixit, & diù expectatus non rediјt, atque insupèr oculatus testis adest, vel publica fama de eius morte testificans.

Hoc casu si exactior cettitudo, pleniorue probatio haberi non potest, sufficere debet valdé probabilis præsumptio, cum, & hæc moralem dubitationem excludere soleat. sicùti ex cap. *Quoniam §. porrò si autem de carnali coniugio sit agendum, tam diù alteruter coniugium expectetur, donèc de ipsius obitu verisimilitèr præsumatur.*

Si nèc per testem, nequè per publicam famam aliquid de morte viri habetur, licét alioqui sint iudicia vehementissima, & vrgentissima, non propterea in foro exteriori dicetur certô de obitu constare, & itá Ordinarius non potest tùnc coniugi licentiam concedere transeundi ad secundas nuptias.

Probatur tùm ex communi Doctorum sententia, á qua in re tanti momenti nemo abesse potest, tùm ex sacris Canonibus requirentibus ad id veram scientiam saltèm moralem; tùm denique, quià si hoc liceret sæpiùs orirentur scandala, cum facilè contingere possit, vt iudicia quamuis grauia, sint falsa. Layman.

Diximus *in foro exteriori*. quià in foro conscientiæ, mulierem minimè peccaturam, modo prædicto, contrahendo. Nequé Confessarius peccaret si aliquandò consulat, si ijs tantùm existentibus indicјs, Coniuges suo vtantur iure, vt in præsenti docet Rosella, cum S. Antonino, & alij apù Layman loc.cit. qui subdit.

Quamobrem Confessarius in foro conscientiæ id ipsi per-

mittere, & Iudex in foro externo si pòst celebratas nuptias causam intelligeret, nèc mulierem punire, nequè á secundo viro separare deberet, donèc cognitum esset priorem maritum adhùc viuere. patet ex cap. CumBelli can 33.q.1.

Ratio est, quià in moralibus, in quibus plerumque certitudo omninò haberi non potest, homini ad instituendas actiones suas sufficere debet probabilissima, licèt non omninò certa opinio, seù præsumptio. Vide Layman vbi suprà.

SECTIO III.

De Diuortio.

QVæres. Quid sit Diuortium? Respondetur esse legitimam viri, & vxoris separationem, quòad thorum & habitationem. Bonacina de matrim. q.4.p.5. n.1.

Dicitur primò, *legitima*, quià diuortium propria auctoritate fieri minimè potest, cum Iudicis Ecclesiastici sententia necessariò requiratur.

Dicitur secundò, *viri, & vxoris separationem*, quià in diuortio par est vtriusque coniugis causa. Contra Caietanum afferentem solùm virum ob vxoris adulterium posse eam dimittere, non verò vxorem ob idem crimen ab ipso commissum.

Dicitur tertiò, *Quòad thorum, & habitationem*, quiá licèt, apùd Hebręos antè euangelium ex Dei dispensatione permissum erat diuortium etiàm. quòad vinculum, át pòst euangelium nulli, neque Iudæis licet matrimonij diuortiũ, quoad vinculum dissoluere. Hoc enim apertè in hæbreis Christus reprobauit Matth. 19. quando dixit, *Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur.*

Quæres ob quam causam diuortium fieri possit? Respondetur

detur quatuor enumerari. Primò, adulterium. Secundó hæresim, & apostasim. Tertiò inductionem ad peccatum. Quartó deniquè viri sæuitiam, omnes communitér.

Quæres; quomodò adulterium det iustam causã diuortij? Respondetur, quãcumque carnalem copulam, qua coniux cum alia persona suam diuidit carnẽ, iustam dare causam diuortij, quià vterque coniux per matrimonium initum vna efficitur caro iuxtà illud Genes. 2. *erunt duo in carne vna*.

Et hoc per fidem sibi ad inuicem traditam, vt habetur ex cap. *si Infidelis* 28. q. 2. ibi. *Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nèc est ei fides seruanda coniugij, quiã propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum coniugiorum.*

Ex dictis inferre possumus copulam carnalem alterutrius coniugis cum alia habitam persona, siuè matrimonio soluta, siuè coniugata, sufficientem dare causam diuortij, quià per talem copulam caro adulteri coniugis diuiditur, ergò innocens fracta sibi fide, in fide ab adultero data, persistere non tenetur, Laym.

Et licèt Innocentius cap. 1. num. 1. de adult. asserat per copulam contrà naturam non dari ius coniugi innocenti ad diuortium, fortasse, quià per eam non diuiditur caro, cuius diuisio solùm contingit per copulam naturalem, nihilominùs omnium communior est opinio per copulam prædictam etiàm diuidi coniugis carnem.

Ratio est, quià ad hoc sufficit, quòd caro coniugis per concubitum, vel seminationem cum alio commisceatur. Vndé euenire poterit tàm si vir actiuè, quam passiuè cum mare comminicetur, cum hæc sit iusta causa diuortij, quàm si fœmina cum alia completé coeat, ac etiàm si cum bestia, quòd peius est, congrediatur. Sanchez.

Instabis, quòt modis coniugi non liceret ab adultero discedere? Respondetur tribus, primò ob compensationem, secundó ob condonationem, Tertio ob immunita-

tem

tem à culpa, & quidém compensatio duplicem hic potest habere locum, idest, quandocumque coniux adulterium commisit, vel cum alia fuit caro diuisa, vt diximus.

Huiusmòdi enim delicta mutua tolluntur compensatione, vel si vir vxorem, licèt inuitam prostituat, vel saltèm adulterij conscius non prohibet. Tùnc enim minimé censeretur inuitus, & eo non prohibente, cum possit, dicitur indirectè, & non minus interpretatiuè vxorem prostituere, Nauar. Sylu. &c.

Quæres, an sit licitum diuortium ob hæresim, vel Apostasiam? Respondetur aliquandò licerè, quiá si ob vitandum corporis periculum diuortium licitè fieri potest, à fortiori ob euitandum periculum animæ, adeò graue, quale est periculum lapsus in hæresim, vel apostasiam.

Immò si coniux hæreticus resipiscere velit, Catholica, sua auctoritate, non solùm potest, verùm etiàm tenetur diuertere. Quod si per Iudicis sententiam hæreticus declaretur, Catholica licèt fuerit posteà emendatus, eidem minimè conciliari debet.

Et consequentèr ratione commissi criminis iustè huiusmòdi modo puniri debet. Si verò antè sententiam Iudicis resipiscat. Catholica Innocens, sicùti in consortium habebat,ità paritèr in eandem communionem recipere teneatur, Sanchez lib. 10. disp. 16. per totam.

Petes, An liceat fieri diuortium, quandò coniux alterum ad peccandum inducit? Respondetur affirmatiuè, vt patet ex dictis, & rursùs quià si ad tuendum corpus á coniuge leproso, vt supponimus, fieri poterit diuortium, à fortiori ergò fieri potest ad immunem reddendam animam á labe peccati.

Vndé sequitur esse iustã causam diuortij, si vir ad adulterandum suam vxorem inducat, vel viros impudicos ad turpia sollicitantes in propriam domum conducat. Cessante verò omni periculo eam ad peccatum inducendi, & coniuge resipiscente, alter eum admittere tenetur.

Pe-

Petes iterùm, an ob viri sæuitiam fieri possit diuortium? Respondetur affirmatiué, dummodò sæuitia sit talis, quæ prudentér, & rationabilitér graue reputetur periculum, sæuitia durante, vel saltèm probabili eius periculo, quiá tùnc vxor à viro discedere, & diuertere poterit, patet ex cap. Litteras, ibi.

Si verò cauta sit viri sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit sufficiens seueritas prouideri non solùm non debet illi restitui, sed ab eo potiùs amoueri: alioquin sufficienti (si fieri potest) seueritate prouisa profectò videtur coniux antè causæ cognitionem restituenda marito.

Et cap. transmissa ead. tit. de rest. spons. ibi. *Mandamus quatenùs si vobis constiterit, quod præfata mulier prædicto militi legitimè desponsata fuisset, & ab eo cognita, ipsam eam restitui faciatis, recepta tamèn sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre, si autem capitali odio ità mulierem vir persequitur, quòd meritò de ipso diffidat, alicui probe, & honestæ mulieri, vsquè ad causæ decisionem custodienda studiosiùs committatur in loco vbi vir, vel parentes eius mulieri nullam possint violentiam inferre.*

SECTIO VLTIMA.

QVæres quando actus coniugales sint liciti, quandò illiciti? Respondetur exercitium copulæ coniugalis simplicitér, & principalitér habitum ob finem implicitum, vel explicitum propagandæ prolis licitum esse, & necessarium, quia prolis generatio est propriùs finis actus coniugalis, patet ex cap. 1. Genesis, ibi. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

Nulla etenim culpa est aliquo vti medio, illudque ad eũ proportionare finem, ad quem à natura, & à Deo fuit ordinatum; ergò culpabile minimè erit vti medio actus matrimonialis ad prolem propagandam, ità cum communi

intér

inter alios Doctores tenet in præsenti Layman.

Cessante, eo fine, vt contingit in coniugibus senio confectis, in quibus prolis susceptio sit prorsùs desperata, nulla culpa erit vti coniugio ad finem vitandæ incontinẽtiæ, non solùm in alio; verùm etiàm in se ipso, quiá hic finis est paritér matrimonij, licét secundarius, expressus tamen est actus coniugalis ad fornicationem vitandam, vt consulitur ab Apostolo 1. Corinth. 7. ibi.

Proptèr, scilicèt fornicationem vitandam vnusquisque suā vxorem habeat, & paulò post. *Reuertimini in idipsum, nè tentet vos Satanas proptèr incontinentiam vestram*. Vti coniugio ob finem captandæ voluptatis, esset veniale; ità S. Aug. lib. de bono coniug. cap. 6. ibi. *Coniugalis concubitus generandi causa, non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ tamèn cum coniuge, venialem*.

Verùmtamen admittere, & ampelcti voluptatem in ijs operibus, quibus eam natura adiunxit tanquám inseruientem ad proprios fines, non est dissonum rectæ rationi, quamquàm, vt rectè adnotauit Franciscus Arias tract. 2. de mortif. sui. cap. 22. ibi. *Seruus Dei laudatissimè faciet, si toto pectore desideret, si possibile foret, omnem delectationem abesse à cibo, & alijs eiusmòdi*.

An saltèm sit veniale vti coniugio ob sanitatem corporalem conseruandam? Respondetur, quòd licèt nonnulli affirmatiuam sustineant sententiam. Layman. nihilominùs sic discurrit. Quamquàm, vt verùm fatear hæc sententia demonstrari non potest; ideoquè contrarium non improbabilitér docent Maior disp. 32. q.vnic. §. his præmissis concl. 5. Sà, & Coninch. locis citatis &c.

Cùm enim matrimonium, præcipuè institutum sit ad propagationẽ speciei videtur etiã secundario instit utum ad conseruationẽ indiuidui, eò quià, nisi saluis indiuiduis species propagari nõ potest. Id verò pro certò tenendũ est, si aliud seruandæ sanitatis mediũ non suppetat, quòd raro fit, tum culpæ nihil esse ob hunc solùm finem coniugio vti, vt docet Henriquez &c. Aduer-

Aduertimus deniqué in actu coniugali committi posse peccatum, non solùm multiplicitatis; verùm etiàm diuersæ speciei, & hoc mortale, si dùm copula exercetur, Coniux ad aliam copulam perficiendam cum persona extrà suam, dirigat intentionem, quòd vtiqué, non raro contingere solet.

Ratio est, quiá licét hæc non sit fornicatio effectiua, est tamén affectiua, quià quòd est illicitum desideratur, nempè, carnalis copula, cum aliena muliere perficienda, vt habetur ex Apostolo 1. ad Thess. 4. ibi. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.*

PARS QVARTA.

De Impedimentis Matrimonij.

INtèr omnes, quos vidimus Doctores de huiusmòdi materia tractantes, neminem meliorem obseruauimus, quã Angelicum in 4. disp. 34. q. vnic. ar. 1. asserentem, impedimenta matrimonij duplicis esse generis. Alia enim sunt matrimonium contrahendum impedientia, & contractum prorsùs dirimentia. Quæ omnia simùl sequentibus his versibus recensentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Priora nimirùm, duodecim de iure antiquo, duo de iure nouo, idést, posteriora à Tridentino addita. Alia sunt impedientia, vt diximus, & non dirimentia in his paritèr versibus contenta.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum:
Atque chatechismus, sponsalia, iungitò votum
Impediunt fieri permittunt facta teneri.

Alia septèm eiusdem generis, impedientia existunt, quæ à crimine proficiscuntur, & in his versibus continentur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

SECTIO I.

De impedimento, erroris, & conditionis.

ANtequàm ad prænotata impedimenta, quoad nostras vires (licèt senio confectas) breuitèr explicanda deueniamus; notandum est in matrimoniali contractu triplicitèr errorem contingere posse. Primó circà substantiã personæ: Secundò circà eiusdem conditionem: Tertiò deniqué circá qualitatem. His igitur.

Quæres, quomodò impedimentum erroris dirimat, vel non dirimat matrimonium. Respondetur errorem circà substantiam personæ matrimonium initum tàm iure Ecclesiastico, quàm naturali dirimere. Sit exemplum, si Caius per errorem intendens ducere Bertam, ducat Semproniam à se habitam pro Berta, huiusmôdi error, vtpoté, circà substantiam personæ matrimonium irritum erit: habetur ex cap. *Tua nos de spons.* vibi.

Quæsiuisti, cum quamdam mulierem, quidam alitèr inducere nequiuisset, vt sibi cõmisceretur carnalitèr. nisi desponsasset eamdem. Nulla soleminitate adhibita, vel alicuius præsentia dixit illi. Te Ioannes desponsat, cum ipse Ioannes non vocaretur, sed finxit se vocari Ioannem non credens se esse

coniugium eò, quòd ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantùm extorquendi carnalem, vtrum intèr prædictos sit matrimonium celebratum, cùm mulier consenserit in eumdem, & ille dissentiat, nèc aliud quicquam egerit, quàm superiùs est expressum, nisi, quòd cognouerit ea mdem.

Supèr quo tibi respondemus, quòd cùm præfatus vir prædictam desponsauerit mulierem in propria persona, & sub nomine alieno, quo tùnc vocari se finxit, & intèr eos sit carnalis copula subsecuta; videtur fortè pro coniugio præsumendum, nisi tu nobis expressè scripsisses, quòd ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in vxorem, quòd qualitèr tibi constiterit non videmus.

Nos autèm quid à iuris sit rescribentes dicimus, quòd si res ità se habuerit, videlicèt, quòd ille eam non proposuit ducere in vxorem, nèc vnquàm consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari; cum in eo nec substantia coniugalis contractus, nèc forma contrahendi coniugium valeat inueniri; quoniam ex altera parte dolus solummodò effuit, & defuit omninò consensus, si nè quo cætera nequeunt fœdus perficere coniugale.

Conclusio nostra ratione adhùc probatur, quiá iure naturæ nullus contractus sine consensu subsistit, vt liquidò patet; sed si in contractu matrimonij circà substantia m personæ eueniat error, in eo legitimus deficit consensus, quiá Caius non intendit ducere Semproniam, quám falsò putabat esse Bertam, & Berta non erat.

Ergò si contrahit cum Sempronia, contrahit per errorem, qui cum det causam contractui, aufert omnem consensum. & sic irritum reddit matrimonium, & confirmatur, quiá in *l. si per errorem ff. de iurisdictione omnium Iudicum*. Dicitur nil magis esse consensui obnoxium, quám si adsit error. Vide in præsenti Layman.

Est autèm hæc nostra conclusio amplianda, vt matrimonium sit nullum, non solùm quandò talis error circà sub-

substantiam est antecedens, & dat contractui causam; verúm etiam, quandò est concomitans, & causat contractum, puta, si Caius volens ducere Bertam, ducat Semproniam, & est ità animo affectus, vt si sciret illam esse Semproniam (supponimus hoc ignorare) libentér eam duceret.

Ratio est, quiá in tali contractu ergá Semproniam verus deest consensus, & Caius tùnc actu, & positiuè cum Berta sola intendit contrahere; quiá cum nesciat, vt supponimus, illam esse Semproniam, sed opinetur esse Bertam, consensit actu solùm in matrimonio cum Berta, & non cum Sempronia cum qua si sciret consentiret sed actu non consentit, quiá nescit. Voluntas humana in incognitum minimé fertur.

Secùs verò dicendum erit si Caius intentionem haberet contrahendi matrimonium cum illa muliere præsente, siué sit Berta, siuè sit Sempronia, quandoquidèm matrimonium sic celebratum, siquidèm validum erit; quiá in huiusmòdi casu verè legitimus interuenit consensus, cum fœmina præsente, quæcunque illa sit. Layman. loc. cit.

Errorem circà seruilem conditionem, puta, si liber seruæ nubat, seù libera, seruo, matrimonium dirimere, quià seruus cum coniuge simùl cohabitare non posset, cum suo careat iure, & apùd dominum resideat, qui pro suo libito in longinquas regiones transmittere posset, vt legenti liquidò patet.

Et insupér, quià conditio seruilis impedit debiti redditionem, quandoquidèm seruus minimé reddere posset, nisi priús obsequijs Domino præstitis, & sic filij necessarij carerent alimentis, cum bené omnibus sit notum, quod quidquid seruus acquirit, Domino acquirit, vt omnes fatentur Doctores.

Errorem circà qualitatem personæ, matrimonium contractum non dirimere, quiá semél validé initum; nullatenùs saltém quoad vinculum ob quamcumque causam dissolui potest. Sed error circá qualitatem nec substantiam

matrimonij impedit, nequé voluntarium simplicitèr tollit, minùsque consensum. Ergò matrimonium non irritabit. *l. alioquin ff. de contrahenda empt.* ibi.

Quid si ego me Virginem emere putarem cum esset mulier. Respondit ibi Glossa *valituram emptionem*, & reddens rationem subdit, *in sexu fæmineo non enim est erratum.* Ità in casu nostro, nám per errorem circà personæ qualitatem quoad substantiam non erratur.

Sed meliùs exemplo explicabitur casus. Caius intendit in vxorem ducere Semproniam corpore sanam, & actualitér non ducit sanam, sed leprosam. Caius solùm quoad istam qualitatem errat, non verò circà substantiam personæ, quandoquidém cum Semproniа contrahit: omnes communitér.

Quòd diximus intelligi debet in casu, quo qualitas in contractu non apponatur sub conditione, & sub eadem cadat, puta, si dicatur *contraho cum Berta si nobilis sit*, si tùnc error circà dictam qualitatem cadat, idést, si Sempronia sit ignobilis ob defectum consensus, matrimonium nullum erit, cū in Sempronia requisita conditio, non verificetur. Sanchez, & omnes alij.

Idemque dicas, quandó error qualitatis, tàm in errorem substantiæ, quám personæ redundat, nám túnc matrimonium irritum erit, puta, si Caius cum Sempronia præsente contraheret, quam existimabat esse filiam nobilis viri, & fuit deceptus, quià Sempronia talem se simulauit. Error qualitatis in hoc casu in errorem substantiæ, & personæ redundat Bonac.



SE-

SECTIO II.

De voti castitatis impedimento.

SVpponimus votum castitatis diuidi in solemne, & simplex, votum solemne, est illud, quod in susceptione ordinis sacri, vel in professione religionis á S. Sede Apostolica approbatæ emittitur. Simplex verò, est illud, quo quisque priuatim pro suo libito Deo mancipatur. Agimus modò de primo, de alijs duobus infrà.

Quæres, quomodò votum solemne castitatis in appro bata religione emissum, vt diximus, non solùm impedire; verùm etiàm matrimonium consummatum adhùc dirimere; si tamén pòst ipsius voti emissionem contrahatur. Colligitur ex Trid. sess. 24. can. 9. ibi.

Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemnitèr professos posse matrimoniũ contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi vouerint habere donum &c.

Probatur etiám ratione, quiá cum valdè repugnat religiosæ obligationi status matrimonij, Ecclesię benè visum fuit, religiosos, qui se totos diuinis mancipant obsequijs ad huiusmòdi matrimoniales functiones inhabiles reddere; ità Sanchez Layman, Hurtadus, & alij.

Quòd veró votum castitatis solemne matrimonium antè professionem contractum dirimat, dummodò consumatum minimé fuerit, sed tantummodò ratum, adhùc paritèr habetur, ex Trid. sess. cit. can. 6. ibi. *Si quis dixerit matrimonium, ratum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.*

Nec-

Nec talis assertio, ratione caret, quià hic effectus dirimendi matrimonium ratum fuit à Deo religiosæ professioni concessus, vt optimè probat Lexius, & ideó SS. Canones vtrique coniugi duos concedunt menses post ratum matrimonium ad deliberandum de religionis ingressu, intrà quod tempus neuter reddere tenetur coniugale debitum, & matrimonium consumare. Et hoc nè suo iure quisque præiudicet.

Elapso verò bimestri tempore, licèt reddendum sit debitum sub culpa lethali, si adhùc quocumque modo matrimonium minimé fuerit consumatum per emissam professionem irritabitur, non secùs, ac si coniux infrá bimestre tempus fuisset professus: ex quó sequitur Coniugem in sæculo manentem, si alter Coniux professionem validam emiserit, posse ad secundas nuptias transire.

Idemque dices de professione in religionibus militaribus emissa, quandoquidèm eisdem huiusmòdi priuilegium concessum est. Intér religiosos verò, adhùc etiàm numeratur religio Sancti Ioannis, & similes, quià sunt veri religiosi, & non minùs à Sancta Sede Apostolica approbata, vt contrà Sotum docent Henriquez, Sanchez, & alij.

Matrimonium ratum, sed non cousmatum antè professionem minimé dirimi per professionem subsequentem, cum id nullo constet Iure, vt habetur 27.q. 2. ibi. *Si quis coniugatus vult conuerti ad Monasterium, non est recipiendus, nisi priùs à Coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus.*

Nàm si eo viuente, illa per incontinentiam alteri nupserit, proculdubiò adultera erit. Nec recipitur apùd Deum eius viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio. Tales igitùr tùnc sine culpa sequuntur Christum relicto sæculo, si habeant ex pari voluntate, castitatis consensum.

Quòd autém diximus adhùc verùm est, quandò intrá bimestre tempus per vim, & metum matrimoninm fuerit con-

consummatum, nam tunc licitum est vxori vim, & metum passæ religionem inhredi; quandoquidem conueniens minimè erit, vt ipsa alterius culpa, & illata iniuria, suo iure careat. Sanchez.

Firmamus insupér, coniugem pòst matrimonij consumationem; altero inscio, vel decepto inualidam emitteré professionem, ex quo consequentér à Coniuge in sæculo relicto, à religione auocari posse. Immò ipse licét religiosus factus omninò egredi tenetur.

Ratio est, quià, quòd alicui ex iustitia debetur, in alterum minimé transferri potest, sed Coniux, consumatis nuptijs, non est ampliùs sui iuris, sed alterius. Ergò se Deo in religione dicare validé minimè potest; huiusmòdi conclusionem tàm Bonacina, quàm cum ipso multi alij eruditè defendunt.

Sanchez verò eam limitat, si intèr coniuges perpetuum fuit celebratum diuortium, quià in tali casu alteri etsi inuito religionem ingredi, & profiteri, licebit. Quòd si non fuerit celebratum diuortium, & consumato matrimonio ambo concorditér religionem ingredi velint, vni id erit licitum, sed alter tenetur eodem tempore, vel pòst alteriùs professionem (non est necesse simùl) emittere. Si veró nolit, compelli potest, cum in sæculo remanere nequeat, nisi, vt diximus, celebrato diuortio.

SECTIO III.

De impedimento Cognationis, & Consanguinitatis.

QVæres, quid sit consanguinitas, quid linea, quid gradus? Respondetur cum Doctore Angelico communitér recepto, *Consanguinitatem, esse vinculum personarum ab eodem, eoquè propinquo stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Dici-

Dicitur, *vinculum*: quià consanguinei ob eorumdem sanguinis communionem magis intèr se, quàm cum alijs ligantur.

Dicitur, *personarum*, quià consanguinitas potiùs propria est hominum, quàm brutorum licét hæc ab eodem proximo principio descendat.

Dicitur, *ab eodem stipite proximo*, quià huiusmòdi coniunctio, est propriè intèr illos, qui ab eodem proximo principio procedunt, nullatenùs intér eos, qui à remoto proueniunt. Alioquin omnes diceremur consanguinei, quandoquidèm omnes ab vno Adamo descendamus, quòd equidém falsum est. De prædicta consanguinrtate.

Stipes verò dicitur illa persona, à qua illi proueniunt, de quorum coniunctione in præsenti breuitèr tractamus. Dicitur vltimò, *carnali propagatione contractum*; quiá ad consanguinitatem necessè est per carnalem copulam ab aliquo proximo stipite sanguinem accepisse. Propterea nec Heua Adami, nequé Angeli Dei consanguinei dicuntur, licèt Heua, & Angeli à Deo, & Adamo originem habeant, sed non per copulam carnalem.

Dicimus insupèr, lineam definiri, *ordinatam coniunctionem personarum intèr se consanguinitatem habentium*.

Hæc autém triplex est; linea, nimirùm, ascendentium, & linea descendentium, vtraque tamèn dicitur linea recta, & linea collateralis, siué transuersalis.

Linea ascendentium est illa, qua progredimur á genitis ad genitores, numerando, videlicèt, Patrem, Auum, Proauum, Abauum, & Atauum.

Linea descendentium est illa, qua progredimur à genitoribus ad genitos, à patre, nimirùm, ad filium, á filio ad nepotem, pronepotem, abnepotem.

Collateralis, siué transuersalis est illa secundùm, quàm multæ personæ ab vno stipite, siuè mediatè, siuè immediatè procedunt. Ipsæ verò á se inuicem, non descendunt, puta, vt sunt fratres intér se, & filij fratrum, qui dicuntur

patrueles, & filij patruelium, qui dicuntur consubrini, & omnes ab vno stipite, procedunt. Intér ipsos verò nullus descendit. Sanchez.

Gradus est, *habitudo personarum distantium, qua quandam cognoscimus distantiam, vel propinquitatem consanguinitatis personæ, quæ intèr se coniunctæ sunt.*

Dicitur, *gradus* ad instár graduum scalarum, quiá sicùti plures sunt gradus in scalis, ità in consanguinitate numerantur primus, nimirùm, secundus, tertius, quartus &c.

Ad dignoscendum prò praxi quoto gradu intér se distent, tres assignantur regulæ. Prima tamen pro linea recta tàm ascendentium, quàm descendentium hæc est. Quot personæ sunt in linea recta, tot sunt gradus, vna dempta, idest, communi stipite, & sic filius, & pater simùl coniuncti sunt in primo gradu licèt filius, & pater faciant duas personas; quarum vna dempta, idest, patre, remanet vna tantùm. Item nepos hac ratione cum auo, coniungitur in secundo gradu, & sic de singulis.

Secunda regula est pro linea collaterali, siuè transuersali in gradu æquali hæc est. Quoto gradu personæ distant à communi stipite, eodem etiàm distant inter se: & sic duo fratres erunt coniuncti in primo gradu; sed in linea transuersali in eodem duo patrueles sunt in secundo, quià æqulitèr à stipite communi distant. Tertia deniq; pro linea collaterali, sed in gradu inæquali est, consanguinei in eo gradu inter se coniuncti sunt, quo alius est á communi stipite remotior.

Gradus enim remotior ad se trahit propinquiorem. Sit exemplum Caius habet duos filios, Titium, nimirùm, & Seium, & rursus Titius habet filium, & nepotem, si verò quæratur, in quo gradu sit nepos Titij cum Seio dicimus esse in tertio gradu, nàm eo gradu sunt inter se, quo alter magis remotus distat à communi stipite.

Sed nepos Titij distat tribus gradibus á communi stipite, idest, á Caio, quandoquidém dempto stipite tres re-

te-

manent personæ; ergò inter se sunt in tertio gradu, & ità de alijs gradibus proportionabilitèr discurrendum erit.

Schema consanguinitatis, quod secundùm ius Canonicum, dirimens inducit impedimentum, nè intèr personas ab Ecclesia designatas, vsq; ad quartum gradum, matrimonium contrahatur, apud P. Layman de matr. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 4. obseruari poterit.

QVæres, in quo gradu consanguinitas matrimonium contractum dirimat? Respondetur consanguinitatē matrimonium dirimere, siuè iure naturali, siuè iure Ecclesiastico vsque ad quartum gradum inclusiuè, est omnium communis sententia in Sacris Canonibus, & Concilijs radicitus fundata, vt habetur ex cap. *non debet de consanguinitate, & affinitate,* ibi.

Prohibitio quoquè copulæ coniugalis, quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat; quoniàm in vlterioribus gradibus iàm non potest absquè graui dispendio huiusmòdi prohibitio generalitèr obseruari. Quaternarius verò numerus benè congruit prohibitioni coniugij corparalis, de quo dicit Apostolus, quod vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, nequè mulier habet potestatem sui corporis, sed vir, quià quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis.

Cum ergo iàm vsquè ad quartùm gradum prohibitio coniugalis copulæ sit restricta, eam ità volumus esse perpetuam, non obstantibus Constitutionibus supèr hoc dudùm editis, vel ab alijs, vel à nobis, vt si quis contrà prohibitionem huiusmòdi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum. Cum diuturnitas temporum, non minuit peccatum, sed auget; tantòque sunt grauiora crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.

Confirmatur etiàm à Tridentino sess. 24. cap. 5. ibi. *Si quis intrà gradus prohibitos scientèr matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium; sed etiàm consumare ausus fuerit &c. In contrahendis matrimonijs, vel nulla omninò detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquàm dispensetur, nisi intèr magnos Principes, ac ob publicam causam.*

In linea recta, siuè ascendentium, siuè descendentium, consanguinitatem in primo gradu, iure naturæ, matrimonium dirimere; & sic pater cum filia, vel filius cum matre minimè nubere poterit. Ratio est primò, quià omnes nationes semper huiusmòdi nuptias execratæ sunt. Secundò, quià vi matrimonij, vxor debet esse æqualis cum viro in actu coniugali: repugnat autém ipsi naturæ, vt filia in hoc sit æqualis patri, vel filius matri.

Et tertiò deniquè, quiá matrimonium initur intèr duo extrema distincta, quæ deindè in vnam vnit carnem; filia verò cum sit aliquid patris perfectè ab ipso, minimè distinguitur; ergó si antè matrimonium sunt vna caro per matrimonium ampliùs vniri nequeunt S. Thomas communitér receptus.

Nihilominùs probabilius nonnulli opinantur, in extrema humanæ propagationis necessitate, licere patri cum filia, & filio nubere cum matre; asserunt enim ipsi, id non esse adeò intrinsecè malum, quòd nullo alio bono fine cohunestari minimè possit. Imò SS. Chrisost. & Ambros. filias Lota peccato excusant, quæ se cum Patre carnalitér copularunt existimãtes omnes homines conflagrasse, ac vnum solùm Lot superstitem fuisse.

In alijs gradibus lineæ rectæ, tàm ascendentium, quám descendentium in infinitum probabile esse, iure naturæ, irritum reddi matrimonium, & consequentèr, & multi Doctores loquuntur si, Adam, vel Noe resurgerent alicui nube-

nubere minimè possent, quià homines ab eisdem per lineam rectam descendunt.

Diximus *probabile est*, quiá adhùc probabile est, talem prohibitionem in infinitũ, non extendi, & solùm restringi ad quartum gradum inclusiuè, quià ius Canonicum, vt suprá firmauimus sinè vlla distinctione simplicitèr vsq; ad quartum g radum matrimonium iniri non posse sanciuit, nec de lineis distinguit; ergò signum est in quacumque linea, quartò t amen præciso gradu, nullam adesse nuptiarum defo: mitatem, minùsque appositam prohibitionem.

Huiusmòdi conclusionem ingeniosissimè defendunt Bonacina, & alij apud ipsum, similitér asserentes, primo gradu excepto, in linea recta, non tamen in reliquis, iure naturali, coniugium vetitum esse, sed tantùm Ecclesiastico, atquè ità Summum Pontificem in secuudo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ, tàm ascendentium, quàm descendentium, íd exigente graui, & rationabili causa, dispensari posse.

Lineam collateralem in primo gradu, idest, inter fratrem, & sororem, iure naturæ, matrimonium dirimere. Probatur primò, quià Summi Pontifices etiàm sæpiùs requisiti in huiusmódi gradu numquàm dispensarunt; ergò signum est non posse, quiá ius naturale resistit, quòd tolli non potest. Secundò, quià inter fratrem, & sororem, est maximus naturalis pudor, cui multùm copula coniugalis aduersatur. Vide Rebell. Henriquez, & alios.

Nihilominùs contrariam sustinent sententiam Caietanus, & alij recentiores, eo ducti fundamento. Quòd in mundi exordio sorores, & fratres inuicem nupserint; ergó signum est id iure naturæ; non esse prohibitum. Sed Bonacina q. 2. par. 1. §. 1. nu. 12. & alij hoc dubium facilè resoluunt, asserentes illorum matrimonium fuisse validum ob necessitatem conseruandæ humanæ naturæ, & sicùti necessitas facit, vt sit licitum rem accipere alienam, ità etiám face-

facere potest, vt matrimonium in tali casu sit validum.

Pro huiusmòdi sectionis complemento dicimus, in cæteris gradibus lineæ transuersalis solùm iure Ecclesiastico, non autém naturali nullum esse matrimonium, quarè in omnibus his casibus Summum Pontificem dispensationem concedere posse; quatenùs tamen ad id rationabilis occurrerit causa, omnes communitèr, An aliæ dentur cognationes matrimonium dirimentes in sequenti sectione videbimus.

SECTIO IV.

De impedimento Cognationis spiritualis, & legalis,

QVæres, quid sit cognatio spiritualis, & quatenùs matrimonium dirimat? Respondetur *esse quamdam propinquitatem personarum consurgentem ex statuto Ecclesiæ proptèr collationem Baptismi, & Confirmationis, vel proptèr baptizati, & confirmati susceptionem*; habetur ex cap. sequenti *de cognatione spirituali*, ibi.

Veniens ad Apostolicam Sedem C. Anglicus &c. Mandamus, quatenùs si constiterit B. mulierem prædicti viri filium de sacro fonte leuasse antequàm eam desponsasset vxorem, nos intèr eos diuortium appellatione postposita, celebretis.

Probatur etiàm ratione, vt loquitur Layman lib. 5. tract. 10. cap. 8. in principio. Quià sicùti per naturalem generationem homo formatur, & nascitur, posteá verò roboratur corporalitèr; ità per Sacramentum Baptismi homo reformatur, & renascitur.

Quamobrèm etiàm in spirituali regeneratione, intelliguntur esse parentes spirituales, videlicét, qui Sacramentum ministrauit, & patrinus, quibus cum secundùm Ecclesiasticam traditionem magna reuerentia debeatur; ideò anti-

antiquitùs in Ecclesia institutum, & obseruatum fuit, vt hæc spiritualis cognatio, perindè, ac carnalis impedimentum esset matrimonij dirimens.

Diximus *hanc cognationem solùm ex Baptismo, & Confirmatione oriri*, non autem ex alijs Sacramentis. Ratio congruentiæ est; quià sicùti puer est valdè coniunctus cum ijs personis, à quibus recipit esse naturale per sui primam in vtero formationem, quæ est eius prima natiuitas, & per emissionem ex vtero, cum nimirùm, prodit in lucem ad sustinenda aliqua sibi aduersa, & nuncupatur pueri secunda natiuitas.

Itá igitur hoc idem proportionalitèr occurrit in spirituali &c. nàm per Baptismum primó in Ecclesiæ vtero generatur, & per Confirmationem generatur secundò, nàm per eam roboratur ad sustinenda vitæ spiritualis pericula, & sic, qui ad vtramque natiuitatem spiritualem puerorum concurrunt, cum eisdem vtiquè ad instar cognationis carnalis, spiritualem contrahunt cognationis carnalis, spiritualem contrahunt cognationem.

Dicimus insupèr, *non alio iure cognationem spiritualem matrimonium dirimere, nisi Ecclesiastico*, quià huiusmòdi impedimentum, ex iure naturali minimè oriri potest, quandoquidèm sacramenta suprà ordinem naturalem existant. Nec minùs de iure diuino, quiá hoc nullibi habetur; ergò solùm ex iure Ecclesiastico positiuo, vt supra diximus Bonacina, & alij in præsenti.

An verò impedimentum ad petendum debitum insurgat, puta, si pater proprium filium ex sacro fonte accipiat, vel eumdem baptizet, hac vtimur distinctione, si in necessitate baptizat, cum vxore cognationem spiritualem non contrahit, & sic debitum coniugale petere, & reddere potest. Si veró extrà necessitatem suscipit, vel baptizati, & hoc ob iuris, vel facti ignorantia facit, cognationem non contrahit, quià contrahendi voluntate caret.

Quòd si verò sciens, voluntariè, & ex malitia hoc faciat,

ciat, tùnc equidém petenti, reddere, non tamen petere potest, est conclusio communis, quàm tenent Suarez par. 2. q.67. art.8. Nauar. in suo Manuali cap.16. nu.34. & cap.22. num. 9. & Sanchez lib.7. disp. 26. num.5. asserentes esse mortale, quià seuerè id prohibetur in cap.1. & 2. causa 30. q. 1. Pœna verò, quæ olim decreta erat, vt coniuges ob eam culpam separarentur, fuit sublata in cap. *Si vir de cognatione spirituali*, ibi.

Si vir, vel mulier scientèr, vel ignorantèr filium suum de sacro fonte susceperit, an proptèr hoc separari debeant? Consultationi tuæ talitèr respondemus, quod quamuis generalitèr sit institutum, vt debeant separari, quidam tamèn humaniùs sententientes alitèr statuerunt.

Ideòque nobis videtur, quòd siuè ex ignorantia, siuè ex malitia, id fecerint non sunt ab inuicem separandi nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam possint induci, quià si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: Si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.

Quod vero debitum petere minimé possit, hoc docet S.Tho. Syluester, & alij, licét etiàm probabile sit contrarium, vt voluit Hostiensis, Glossa, & alij, asserentes, virum impediri á petendo minimé posse, eó, quod nullo habetur iure huiusmodi impedimentum oriri intér maritum, & vxorem, vt cum pluribus docet Suarez in præsenti.

Huiusmòdi tamén impedimentum per obitum personæ, qua mediante, contractum fuit, minimé extingui, sed potiùs esse perpetuò duraturum, quandoquidém iura illud, temporale non declarant, & consequentér tali euentu semél contractum equidém firmant esse perpetuum, est communis sententia, vt cum alijs docet Filluccius.

Quæres, quæ requirantur ad contrahendam hanc spiritualem cognationem? Resp. requiri patrinos actu infantes baptizandos, vel confirmandos tenere, vel saltém statim atq; fuisse baptizatos, eos è sacro fonte leuare, quià id iura exigunt,

gunt, & requirunt suscipere, accipere, tenere, leuare, &c.

Quarè Patrini, nisi actu infantes teneant, dúm baptizantur, vel confirmantur, aut statìm pòst Baptismum suscipiant, cognationem spiritualem nullatenùs contrahunt, vt cum communi firmat Sanchez in præsenti, Filluccius, & alij.

Ad hanc contrahendam cognationem, adhùc requiritur, vt pueri á Patrinis teneantur, dùm veré Baptismum suscipiunt, sèd si domi collatus fuisset Baptismus, & in Ecclesia solùm cæteræ supplerentur solemnitates, ab eis cognatio non contraheretur. Secùs si de priori Baptismo dubium extaret, nimirùm, si pueri iterùm sub conditione, baptizarentur.

Nec minùs ad huiusmòdi effectum requiri, vt solemnitér in Ecclesia Baptismus conferatur, quandoquidèm suscipientes pueros in domo priuata ob necessitatem, hanc cognationem minimè contraherent, quiá ex hoc tantummodò impedimentum quoàd ineundum matrimonium impediens, & non dirimens procederet.

Ex hactenùs dictis necessariò sequitur Pueros á compatribus, & commatribus suscipiendos esse statìm ac fuerint baptizati, vt suprá paritèr firmauimus, & quidèm immediatè, ex ipsorum baptizantium manibus; alioquin Patrini, vel commatres suscipere, vel ex sacro fonte, nequaquám dicerentur leuare.

In Patrinis intentionem saltèm virtualem requiri, cum munere patrinorum, vel susceptorum simùl fungantur, qua deficiente nulla contraheretur cognatio. Quandoquidèm sine intentione saltém virtuali Baptismus, simplicitèr loquendo, non conferretur. Hæc intentio non est dirigenda circá errorem personæ suscipiendæ; quià si erraretur nullum, ex tali susceptione, impedimentum oriretur.

Hæc intentio talis esse debet, vt suscipientes, nomine proprio, è sacro fonte puerum leuare intendant, & hæc adeò est necessaria, vt si deficiat nulla posset oriri cognatio, ad quam duo copulatiuè requiruntur, nempè huiusmò-

di intentio, & physicus contactus. Vndè si quis per Procuratorem, vel Nuncium é sacro fonte infantem suscipiat, valdè est probabile , quod neuter hoc afficeretur impedimento .

Non Procurator , quia non proprio , sed alieno nomine verè suscipit, idést, nomine mandantis. Non mandans, quiá licét baptizatus, suo nomine leuetur , non tamén physicé tangendo suscipit puerum, itá Sanchez cum alijs, quamuis etiàm probabilis sit contraria sententia, quam multi recentiores firmitèr tenent; vt diximus .

Quæres , quinàm susceptores huiusmòdi cognationem contrahant ? Resp. solùm susceptores à parentibus , vel à Parocho designatos, aliàs si nulli sint designati nullus hoc impedimento ligabitur , ac insupér si plures quàm duo fuerint designati, duo primi , mas , nimirùm , & fœmina , primó leuantes , non reliqui , contraherent , habetur ex Tridentino sess.24.cap.2. ibi.

Docet experientia proptèr multitudinem prohibitionum multotiès in casibus prohibitis ignorantèr contrahi matrimonia , in quibus, vel non sinè magno peccato perseueratur, vel ea non sinè magno scandalo dirimuntur. Volens itaq; S. Synodus huic incōmodo prouidere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit , vt vnus tantùm , siuè vir , siuè mulier iuxtà Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus , & vna baptizatum de baptismo suscipiant , intèr quos , ac baptizatum ipsum , & illius patrem, & matrem, nec non intèr baptizantem , & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

Parochus antequàm ad Baptismum conferendum accedat, diligentèr ab ijs, ad quos spectabit ; sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant , & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat ; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeat.

Quod

Quòd si alij, vltra designatos, baptizatum tetigerint cognationem spiritualem, nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia secùs factum fuerit arbitrio Ordinarij puniatur.

Ea quoquè Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur; Omnibus intèr alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.

Quæres, deniquè, Quid sit cognatio legalis, & quomodò matrimonium dirimatur? Respondetur, *cognationem legalem esse propinquitatem quarundam personarum, ex adoptione consurgentem*, ità Sanchez, & alij communitèr contrà Syluestrum. Hec tamèn legalis cognatio oritur. Primò intèr adoptantem, & adoptatum, & adoptati descendentes, vsquè ad quartum gradum. Secundò intèr Vxorem adoptati, & adoptantem. Tertiò intèr filios adoptantis, & adoptatum S. Thom.

Huiusmòdi cognationem legalem, matrimonium dirimere intèr adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati, vsquè ad quartum gradum, etiàmsi adoptatio fuerit dissoluta. Et consequentèr hæc cognatio matrimonium dirimit intèr vxorem adoptati, & adoptantem, atquè intèr adoptatum, filios, & filias adoptantis. Bonacina, & alij communiter.

Circà suscipentis ætatem ad leuandum è Sacro fonte infantulum, ex probabili opinione dicimus, nullam ætatem determinatam requiri, benè tamèn necessarium erit, vt tàm baptizãs, quàm ipse suscipiens baptizati priùs fuerint, aliàs hoc impedimento minimè ligarentur, & sic infideles remanent exclusi, eò, quià Ecclesiasticis legibus non sunt subiecti.

SECTIO V.

De impedimento Criminis.

QVæres, Quomodò, & quale crimen Matrimonium impediat? Respondetur, duplex crimen matrimonium impedire, & dirimere posse; homicidium, scilicèt, & adulterium. Huiusmòdi impedimentum, Ecclesiastico iure, fuit introductum, ad cędes intèr Coniuges, vitandas, & non minùs adulteria, quæ frequentèr accidere solebant. Extant supèr hoc quamplurimi textus, & Sacri Canones, & de tot, tantisque vnum hic solummodò describimus, nimirùm, cap. de eo, qui dixit matr. ibi.

Significasti nobis, quòd cum P. Ciuis Spoletanus, quandam mulierem duxisset legitimè in vxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæsit &c. Verùm cum vxor ipsius esset viam vniuersæ Carnis ingressa; meretricem, cui adhæserat, desponsauit. Nos igitur inquisitioni tuæ talitèr respondemus, quòd nisi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vèl ea viuente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum iudices matrimonium supradictum &c.

Adhoc, vt quis homicidij impedimentum incurrat, nonnullæ requiruntur conditiones. Prima est, vt humicidium verè, siuè mediatè, siuè immediatè à Coniuge in alterum fuerit causatum. Vndè si vir ratam tantùm haberet vxoris mortem, vel vxor viri, id non satis erit ad huiusmòdi inducendum impedimentum, eò, quià quis non dicitur propriè homicidio cooperari, & nec illud causaret. Sanchez lib. 7. de matr. disp. 78. num. 8.

Secunda conditio est, vt vir, & fœmina, qui sunt matrimonio copulandi, vterque in mortem occisi coniugis conspirauerint, ità, vt si vnus, altero tamèn inscio coniugem occidat, non sufficit, dummodò cum inscio commissum adulterium minimè fuerit.

Tertia

Tertia conditio est, vt homicidium fuerit commissum ad hunc finem; scilicèt, vt mortuo coniuge intèr se homicidæ valeant matrimonio coniungi, non tamèn necessè est, vt vterque finem matrimonij intenderit, sed satis erit, si vnus tantùm, etiàm altero inscio id effecerit.

Quarta, vltimaque conditio est, vt verè fuerit homicidium sequutum, quandoquidém satis minimè esset, mandasse, consilium dedisse, venenum propinasse, ac deniquè, nisi reuerà huiusmòdi causæ mortem Coniugi intulissent.

Quæres, In quibus casibus adulterium, hoc impedimentum inducat? Respondetur, in tribus, Adulterium inducere poterit impedimentum dirimens, nimirùm, si adsit homicidium coniugis commissum cum intentione adulteram desponsandi. Debet esse adulterium formale respectu vtriusque, nàm solùm materiale matrimonium adesset, puta, si Caius fuisset adulteratus cum Sempronia, quæ per errorem Caium putabat solutum intèr istos, criminis impementum, non oriretur, eò, quià respectu Semproniæ copula propriè non fuit adulterina, sed tantùm materialis.

Adesset verò si vnus Coniugum etiám adultero inscio ad hunc finem suam occideret vxorem. In hoc enim distinguitur crimen adulterij, à crimine solius homicidij, cum ad homicid ium ambo conspirare debeant. Secùs verò in homicidio, vná cum adulterio coniuncto, vt notant Rebell. Sanchez, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina in præsenti. q.3. p.6.n.8.

Adulterium vnà cum matrimonio celebrato cum alia persona inducit impedimentum dirimens e.g. Caius coniugatus, adulteratus est cum Sempronia soluta; sed adulterij conscia, & cum hac antè, vel pòst matrimonium clandestinè, vel publicé contraxit, mortua vxore, cum Sempronia matrimonium non poterit inire.

Diximus, *adulterij consciam*, quià necessè est, vt vterque contrahens sciat copulam; quam habent intèr se, esse adulterinam, nimirùm, vt vnusquisque sciat alterius coniugem

su-

superstitem esse; quòd si vnus tantùm id nosset, vtiqué posset inscius alium ad contrahendum cogere. Bonacina vbi supra.

SECTIO VI.

De impedimento disparitatis cultus.

HViusmòdi impedimentum intèr duos existit, vnum, nimirùm, baptizatum, alterum verò infidelem. Matrimonium intèr istas personas initum, Iure Ecclesiastico, est inualidum. Patet ex Concil. Tolet. 3. cap. 14. ac ex ipso vsu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ nimis satis est ad inducendum impedimentum, licèt in iure minimè sit expressum. Ità Bonacina loc. cit. p.7.n.2.

Diximus; *matrimonium baptizati, cum infidele*, puta, qui nondùm recepit Baptismum, licèt sit Cathecumenus, non tamèn baptizatus; Matrimonium verò celebratum intèr fidelem, & Hæreticum, siuè Apostatam, siuè excommunicatum adhùc vitandum, validum est, cum in iure non habeatur oppositum.

Atsi Catholicus cum hæretico contraheret huiusmòdi matrimonium licèt illicitum, attamèn validum foret, *illicitum diximus*, quià contrà prohibitionem Ecclesiæ faceret in re magni momenti, & consequentèr graue committeretur peccatum, ac etiàm quià peruersionis adesset periculum.

Diximus, *de iure Ecclesiastico*, eò, quià de iure diuino, vel naturali, matrimonium intèr fidelem, & infidelem contractum non est irritum. Nec minùs probari potest tale matrimonium, iure naturali, vel diuino, inualidum esse, licèt illicitum, vt diximus, ob prolis periculum, quàm quilibet coniugum ad suam fidem trahere contenderet, Sanchez disp. 71. n.7.

Ex

Ex dictis Colligimus, Summum Pontificem, iusta adueniente causa, dispensare posse, vt aliquandò cum infidele, fidelis contrahat. Addimus insupèr matrimonium fidelis cum infidele initum, validum esse, etiàmsi Summus Pontifex absquè vlla causa dispenset, cum Papa in iure communi proculdubiò validè dispensare potest, vt ex firmatis patet.

Infideles coniuges ad Ecclesiam Romanam conuersi in suo matrimonio permanere debent, dummodò contrà ius naturale non fuisset contractum. Atsi ipsorum alter conuersus, alterum conuerti requirens, vel simùl cohabitare renuat, præcisa Creatoris offensa, aliam poterit ducere vxorem.

E' contrà verò adhùc vxorem cum alio viro posse se matrimonio copulare, quandoquidèm primum matrimonium, iàm remanet solutum. Quòd si non conuersus adeò distet, vt facilè requiri minimè possit, nil est curandum, nàm moralitèr certum est, quòd nolit conuerti, & lares relinquere. Sanch. disp. 74. n. 12. lib. 7.

Etsi Catholici cum hæreticis, & infidelibus matrimonium contrahere minimè deberent, adhùc autèm, concurrente rationabili causa, possent, cum non sit tàm malum intrinsecè, quòd saltèm in aliquo casu cohonestari non possit, & hoc maximè fuisset permissum, si causa vrgeret eximia.

Puta propagationis Ecclesiæ, eiusdem tranquilli status, liberationis captiuorum sub aliquo hæretico Principe detentorum, & oppressorum, eo Doctores fundamento ducti asserunt quià periculum peccandi ex vrgenti causa, non est peccatum, cum in casu nostro bonum amatur ingens, quòd absquè tali periculo possideri non potest. Ità ex S. Th. Caiet. & alij. Vide Dianam. p. 3. tr. 4. resol. 269.

SECTIO

SECTIO VII.

De impedimento vis.

LIcèt fusiùs aliàs de metu alloquuti fuerimus, nihilominùs nè impedimentorum series omittatur hìc pauca addimus. Dicimus igitùr, metum duplicem esse, intrinsecum vnum, extrinsecum alterum. Intrinsecus ille appellatur, qui ab intrinseca causa, vel naturali, infertur, vt est grauis metus mortis, ex periculoso morbo, vel ex feris animalibus prouenicns. Metus extrinsecus dicitur ille, qui à causa extrinseca libera, idèst, ab homine incutitur. Ità hìc Bonacina, ex dictis.

Colligimus primò, metum alium esse cadentem in constantem virum, qui alio nuncupatur vocabulo, grauis, vel probabilis: Alium verò esse cadentem in virum inconstantem. Metus cadens in constantem virum, dicitur ille, qui minùs malum eligere cogit, vt maius probabilitér imminens euitetur. Metus cadens in virum inconstantem est ille, quo aliquis maiùs malum, & inconueniens eligit, vt minus fugiat.

Colligimus secundò, metum cadentem in constantem virum, aùt esse iustum, aùt iniustum. Iustus est, quandò aliquis comminatur malum, quòd iustè inferre potest, puta, si iusta criminis accusatio comminetur. Metus, qui ab extrinseco, idèst, ab homine aliquandò incutitur ad extorquendum matrimonium, tùnc dicitur iniustus, & aliquando ad alium incutitur finem, & tùnc adhuc incussus scilicèt, ad matrimonium contrahendum.

Colligimus tertiò, vim, & metum adhùc duplicem esse: Vnus, qui aufert prorsùs consensum, & voluntarium, quòd accidit, quandò homo per metum, siuè per vim reverà non consentit, sed fingit se consentire. Alter est, qui non tollit omninò consensum, sed solùm secundùm quid, quatenus

tenùs contrahens reuerà consentit, sed non tamèn liberè. Matrimonium per metum contractum, de iure Ecclesiastico, & naturali, est nullum, cum requisito careat consensu. Omnes communitèr.

Colligimus vltimò, ad metum grauem, & cadentem in constantem virum, reuocari posse, metum mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, exilij diuturni, seruitutis, stupri siué in viro, siuè in fœmina, amissionis status honorifici, & similium, vt expresse habetur. Cap. *De ijs, quæ metus causa fiunt*. Cap. *Cum dilectus, de ijs, quæ vi*, & *l. nec timorem ff. quòd metus causa*.

Ad eumdem metum, reducitur metus amissionis omnium bonorum, vel saltèm magnæ partis, aút amissionis rei magnæ, & notabilis. Similitèr metus infamiæ iuris, vel facti, *cum meliùs sit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ* Prouerb. 12. Idem dicas de metu iniustæ excommunicationis, quià est grauis pœna, cum fidelis ab Ecclesia separetur, & magna patiatur incommoda Sanchez, Bonac. & alij.

SECTIO VIII.

De impedimento ordinis.

QVæres, Quomodò ordo matrimonium impediat, & dirimat? Respondetur, ordines solummodò maiores spontè, & validè susceptos, non solùm matrimonium impedire; verùm, etiàm dirimere. Habetur expresse ex Conc. Tridentino sess. 24. can. 9. ibi licèt alibi descripserimus.

Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatē solemnitèr professos posse matrimoniū cōtrahere, contractumque validū esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium,

posseque omnes contrahere matrimonium &c.

Ex quibus Concilij verbis primò deduci posse, ordines minores matrimonium, non impedire, quamuìs suscipiens falsó existimaret eidem castitatis votum fuisse, & esse annexum. Vtraque pars illationis probatur primò, quià, nullo cautum fuit iure, vt ordines minores huiusmòdi impedimentum præstarent.

Secundò, quià initiatus, cum ea falsa apprehensione, non tenetur, nec solemni voto castitàtis, quòd ijs ordinibus minimè annexum est, nequé voto simplici, quandoquidèm illud emittere non intendebat, nisi quatenùs ordini minori annexum arbitrabatur, & cum in hoc fuerit deceptus, vouentis intentio defecit. Sotus, Sanchez, Bonac. & alij.

Deduci potest secundò inualidè sacris insignitum ordinibus, nequaquàm huiusmòdi impedimentum contrahere. Probatur, quiá non contrahit ratione ordinis, qui cum sit irritus, nullum potest impedimentum præstare, neque ratione voti castitatis, quià cum tale votum sit accessorium ordini sacro, ex Ecclesiæ decreto, destructo principali, accessorium adhùc destruitur.

Secùs tamèn dicendum est de irrita professione, in qua Religiosus, licèt voto solemni castitatis, non teneatur, nihilominùs ex simplici, ligatus remanebit. Votum Castitatis in professione emissum, non est alteri accessorium, sicùti in ordine accidit, sed principale; si igitùr, vt solemne non obligat vt simplex saltém obligare debet, eò, quòd vouentis intentio principalitèr fuit Deo castitatem promittere. DD. cit.

Suscipientes verò validè ordines sacros, ac eisdem votum castitatis annexum adesse nescientes, ab huiusmòdi impedimento minimè esse immunes, quandoquidèm in eo solemni voto implicité adesset. Qui enim sibi aliquem statum eligit, ea consequentèr vult omnia, quæ vel ex natura rei, vel ex Superiorum instituto illi statui, sunt necessario annexa; omnes. Nec

Nec minùs dicendum est de eo, qui positiuè vouendi intentionem non haberet, dùm sacris insignitur ordinibus, quandoquidèm nunquàm hoc euitaret impedimentum, licèt illud ratione voti minimè contraheret, contraheret tamèn ratione ordinis sacri, cum quo ex Ecclesiæ præcepto, matrimonium validum celebrari minimè potest. Vide Bonacinam, & alios pòst ipsum.

Deduci tertio etiàm potest, per metum cadentem in virum constantem sacris initiatus ordinibus, hoc minimè affici dirimenti impedimento; non solùm, quià Ecclesia hoc impedimentum ordinibus sponté susceptis, non autém per violentiam, & metum, apposuit, verùm, etiàm, quià in huiusmòdi casu, votum castitatis nullius esset valoris, quandoquidèm Ecclesia vota per vim, & metum emissa valida minimè censet, sed potiùs irrita. Bonac.

Postremò paritèr deduci potest, matrimonium antè contractum, & nondùm consummatum per susceptionem ordinis sacri minimè dirimi. Ratio est, quià id nullo est Iure prohibitum. Immò Ioannes XXII. in extrauangante de voto, liquidò decreuit, ordines susceptos pòst matrimonium contractum, ipsi matrimonio minimè impedire. Vide in præsenti Rebell. & Bonac.

Duplex adhùc remanet dilucidandum dubium. Primum est; An puer antè, nimirùm, initiatus sacris, & vsu rationis carens, castitatem seruare teneatur, & matrimonium ab ipso postmodùm contractum sit validum? Communior, & probabilior sententia est minimè impediri, non à voto, quià nullum, ob ætatis defectum, & plenam deliberationem, credibile non esse, illum velle tali obligatione ligare.

Secundum dubium est, An ordo sacer antè decimum quartum annum susceptus, dirimat matrimonium? Sanchez cum alijs arbitratur, & probabilitèr minimè dirimere. Sed probabilior est contraria sententia, quàm Sotus, & alij eruditissimè defendunt, cum ipso asserentes huiusmòdi im-

pedimentum, antè pubertatem nasci ex ipso ordine sacro suscepto.

SECTIO IX.

De impedimento ligaminis.

ANtequàm ad dilucidationem istius impedimenti deueniamus. Præmittimus, polygamiam dici, quandò plures habentur vxores. Bigamiam verò propriam, & veram esse, quandò successiuè plures habentur vxores, nimirùm, quandò defuncta prima, altera ducitur.

Præmittimus insupèr; *Ligamen esse vinculum prioris matrimonij, quo durante posteriùs matrimonium, est omninò inualidum*, vt benè aduertit Perez de impedimento ligaminis, Henriquez lib. 12. cap. 6. num. 11. & alij communitèr, quos insinuat in præsenti, & sequitur Bonacina q. 3. p. 10. n. 1. & 2.

Impedimentum, *Ligaminis*, matrimonium posteriùs inualidum reddit, non solùm, iure Ecclesiastico; verùm etiàm naturali, & diuino. Quòd iure Ecclesiastico dirimatur patet ex multis Sacris Canonibus, & præsertim ex cap. *Gaudemus de diuortio*. Et ex Tridentino sess. 24. can. 2. ibi. *Si quis dixerit licere Christianis plures simùl habere vxores, & hoc, nulla lege diuina, esse prohibitum, anathema sit*.

SECTIO X.

De impedimento publicæ honestatis.

QVæres. Quandò huiusmòdi impedimentum oriatur? Respondetur, oriri quotiescumque valida sunt sponsalia, quia tunc ex parte vtriusque sponsi solùm

vsquè

vsquè ad primum consanguinitatis gradum extenditur, puta, si Caius cum Sempronia sponsalia valida contraxit. His solutis ob publicam honestatem cum Sorore carnali ipsius Semproniç, aùt eius Matre, matrimonium contrahere minimè potest. Vide Trid. supra cit. & descriptum in sectione 4. de sponsalibus.

Ex quo inferri potest primò ex sponsalibus, quocũq; modò inualidis publicæ honestatis, huiusmòdi impedimentum ad matrimonium impediendum, vel contractum dirimendum minimè consurgere. Colligitur ex Tridentino loc. cit. & corrigitur ius antiquum, quòd vsquè ad quartum gradum hoc impedimentum extendebat. Patet insupèr ex sequenti capitulo *De sponsalibus*. ibi.

Ad audientiam nostri Apostolatus peruenit, quòd cum H. *Papiensis* Ciuis, *filiam suam cuidam filiorum* H. *dare vellet vxorem; iurauit, quòd si ille eam habere, casu aliquo interueniente; non posset alteri filio, quem de alia vxore genuerat, eamdem matrimonio copularet. Contractis autèm à filia priore, sponsalibus, quidèm consanguinitatis intèr eos esse iuramentis interpositis firmarunt.*

Ideoquè præfatus H. *eandem dare alteri filio nititur, vt iurauit, sed quoniàm scriptum est. quòd sponsam fratris, frater habere non possit. Mandamus, quatenùs eum suum implere propositum non permittas; sed, vt pænitentiam agat de illicito iuramento, monitione præmissa, Ecclesiastica districtione compellas.*

Inferri potest secundò sponsalia nulla ob fictam promissionem matrimonium minimè dirimere, vt aiunt Nauarrus, Bonacina, & alij, ex Tridentino citato, contrà Sanchez, Henriquez &c. asserentes ex sponsalibus ficto animo promissis contrahi publica honestas. Sed prior sententia magis placet, quià Tridentinum huiusmòdi impedimentum prorsùs tollit, quandoquidèm sponsalia minimè valida sint.

Inferri potest tertiò impedimentum publicæ honestatis, non

non sponsæ affinibus, vllo vnquàm tempore consurgere posse. Puta, si Caius cum Sempronia sponsalia celebrauerit, hisque solutis, Caius cum vxore fratris Semproniæ vtiquè matrimonium contrahere posset, cum cognata, nimirùm, Semproniæ, vt cum communi firmat Sanchez.

Inferri potest quartò Caius, qui priùs cum Sempronia sponsalia contraxit, si posterius cum Sorore Semproniæ contraheret, nil quoquè afficeret, quo minùs cum Sempronia matrimonium contrahere possit, quià secunda sponsalia, vtpotè nulla, nullum paritèr afferunt impedimentum. Doct. cit.

Séd in præsenti dubium insurgit, nimirùm, An hoc ex sponsalibus mutuo, libero, & spontaneo consensu dissolutis, oriatur impedimentum? Sanchez affirmat, sed negat Rebell ex quadam Sacræ Congregationis declaratione. ibi. *Si sponsalia soluantur de consensu*, *censuit esse nulla*, & sic ex his nullum præstare impedimentum. Ità refert Rebell.

Sed adhùc maius moueri posset dubium; An nimirùm, si Caius cum Sempronia conditionata contraheret sponsalia, & deindè absolutè, & simplicitèr cum eiusdem Semproniæ Sorore alia ineat, huiusmòdi publicæ honestatis impedimentum contrahatur? Pro quo dubio, & responsione.

Dicimus primò ex primis conditionatis sponsalibus nullum impedimentum oriri, & sic Caium cum Semproniæ Sorore, posse matrimonium contrahere, quià condionata sponsalia antè conditionis euentum sunt inualida; ergò sempèr erunt inualida donèc, & quousquè purificata fuerit conditio, quandoquidèm sponsalium valor suspensus remaneat.

Dicimus secundò, nec minùs ex secundis sponsalibus absolutè, & simplicitèr á Caio cum Sorore Semproniæ initis, impedimentum publicæ honestatis oriri, itaùt ampliùs Caius Semproniam in vxorem ducere nequeat, cum secunda sponsalia licèt absoluta sint contrà fidem contracta sub

prio-

priorum promissorum conditione, eò ipso irrita fuerunt, & consequentèr ex ipsis impedimentum oriri non potest. Layman. Sanchez, & alij.

Non minùs necessarium, quàm vtile ex dictis pro praxi in præsenti sunt duo aduertenda. Primùm scilicèt, quòd si Caius cum Sempronia sponsalia absolutè contrahat; & deindé Sororem Semproniæ carnalitér cognoscat, nec Semproniam, nequé eiusdem Sororem ducere poterit. Non Semproniam ob affinitatis impedimentum, nequè Semproniæ Sororem ob impedimentum publicę honestatis.

Secundum est, si Caius Semproniam carnalitèr cognoscat, & posteà cum eius Sorore ineat sponsalia, neutram in vxorem ducere posset; non primam proptèr impedimentum publicæ honestatis; nequè secundam proptér contractam affinitatem. Ità Layman, qui ingeniosissimè hoc notat impedimentum, morte alterius sponsi non solui, sed perpetuum esse vt habetur ex sequenti cap. *De sponsalibus.* ibi.

Si quis vxorem desponsauerit, vèl subharrauerit, quamquàm postmodùm praueniente die mortis eius, nequiuerit eam ducere in vxorem, tamèn nulli de consanguinitate eius licèt accipere eam in coniugio. Et cap. sequenti. *Si quis desponsauerit vxorem, vèl subharrauerit, & siuè praueniente die mortis, siuè irruentibus alijs causis minimè eam cognouerit, nequè eius superstes frater, nequè alius de consaguinitate eius* (quòd erunt intellige intrà primùm gradum) *eandem sibi tollat in vxorem, vllo vnquàm tempore.*

Quæres. Quomodò hoc impedimentum, non solùm ex sponsalibus per verba de futuro; verùm etiàm per verba de præsenti contrahatur? Respondetur, huiusmòdi impedimentum ex matrimonio rato, & adhùc etiàm nondùm consummato, contrahi. Ratio est, quià si hunc effectum præstant sponsalia, quæ ad matrimonium sunt sicùt via, multò magis ipsum matrimonium præstàre debet. Habetur ex cap. *descripto ad audientiam de sponsalibus.*

Dici-

Dicimus tamèn, quòd ex matrimonio, quantumuis inualido (duobus tantùm casibus exceptis) publicæ honestatis impedimentum insurgere; huiusmòdi nostra conclusio colligitur ex quodam motu proprio B. Pij V. in quo declarauit Concilium Tridentinum sess. & cap. supra insinuatis decretum in hæc verba; nimirùm, *Quòd impedimentum publicæ honestatis, intelligendum est de sponsalibus in futurum, non autèm de matrimonio contracto.*

Sèd non est recedendum à iure antiquo, nisi quatenùs alitèr in iure nouo decernitur, sed iure antiquo cap. *Sponsam de sponsalibus*, & cap. *Accessit de sponsatione impuberum.* Impedimentum publicæ honestatis consurgebat ex matrimonio inualido, & extendebatur vsquè ad quartum gradũ, modò non esset inualidum defectu consensus, & Iure nouo non est alitèr decretum.

Nostra conclusio patet ex citato motu proprio B. Pij V. *Ad Romanum spectat &c.* edito vsquè de anno 1568. ergò ex matrimonio rato inualido publicæ honestatis impedimentum consurgit, & fortiùs, quià sic habetur ex declarationibus EE. DD. Card. Vide Speculum in append. ad art. 53. vbi hoc approbat multis rationibus. Rebell. lib. 4. sect. 5. in declarat: DD. Card. num. 101. & lib. 3. disp. 14. n. 2. Card. Tuscum tom. 5. concl. 140. num. 5. & alios apùd Bonacinam q. 3. p. 12. n. 11.

Contrà Nauarrum cap. 22. num. 58. Emanuel Sà de imped. matr. n. 12. & alios existimantes ex matrimonio inualido, impedimentum publicæ honestatis non oriri, quorum ratio est, quià impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus inualidis non consurgit, ergò nequè consurgit ex matrimonio inualido; sed respondetur alitèr sancitum esse de iure nouo in sponsalibus, quàm in matrimonio, vt clarè patet ex motu citato B. Pij V.

Diximus supra, *exceptis tantùm duobus casibus*, quorum primus est, si matrimonium sit nullum ex defectu consensus, tùnc enim ex eo, tale impedimentum non oriretur.

Sc-

Secundus, si matrimonium ratum, nullum fuerit ob impedimentum publicæ honestatis, puta, si Caius cum Sorore Semproniæ matrimonium celebrasset, contractis priùs absolutè cum Sempronia sponsalibus, nàm tùnc illud matrimonium nullum fuisset ob impedimentum publicæ honestatis. Ex matrimonio nullo ob hanc causam, non potest oriri impedimentum, & Caius in tali casu, Semproniam ad hùc ducere posset. Vide Layman.

Concludimus deniquè huiusmòdi impedimentum publicæ honestatis in matrimonio rato, siuè valido, siuè inualido, modò superiùs explicato, extendi vsquè ad quartum gradum, & consequentèr Caius mortua Sempronia antè matrimonij consummationem, deindè Semproniæ consanguineam, vsquè ad quartum gradum ducere in vxorem minimè posset, vt ex motu proprio B. Pij V. colligitur; est paritèr omnium communis sententia.

SECTIO XI.

De impedimento affinitatis.

SVpponimus. *Affinitatem esse propinquitatem personarum prouenientem ex carnali copula, tàm licita, quàm illicita,* & hoc contingere solet, quandó duo sese carnalitèr cognoscunt, secundùm ordinem à natura intentum, & tùnc efficiuntur affines, cum alterius consanguineis in eo, gradu, in quo intèr se, ipsi consanguinei existunt. Sit exemplum.

Caius copulam exercens cum Sempronia, affinis efficitur cum ipsius Semproniæ in sanguine coniunctis, in eo gradu, nimirùm, in quo consanguinei Semproniæ cum ipsa reperiuntur. Vndè euenit, quòd si isti sint cum Sempronia in primo gradu coniuncti, affines in primo gradu cum Caio paritér efficiuntur.

Idemque dicendum est de consanguineis Caij, respectu Semproniæ, quandoquidèm Sempronia habita cum Caio copula, efficitur affinis consanguineis Caij in eo gradu, in quo ipsi consanguinei sunt coniuncti cum Caio. Ità communitér Doctores, apùd Bonacinam in præsenti. q.3.p.12. n.1.his præmissis.

Quæres, Quomodò contrahatur affinitas, & in quo gradu præstet impedimentum matrimonium dirimens? Respondetur,ad contrahendam affinitatem necessariò requiri, vt intrà vas muliebre naturale semen à viro emittatur. Deducitur ex cap. *Lex diuinæ constitutionis*. q.2. cap.27. infrà. ibi.

Quibus verbis innotuit non alitèr virum, & mulierem posse fieri vnam carnem, nisi ex carnali copula sibi cohæreant. Qui ergò nequàm mixtus est extraneæ mulieri fœdere nuptiali; quo pacto per nuda spontionis verba possunt vna caro fieri,nullatenùs valemus intueri. Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur. Sèd nequè osculum parit propinquitatem, quòd nullam facit sanguinis commixtionem &c.

Hoc verò ius, & non minùs alia, quæ breuitatis causa, in præsenti minimé adnotantur, ad affinitatem exigunt, vt mas, & fœmina vna fiat caro. Sed vna caro non fit viri, & fœminæ, nisi per vtriusque sanguinis mixtionem, ergò ad affinitatem contrahendam necessariò sanguinis commixtio requiritur.Est, non solùm Suarez sententia, sed etiàm communis omnium Doctorum. ex quo.

Inferunt ipsi minimè oriri affinitatem ex fœmina in copula seminante, non seminante viro. Sed quid si tantummodò vir, & non fœmina seminauerit? Villalobos tom. 1. tract. 14. diff. 11. num. 8. & Doctores communitèr aiunt solùm sufficere effusionem seminis virilis, quià hoc tantùm perficit generationem, vt tradit Aristoteles 2. de gen. c.2. Et D. Thomas 3. par. q. 31. art.5. ad 5. cum omnibus ferè Theologis.

Verùm

Verùm hæc opinio licèt sit probabilis, & in praxi tenenda, vt docet S. Thom. in 4. dist. 41. q. 1. ar. 1. q. 4. ad 2. probabilis est etiàm sententia physicorum, & intèr hos multi alij Doctores, duce Hypocrate *l. de genitura*, & Galeno lib. *6. de locis affectis*. c. 5. asserentes ad generationem semen muliebre necessarium requiri. Ex qua sententia non nulla deducuntur corollaria. Vide Dianam. P. 3. Tr. 5. resol. 19. §. difficultas, & par. 4. l. 2. res. 43. in adden. Suarez.

Primum, quòd qui Sororem vxoris carnalitèr cognouit, poterit exigere debitum, si illa non seminauerit. Secundùm, si huiusmòdi modo vir cognouit vxorem, illa defuncta, aliam ducendo, & cum ea matrimonium consummando, bigamiam minimè contraxit. Tertium deniquè, matrimonium hoc modo consummatum per professionem religiosam dissoluitur, & vno coniuge manente in Sæculo, alter religionem ingredi potest.

Ex copula habita cum muliere dormiente, ebria, inuita &c. affinitatem equidèm ori, quià huiusmòdi copula ex parte viri, malitia minimè caret, nec minùs intentione proprium sanguinem, cum sanguine alterius commiscendi. vt docent Sanchez, Fillucius, & alij communitèr, asserentes insupèr occultam copulam, affinitatem generare eò, quòd iura non distingunt, sed potius indefinitè loquuntur, vt ipsi citati Doctores exactissimè obseruarunt.

Dicendum insupèr restat, affinitatem ortam, licèt ex copula coniugali, adhùc matrimonium vsquè ad quartum gradum inclusiuè dirimere; ortam verò ex copula fornicaria, & consequentèr illicita matrimonium dirimere vsquè ad secundùm gradum inclusiuè: habetur ex Tridentino sess. 24. cap. 4. ibi.

Præterea S. Synodus eisdem, & alijs grauissimis de causis adducta impedimentum, quòd proptèr affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu coniun-

iunguntur, restringit in ulterioribus verò gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium posteà contractum non dirimere.

Quæres, cum quibus personis affinitas contrahatur? Respondetur, affinitatem, in linea recta tàm ascendentium, quàm descendentium contrahi, cum omnibus consanguineis illius personis, cum quibus copulæ habitæ fuerunt vsquè ad secundùm, vel quartum gradum iuxtà superiùs firmata, & sic in linea recta affinitatis, ascendentes, vel descendentes illarum personarum, cum quibus habitæ fuerunt copulæ, vt diximus, constituuntur ascendentes sunt Socer, vitricus, & nouerca, descendentes sunt gener, nurus, priuignus, & priuigna.

In linea verò transuersali, consanguinei in eadem linea transuersali illius cum qua copula habita fuit, constituuntur. Sit exemplum. Caius cognouit Semproniam suam coniugem habentes fratres, Sorores, Patrem, & Matrem, Frater, & Soror Semproniæ affines Caij efficiuntur in linea transuersali. Pater verò, & mater Semproniæ in linea recta efficiuntur affines.

Sèd clariùs. Sunt autèm in affinitate gradus computandi sicùti in consanguinitate, per ordinem ad affinitatis stipitem, quandoquidèm sunt duæ illæ personæ, intèr quas habita fuit copula. Illæ enim sunt affinitatis principium, sed intèr ipsas non sunt affines; est communis Doctorum sententia. Vide in præsenti Henriquez.

Ex dictis inferri potest, quòd ex copula intèr Caium, & Semproniam, habita, modo sint coniuges Pater Semproniæ, affinis efficeretur Caio in primo gradu ascendentium, eò, quià est consanguineus Semproniæ in primo gradu ascendentium. Frater verò Semproniæ eidem Caio in primo gradu affinis fiet; sed tamèn in linea transuersali, quià est Semproniæ consanguineus in primo gradu lineæ transuersalis.

Ac insupèr Patruelis efficietur Semproniæ, Caio in gradu

du secundo, quandoquidèm cum Sempronia in secundo consanguinitatis gradu reperiantur. Idemque proportionalitèr firmandum est de consanguineis Caij, vsquè ad quartum gradum consanguinitatis; in copula tamèn licita; in copula verò illicita vsque ad secundùm, vt diximus. Omnes communitèr.

Adhùc referri potest, quòd Pater Semproniæ propriè, non efficitur affinis cum matre Caij, itaút, cum illa dirimens impedimentum contrahatur, quià solùm consanguinei Semproniæ cum Caio contrahunt affinitatem, minimè verò cum consanguineis Caij, nisi saltèm per accidens, & multùm remotè, quòd impedimentum non inducit dirimens, ex quo fit, vt pater, & filius vnius familiæ, in vxorem ducere poterit matrem, & filium familiæ alterius.

Similitèr duo fratres, cum duobus sororibus contrahere possunt, & huiusmòdi ratione, maritus Sororis Caij e. g. viduus, nubere poterit cum vxore vidua Caij, eò, quód intèr ipsos nullum affinitatis impedimentum intersit. Affinitas enim, vt dicitur, affinitatem non parit, quandoquidèm cùm ea sola terminetur persona, cum facta fuit sanguinis coniunctio, nec ad alium eius consanguineum protenditur. Layman, & alij communitèr.

Firmamus insuper affinitatem, matrimonium dirimere in primo gradu lineæ rectæ, iure naturali, & consequentèr contrà hoc ius esset matrimonium inire intèr priuignum, & nouercam, vel priuignam, & vitricum, intér socrum, & nurum, & intér socrum, & generum. Ratio est, quià hactenùs Ecclesiam in hoc gradu lineæ rectæ nunquàm dispensasse deprehenditur, quòd signum est minimé posse. Sanchez.

Diximus, *in primo gradu lineæ rectæ*, quià si loquamur de linea transuersali, indubitatum est, Affinitatem, iure naturali, vel diuino, matrimonium non dirimere, & sic, vxorem, mortuo viro, Summo Pontefice dispensante, a

posse

posse mortui viri fratrem ducere.

Et hæc causa fuit omnium malorum, quæ catholicæ Ecclesiæ occurrerunt tempore Henrici VIII. Angliæ Regis, qui repudiata Catharina fratris sui mortui vxore, ducta ex Summi Pontificis dispensatione, in vxorem hac fictione eã repudiauit temeré asserendo, Summum Pontificem in huiusmòdi casu dispensare minimè potuisse. Vide inter alios Sanchez lib.7. disp.67. n.8.

Quod verò diximus, ratione probatur, nàm Iacob Genes.25. cum adhùc esset vir eximiæ sanctitatis duas duxit vxores sorores, vnam nomine Lia, alteram verò Rachel. Ergò dici debet, affinitatem in linea transuersali, iure naturali, & diuino, matrimonium non dirimere; Idcircò in Lusitania ab Alexandro VI. fuit dispensatum cum Rege, & á Iulio II. cum Henrico in Anglia.

Et posteà, vt refert Sanchez cit. num.11. Clemens VII. consultis totius orbis illustribus vniuersitatibus, & maturissimo Consilio habito decreuit authoritate Pontificia fuisse legitimam dispensationem. Quod Decretum refert ad verbum Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 12. & multi viri doctissimi varios edidere tractatus in huius veritatis confirmationem.

Nèc obijcias, matrimonium cum affine in primo gradu lineæ transuersalis contractum, vetitum fuisse in Leuitico 18. vbi habetur. *Turpitudinem fratris tui non reuelabis*. Et vlteriùs à Ioanne Baptista, Herodem fuisse repræhensum Matth. 14. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Ex quibus Sacræ Scripturæ locis satis apparet, affinitatem in primo gradu lineę transuersalis, iure naturali, vel saltém diuino, matrimonium dirimere.

Quià quoàd primam partem respondetur, falsam esse consequentiam, quandoquidém legem in Leuitico præscriptam, in morte Christi, & per illius nouam fundatam legem, eam iàm cessasse, nàm *translato Sacerdotio, legis translatio facta fuit*, vt habetur ex Apostolo ad Hæbreos 7.

Quòad

Quoàd secundam adhùc respondetur, fuisse reprehensum Herodem à Precursore Domini, non eó, quià Herodiadem sibi in vxorem copulauerat, sed eò magis, quià (vt ipse loquitur textus) duxerat vxorem fratris sui, viuente Philippo fratre, quod contrà omne ius erat, vt testantur D. Thom. in illum Matt. locum, & Beda in eum locum Marci, ac Iosephus lib. 18. antiquitatum cap. 6. & alij.

Vel iterùm saltèm paritèr dicatur, Herodem tanquám filium, vt asserit Sanchez, cuiusdam Iudæi astrictum fuisse lege Moysis, quæ tùnc temporis nondùm spirauerat (immò vsqué ad Christi mortem, & ipsius promulgatam legem, perdurauit) idque matrimonium extabat, quoùsque eius frater liberos reliquisset.

SECTIO XII.

De impotentiæ impedimento.

QVæres, quæ impotentia matrimonium dirimat? Respondetur, solúm impotentiam ad prolem generandam matrimonium minìmé impedire, & consequentér fœminam, & virum, quamuis steriles existant, vt feré in senibus occurrere potest matrimonium contrahere posse, dummodò sint potentes ad naturalem peragendam copulam. Layman cum communi.

Dicimus insupèr, impotentiam perpetuam antecedentem, matrimonium subsequens impedire. Habetur ex lib. 4. Decretalium *de frigidis, & maleficiatis*, vt infrá, quiá potentia ad carnalem copulam est matrimonio essentialis, licét minimè sit matrimonio essentialis actus huius potentiæ, idèst, actualis copula.

Si igitur coniuges huiusmòdi careant potentià; matrimonium inter eosdem subsistere minimè poterit, quando-

qui-

quidèm in rerum natura, nil esse possit absquè sua parte essentiali. Ex quo consequentèr sequitur tale matrimonium non solùm, iure Ecclesiastico, verùm etiàm naturali, irritum esse. Layman.

Ex quibus principijs colligi potest, quòd si coniugis impotentia, consuetis Ecclesiæ exorcismis, vel ordinarijs remedijs auferri nequeat, perpetua erit censenda, ac proindè matrimonium dirimens. Huiusmòdi primò esset in particulari illa impotentia, quæ non alio modo, & medio tolli posset, nisi cum, magno vitæ, vel grauissimi morbi periculo.

Secundò, quæ neque pariter tolli posset, nisi per diabolicam incantationem tertió denique, nisi per miraculum tollatur. In quibus omnibus casibus quamuis impotens reddi posset (potens verò modis suprá recensitis) laborare, putaretur perpetua impotentia, & tanquàm inhabilis ad ineundum matrimonium erit vtiqué censendus. DD. cit.

Colligi adhùc potest, Spadones, & Eunuchos vtroque teste carentes matrimonio prorsùs ineptos esse. Ratio est, quià eorum impotentia censetur perpetua, quandoquidem verò semine sint destituti, absque quo quis dici nequit potens ad coniugalem, & naturalem exercendam copulam, vt fuit á Sixto V. declaratum, & ferè id omnes communitèr tenent DD.

Si tamèn Eunuchus pòst matrimonium contractum efficiatur, tùnc adhùc copulæ vacare poterit, quamuìs, verùm minimè emittat semen, vt docet Toletus lib.7.cap.15. num.4. Sanchez, & alij in præsenti. Ratio est, quià huiusmòdi impotentia non est antecedens, sed subsequens matrimonium iam, vt supponimus, anteà contractum.

Laborantes verò hac impotentia perpetua, quoàd omnes, puta, si vir nullam possit cognoscere fœminam, vel fœmina à nullo viro valeat cognosci, impediti perpetuò matrimonio contrahendo censentur. Si tamen impoten-

tia

tia sit respectiua, puta istius viri, respectu huius mulieris, & è conuersò, intèr ipsos matrimonium contrahi non potest, & contractum nullnm erit, cum quibus talis sit impotentia. Omnes communitèr.

Atsi non satis euidentèr constet, impotentiam esse perpetuam, sed dubium habeatur, an sit temporalis, tùnc, & eò casu ab Ecclesia vtrique coniugi triennale tempus conceditur, quo tempore copulæ coniugali est operadanda, vt expresè colligitur ex cap. Laudabilem de frigidis, & maleficiatis, ibi.

Requisisti quantum tempus indulgendum sit naturalitèr frigidis ad experientiam copulæ nuptialis &c. Nos verò in præsenti consultatione sentimus, vt à tempore celebrati coniugij, si frigiditas priùs probari non possit cohabitent per triennium, quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & iuxtà Decretum Gregorij, mulier per iustmm iudicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non possit, accipiat alium, si autem ille aliam acceperit, separentur. Quòd si ambo consensiant simul esse, vir eam etsi non vt vxorem saltèm habeat, vt sororem.

Si autèm, quòd nunquàm se inuicem cognouerint, ambo fatentur cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) tactis SS. Euangelij, vterque iure iurando dicat, quòd nunquàm per carnis copùlam, vna caro effecti fuissent, & tùnc videtur, quòd mulier valeat ad secundas nuptias conuolare, verùm si ille aliam duxerit, tùnc hi, qui iurauerant rei periurij teneantur, & peracta pœnitentia cogantur ad connubia priora reddire.

Nequè hìc omittendum fateri putamus, quòd si viri impotentia fuerit antè decimum quartum annum completum, & fœminæ anté perfectum duodecimum, vtrumque matrimonium contrahendum inhabilem redderet, & hoc solùm iure Ecclesiastico, vt habetur ex cap. Attestationes, ibi.

Super causa matrimonij, quæ intèr H. iuuenem, & G. mu-

 lierem

lierem vertitur, accepimus, & ipsis inspectis, nobis innotuit, quod prædictus iuuenis nondùm duodecimum annum attigerat cum præfata n G. accepit uxorem, & licèt nisus fuisset (sicut vterque confessus est) ipsam corrumpere, mulier tamèn credit se Virginem euasisse. Verùm ipse antequàm ad annum decimum quartum peruenisset à memorata muliere recessit, quem cum decem, & septem annos habeat eadem pro viro sibi vendicare contendit &c.

Consultationi tuæ totalitèr respondemus, quòd si mulier per idoneos testes probare nequiuerit, quòd pòst decimum quartum annum ætatis suæ, vel circà finem decimi quarti anni prædictus iuuenis consensisset in eam ab ipso iuramento recepto, quòd postquàm ad legitimam ætatem peruenit ipsam habere non consensit vxorem ab impetitione mulieris eum potes, & debes absoluere, & ad alia vota vtrique dare licentiam transeundi.

Si verò puer, aut puella antè dictam ætatem, certis iudicij habilis ad copulam deprendatur, itaùt in ipsis malitia suppleret ætatem, tùnc enim de huiusmòdi impotentia constante, matrimonio equidèm copulari poterunt, vt habetur ex cap. De illis, de desponsatione impuberum, ibi.

Qui in minori ætate desponsantur &c. Respondemus, quòd si ità fuerint ætati proximi, quòd potuerint copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu, separari non debent, si vnus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem suppleuisse malitia videatur. Sed cuiuscunque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi pòst violentiam consensus accedat.

SECTIO XIII.

De impedimento Raptus.

SEquentia impedimenta dirimentia, nimirùm, absentia Parochi, & duplicis testis, fuerunt à Tridentino

super

supèr Decretum de reformatione matrimonij sess. 24. cap. 1. vt aliàs diximus introducta, sed quatenùs, ex vtroque nullum ipsum matrimonium reddatur, satis paritér alibi firmauimus. Ad præsens de Raptu restat agendum, quòd siquidèm ipsum irritat matrimonium, vt statuit Concilium citatum, ibi.

Decernit S. Synodus intèr raptorem, & raptam, quàmdiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat, & nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem prabentes, sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, etsi Clerici fuerint de proprio gradu decidant: Teneatur prætereà raptor mulierem raptam, siuè eam in vxorem duxerit, siuè non duxerit, decentèr arbitrio Iudicis dotare.

Quæres, quomodó Raptus matrimonium dirimat? Præmittimus, duplicem esse Raptum, primus est, quandò puella inuita, & repugnans abducitur. Secundus est, quandò volens abducitur, séd contrà voluntatem parentum, vel aliorum, ad quos cura puellæ, omninò spectat.

Præmittimus insupér, Raptum propriè dici, & esse, quandò mulier, siuè Virgo, siuè coniugata, siuè Vidua, abducitur, ab vno ad alium locum, vel causa exercendæ libidinis, vel matrimonium cum ea contrahendi, quòd crimen si cum honesta committatur muliere, morte erit vtiquè plectendus, colligitur ea cap. vnic. c. de Raptu Virginis, his præmissis.

Respondetur intèr raptorem, & raptam matrimonium minimè posse celebrari, quousque in loco tuto non reponetur, vt sua possit frui libertate. Patet ex Trid. cit. verùm, vt raptor tali decreto subiaceat, ex infrà dicendis liquidò demonstrabitur, & vt res tanti momenti cunctis pateat, conditiones in huiusmòdi raptu si adsint sequentes pœnæ ex decreto Conc. enumerantur.

Prima tàm raptor, quàm consilium, auxilium, & fauorem præbentes, ipso iure sunt excommunicati. Secunda, si Clerici sint à proprio decident gradu, & deponentur. Tertia teneri raptorem Iudicis arbitrio puellam, siuè in vxorem, siuè non duxerit secundùm vniuscuiusque statum de proprio dotare. Pœnam veró infamiæ, quam comminatur Trid. ac dotationis, & depositionis non incurri, nisi pòst Iudicis latam sententiam, vt eruditè aduertit Sanchez.

Si verò fœmina non inuita, sed liberè consensiens abducatur ab vno in alium locum, pœnæ superiùs comminatæ minimè incurruntur, quià hic non dicitur propriè raptus, de quo Trid. loquitur, & fortiùs, quià Conc. matrimonij libertati occurrere voluit. At si fœmina volens sese abduci patiatur, & libens contrahat, matrimonij libertas minimè læditur. Sanchez contrà nonnullos existimantes Trid. Decretum huiusmódi raptum etiàm comprehendere.

Hoc impedimentum tùnc contrahi, quandò mulier rapta fuit ad finem cum ea matrimonium ineundi. Secùs verò si intentione cum ea consummandæ libidinis. Quarè si in huiusmòdi casu spontè, & liberé postmodùm ipsa raptori nubat, dummodò cætera requisita concurrant, matrimonium validum erit habendum. Ità Sanchez, & alij.

Raptus impedimentum, vt sic, & simplicitèr, modo supra explicato, non solùm matrimonij validitati minimè obstare; verùm etiàm sponsaliorum valori ad nihilum sese opponi, quandoquidèm dispositio, quæ in principali retinet locum; adhùc etiàm in accessorio militare debet, vt sunt sponsalia in ordine ad matrimonium, quód spontè, & liberè semper debet celebrari; vt omnes DD. communitèr fatentur.

Posito tamèn, quòd ad contrahendum hoc impedimentum requiratur, vt mulier de vno ad alium deducatur locum inuita, & raptor pœnis suprà recensitis subiaceat, quid

quid nàm dicendum, si intrà eamdem domum, in quam ipsa spontè deducta fuit, consentientibus etiàm proprijs parentibus, deindè ab vno in aliud eiusdem domus cubiculo abducatur? Sed tamèn inuita ad finem cum ea matrimonium contrahendi, præstabit ne huiusmòdi impedimentum?

Respondemus, minimè præstare, quia licèt dici possit, quòd mulier de vno ad alium deducatur locum, vt in proposito casu, nihilominùs id in rigore physico, non autem morali, & secundùm vulgi communem sermonem, verificaretur, sed nemo prudens in tali casu existimaret mulierem de vno ad alium locum abductam fuisse.

Et insuper, quià illa duo cubicula quamuis inter se fuerint separata, & distincta, firmare adhùc possumus ad vnam pertinere domum, & consequenter dicendum esse, moraliter saltem loquendo, mulierem de vno ad alium locum exijsse, & accessisse, sed simplicitèr, vt diximus moralitèr esse ad eundem locum.

Vt eodem modo necessarium minimè esse, ad huiusmòdi impedimentum contrahendum cum ipsa rapta copulam habere, cum à Tridentino raptus non ratione libidinis, sed potiùs ratione ineundi matrimonij, vt optimè aduertit Sanchez, ità esse huic impedimento locum, licèt rapta non fuerit ad locum determinatum deducta, quia, vt ipse Sanchez notat, delictum à raptore commissum in sola abductione perficitur.

Et vltimò dicimus huiusmòdi impedimentum minimè contrahi, si Caius e.g. suo motu proprio, inscio tamen Titio, aliquam de vno in alium locum puellam deduceret animo, vt cum Titio nubat, quià hoc matrimonium validum esset, si puella deindè liberè cum Titio consentiret, cum pœna à Tridentino promulgata, raptorem solùm afficiat, quandò rapta eò abducitur fine, vt raptori, & non alteri nubat. Sanchez.

SE-

SECTIO VLTIMA.

De impedimentis non dirimentibus.

TErminatis, Deo gratias agentes, dirimentibus impedimentis, modo breuiter restat tractandum, de impediendis, & sic. Quæres, quæ nam ista sint? Respondetur, esse quinque, nimirùm, interdictum, ferias, crimen, sponsalia, & votum; quæ singula faciliori methodo pro tyronibus explicantur.

Interdictum matrimonium, idest, illicitum, non verò inualidum reddens, est quando Ordinarius ob rationabilem causam inter certas prohibet personas, nè matrimonium, vt moris est, contrahatur, hoc apertissimé colligitur ex cap. pænult. de sponsalibus duorum, ibi.

Tua fraternitas &c. Hoc arbitramur agendum, vt si ammodò in tali casu duxerint appellandum eis in Ecclesia publicè interdictas; ne antè decisionem causæ aliud contrahant matrimonium, & si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserit matrimonium tàm præsumptuosè contractum poteris irritare.

Licét enim ad Episcopos huiusmòdi causam, vt in præsenti eruditissimé asserit Layman cognoscere strictè pertinere, adhùc autém hac facultate Parochos minimé carere, vt omnes hanc defendentes sententiam aperté, & liquidó loquuntur, sed fortiùs, quià clarè habetur ex cap. vltimo de clandestina desponsatione, ibi.

Cum inhibitio &c. statuimus, est cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesijs per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, vt infrà illum, qui voluerit, & valuerit legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominùs inuestigent, vtrum aliquod impedimentum obsistat.

Cum

Cum autem apparuerit probabilis coniectura contrà copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eò manifestis constiterit documentis &c.

Secundum impedimentum est tempus feriatum, nimirùm, ab Aduentu Domini, vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque ad octauam Paschatis, nihilominùs his temporibus, vt aliàs fusè diximus, matrimonium contrahi, & consummari minimè prohibetur, vt clarè colligitur ex cap. Capellanus de ferijs, ibi, & infrà.

Quia ergò consulti sumus, vtra istarum opinionum potior videatur. Nobis ex fratribus nostris apparuit, quòd licet ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, vt quocunque tempore matrimonium contrahatur, consensu interueniente legitimo de præsenti &c.

Huiusmòdi tamen prohibitio incipit à Dominica prima Aduentus, ideſt; à media nocte, non verò á primis eius Vesperis, vt existimat Basilius Pontius contrá Sanchez, & probat ipse Pontius Rauennatensi Concilio sub felic. recor. Clemente V. c. 19. vbi expresse primam Aduentus Dominicam nominat, quòd certum ipse fatetur á media nocte incipere.

Sèd hoc subsistere minimè videtur, eò, quiá hoc enim tempus prohibitionis incipit á primis Vesperis, vt diximus, primæ Dominicæ Aduentus, cum Tridentinum simplicitèr loquatur ab Aduentu Domini, nuptias solemnitèr minimè celebrari posse, vt legitur sess. 24. cap. 10. ibi.

Ab Aduentu D.N. Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligentèr ab omnibus obseruari S. Synodus præcipit. In alijs verò temporibus nuptias solemnitèr celebrari permittit &c.

Colligitur pariter ex cap. 1. de ferijs, ibi. *Omnes dies Dominicos à Vespera in Vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere, vt in eis mercatum minimè fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur &c.*

Ad-

Aduertimus tandèm, consuetudinem esse, vt quocunque tempore matrimonium contrahatur á nuptijs vetitis temporibus solemni ritu, nimirùm, sponsæ traditione, ac benedictione semper fore abstinendum, iuxtá Ritualis Romani á B. Pio V. editi præscriptum.


Tertium impedimentum est, Cathechismus, quod intelligendum est, quandò quis pro persona baptizanda, Parocho interroganti respondet; Sanchez tamen vnà simùl cum nonnullis alijs est in sententia, quòd á Tridentino huiusmòdi impedimentum fuerit prorsùs sublatum.

Quartum impedimentum est, quidam contractus ex certis quibusdam criminibus, vltrá, adulterij, & crimen mortis coniugis, initur, modo, quo suprá explicato, quòd impedit, & dirimit. Crimina verò, quæ non dirimunt, sed impediunt sunt hæc sequentia.

Primò homicidium. Secundó Presbytericidium. Tertiò matrimonium cum moniali scientér contractum. Quartò susceptio proprii infantis è sacro fonte in fraudem coniugalis debiti. Quintò publica pœnitentia ob peccatum commissum. Sextò raptus alienæ sponsæ. Septimò incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhùc viuentis.

Verum hæc omnia impedimenta Coninchus, Nauarrus, Henriquez, & alij existimant per contrariam consuetudinem esse omnino sublata, possunt insuper addi sponsalia, de quibus alibi fusiùs peregimus.

Vltimum impedimentum est, votum castitatis, & ingrediendæ religionis, quod pariter impedit, nè matrimonium licitè contrahatur, sed minimè impedit, nè validè fiat; sed de huiusmodi votis satis constat ex dictis. Omnia vero, quæ scripsimus omni promptitudine, & humilitate Sanctæ Sedi Apostolicæ sempèr subijcimus.



FINIS.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum, Amen.

INDEX

Sectionum, & Quæsitorum in hoc Libro existentium.

† Se-

Se-

Errata.	Correcta.
Pagina 14.l.6. condennandus	coadunandus
pag 19.l.19. Dorandus	Durandus
pag.22.l.19. fine	siue
pag.25. l.22. profaranda	proferenda
pag.26. l... fine	fine
pag.27. l.vltima zauit	zaudi
pag.30. l.5. fi	fit
pag.33. l.29. psiectacus	psittacus
pag 38. l.4. donu	diem
l.19. volens	nolens
pag 46. l.12. ad adultus	at adultus
pag. 47. l.25. dnmmodo	dummodo
pag 60 l.34. martyrra	martyr à
pag.64.l.2. viue	niue
pag 89. l.18. cauum	canem
pag.95. l.35. sub stat	subsistat
pag.105. l 24. ordinarum	ordinarium
pag.106. l 9. martaliter	mortalitèr
pag. 107 l 3. defunnctorum	defunctorum
pag.110. l.5. di	die
pag.112. l 2. Eucharistei	Eucharistiæ
pag.113. l.35. Azymo	azimum
l.4. debeatur	deleatur
pag 115.l.34 grauis	granis
l.35. necessaria	necessarium
l.10. offi ientia	efficientia
pag.116. l 9. vostræ	nostræ
pag 118. l. 20. permissum	permissum
pag.132. l.9. augnmenta	argumenta
pag. 145 l.26. testaute	testatur
l.4. primam	primum
pag.147.l.21. sædit	lædit
pag.150. l.1. tit.	cit.
pag 151.l.31. excusaretur	excusarentur
pag 152. l.4. filliuccio	Filluccio
l.10. fit	sit
pag.153. l.9. excommunicatio	excommunicato
pag.154.l.3. sedis	sedi
pag. ibi l.vlt. optime	optimo
pag.166 l.29. anunum	annum
pag.168.l.27. bis	his
pag 171.l.16. Gelasio	Gelasio
pag.174. l.25 debetur	deletur
pag.175.l.6. saccificium.	sacrificium
pag.177.l.5. iustla	iustitia
l.33. fidem	finem
pag.179.l.10. Iudex	Iudæis
pag.181.l.8. Ecclesiæ	Ecclesiæ
pag.181 l.6. sicut	sint
l 30. applicario	applicatio
pag.185 l.10. nusse	missas
pag.189.l.10 mussatum	missarum
pag.190 l.17 ambos	ambas
pag 191.l.10. vcrosas	lucrosas
pag.192 l.9. vi	vt
pag.198.l.14. quartam	quartum
l 22. simplici	simplicia
pag 199.l.32. Posseuimus	Posseuinus]
pag.410 l.18. fateatur	confiteatur
l.19. ablutionemque	absolutionemque
pag.423.l.6. siuct	sicut
l.22. originin	originis
pag.200.l.20 Facundez	Fagundez
l.31. instituror	institutor
pag.201 l.26. abberremus	aberremus
pag.208.l.34. offerat	offeraut
pag.212.l.18. coaditorem	coadiutorem
pag.214.l.6. firmone	firmant
pag.216 l.1. à loquuti	alloquuti
l.1. debitari	dubitari
pag.218 l.30. resoondemus	respondemus
l.32. reconciliare	reconciliari
pag 223.l.28. necessari	necessarij
pag 321.l.22. facta	facta
pag.243.l.32. pectore	peccatorem
pag.247.l 26. conuertat	conuertor,
pag.248.l. 30. rectêm	rectè
pag.249.l.31. rideretur	redderetur
pag 250 l.17. cans	casu
pag.251.l.23. quòd	quod
l.30. cansa	causa
pag.252 l.3. loquamur	loquamur
pag.253.l.2. tamporalis	temporalis
l.15. vl	vt
l.35. consideraione	consideratione
pag.254.l.7. nequcat	nequeat
pag.255.l.13 dolerem	dolere
l.18. dolorem	dolerem
l 27. peniteute	pœnitente
pag.262.l.9. volentes	nolentes
l 31. pecatum	peccatum
pag.26[illegible].l.33. exclusiuntur	excluduntur
pag.270.l 5. R espondetur	Respondetur
l. 8 moral	morali
pag.271.l.10. se	sèd
l.15. atritionis	attritionis
pag.275 l.20. peouidat	prouideat
l 25. confitatur	confiteatur
pag.278.l.30. risi	nisi
pag 279 l.21. confitri	confiteri
pag.29 .l.3. quattragesimali	quadragesimali
l.29 in	ex
pag.298 l.12. interrupti	interruptè
pag.3 4 l.7 crumena	crumenam
pag.315.l.34. quamodo	quomodo
pag.316.l.6. asu	casu
pag.317.l.28. quatreges	quadrag.
pag.322.l.14 totèis	totiès
pag 323.l.30. erunt	
pag.325.l.29. impetratiuè	imperatiuè
pag 327.l.20. præfertur	profertur
pag.332.l.14. natabilis	notabilis
pag.358 l.22. mortalbus	mortalibus
pag.361 l.30. prouidi	prouidet
pag.362.l.32. Immù	immò
pag.390.l.30. condetabri	candelàbri
pag 395.l.23. decreto	decretalium
pag.401.l.7. aduc	adhùc
l.33. ex	ex l.
pag.460.l.5. sepponimus	supponimus
l.22. posser	posset
pag.462.l.19. professos	professos
pag.463.l.7. consumare	consummare

pag.

Errata.	Correcta.
pag.429.l.5. Ecciesia	Ecclesia
l.15. consensos	consensus
pag.432.l 13. interitate	intentatæ
l.eadem vi	ni
pag.433.l.1. extriefeco	extrinseco
l.28. iiberum	liberum
l.29.exemdlum	exemplum
l.30. deprehendere	deprehendatur
pag.442.l.34. pœnitente	petente
pag.445 l.17. aeris	æris
pag.446.l.6. habeor	habeat
pag.447.l 26. Qoæres	Quæres
pag.448.l.3. faciendum	fouendum
pag.449.l.7. præmissa;	præmissam
pag.450.l.9. dicere	ducere
pag 451.l.2. speculi	speculo
l.7. coniecturæ	coniecturæ
l.18. iudicia	indicia
l.34. apu	apud
pag.452 l.27. habitetionem	habitationem
l.34. mæchatur	mæchatur
pag.453.l 2. apostasim	apostasiam
l 9. infidelrs	infidelis
l.30. comminecetur	commisceretur
pag.454.l.26. alternm	alterum
l.35. adnittere	admittere
pag.455 l.7. cauta	tanta
l.o. fæaitia	sæuitie
pag.456.l.16. ampelcti	amplecti
pag.458.l.3. sicut	fieri
l.eadem Iure	iuri
l.12.consumatum	consummatum
l.18. cenceffum	concessum
l.23.cousumatum	consummatum
pag.464. l.1 consumatum	consummatum
l.2. inhredi	ingredi
l.6. consumationem	consummationẽ
l.7. consumatis	consummatis
l.19. consumato	consummato
pag.465 l.1. vincalum	vinculum
l.6. defendat	dependat
l.21. consanguinetate	consanguinitate
l.24. prænsenti	præsenti
l.23.ascendentium	ascendentium
l.33. fiue	fiue
pag.467.l.25 corparalis	corporalis
l.29. coniugelij	coniugalis
pag.468.l.5 consumare	consummare
l.25. necessitare	necessitate
l.28.cohunestari	cohonestari
pag.469.l.6. fecuundo	fecundo
l.23. requifiti	requisiti
pag.470 l.5. casibns	casibus
pag.471.l.31. baptizati	baptizat
pag.472.l.34. statimac	statimac
pag.478.l.-- aliun	alium
pag 491.l.9. ori	oriri.
pag.497.l.23. Euangeiij	Euangelijs
pag.499.l.14. exercenæ	exercendæ
pag.502.l.30. est	vt

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Per Alphabetum dispositus littera, D., disputationem, S., Sectionem, F., folium ostendit.

A

Absolutio

Actus Coniugalis.

Adultus

Aetas

Assi-

Affinitas

Amens

Angelus

Aqua

Attritio

Aurora

Ba-

B

Baptismi Sacramentum

§. *sed*

Blas-

Blasphemia

C

Calix

Capellania

Capellanus

Caracter

Causa

Chris-

Chriſma

Chriſtus

Circumciſio

Circumſtantiæ

Cir-

Clericus

Cæmiterium

Cognatio spiritualis

Cogna-

Confessarius

re

Confeſſio

Confirmationis Sacramentum

Coniux, & coniugale Debitum

Fe-

Con-

Consensus

Contritio

D

Damnati

Deus

Diabolus

Diaconus

Diuortium

Do-

Dormiens

E

Ecclesia

Effectus

Episcopatus

Epi-

Episcopus

Error

Eucharistiæ Sacramentum

Et

Aqua

ctum

Eucha-

Eunuchus

Extremæ Vntionis Sacramentum

F

Fœmina

Fides

Filius

Filius

Forma

G

Gratia

Græcus

H

Hæreticus

Hostia

Ieiu-

I

Ieiunium

Impedimenta Matrimonij

Ma-

Cri-

§.*Ex*

Infans

Infidelis

Infirmus

Intentio

Quæ

L

Laicus

Latinus

Ligamen

M

Martirium

Materia

Mate-

Matrimonij Sacramentum

In

Metus

Mini-

Minister

Missa

An

Ha-

Monstrum

N

Necessarium

Nix

O

Obex

Obstetrix

Occasio

Ordo

Oscula

P

Paganus

Parochus

Patrinus

Peccatum

Peccata reseruata

Pœnitentiæ Sacramentum

Pæni-

Polygamia.

Poteſtas.

Promissio, Promittens.

Propositum.

Puer

Puer.

Q

Quantitas.

R

Recidiuus.

Regulares.

S

Tactus

T

Tactus

Testes

Tridentinum

V

Vagus

Variatio

Vestes

Vinum

Votum

Vulnus

Vxor

Vxor

FINIS.

